

45

2295

2295
XXII-2

1.445

+

Cap.º de el Rmo. P.e Fr. Balthasar de Alvaro con Licencia de su Prelado año de 1768.

CURSUS

THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ IN VIA N. P. SUBT. MARIANIQUE DOCT.

JOANN. DUNS SCOTI DECURSUS,

PER QUATUOR EJUSDEM SENTENTIARUM LIBROS,

EDITUS

AB OBSERVANTI EX ORDINE Minorum S. P. N. Franciſci Provincia, tit. Immaculatæ Conceptionis Deiparę decorata in Veteri Caſtella.

TOMUS SEPTIMUS.

ELABORATUS A R. P. FR. MARCO Ordoñez, Lectore Jubilato, ejuſdem Provinciæ fideliſsimo Alumno

DEDICATUS

DIV. PETRO REGALATO

Valliſ-Oleti: Ex Thypographia Thomæ á Santander, Quæſtoris maximi hujus Univerſitatis.

CURSUS

THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ

IN IV. LIB. P. SENT. MAGISTRI IOHANNIS DUNS SCOTI

DOCT.

DECURSUS

PER QUATUOR EIUSDEM SENTENTIARUM LIBROS

EDITUS

AB OBSERVANTI EX ORDINE

MINORUM S. P. N. FRANCISCI PROVIN-

CIÆ TIR. IMMACULATÆ CONCEPTIONIS

Datarus decorata in Actu

CHALLA.

TOMUS SEPTIMUS

ELABORATUS A. R. P. FR. MARCO

OVIEDO LECTORE IUBILATO, ET REGENTE PRO-

VINCIÆ IMMACULATÆ CONCEPTIONIS

DIV. PETRO RECOLLATO

DEDICATUS

✠

IMMENSÆ HUMILITATIS ABYSSO,

PULCHERRIMO, ET VERNANTI CASTITATIS LILIO,

Extremæ Paupertatis ditiſsimo Theſauro,

INUNDANTI, ET PLENO CHARITATIS FLUMINI,

VIRTUTUM OMNIUM EPILOGO,

ET TANDEM DIVINI AMORIS SINGULARI DELICIO,

ALMO, INQUAM, INDIGETI

DIVO PETRO REGALADO.

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL - PALENCIA -

Mihi ſedulò cogitanti (Dilectiſsime Petre) cujus patrocinium, commendatum vequærerem, dum Theologicum hoc opus, tractatum de Deo Incarnato complectens, publicam lucem videre contendit, nulla animi hæſitatio obrépſit, ambiguitas occúrrit nulla, ut non, niſi te Patronum eligerem. Naturalis Philoſophiæ lumine verum recognoſco imperfectum, minus vè perfectum in perfectum reducendum fore, invalidum, atque imbecille alicujus Potentis Patrocinio indigere, ſub cuius auſpicijs invaleſcat, & ab Invaſoribus ſecurum exiſtat. Hoc naturali, atque inſuper peramanti impulſu, potiuſquam liberæ electionis ſelectu movit & me in tui inſignis Patrocinij benevolentiſsimo electu, ut tanti Herois munimine innixus, pro, & in nomine totius noſtræ, potiuſque tuæ Provinciæ, Opellam iſtam in communem ſtudentium utilitatem luci mandarem. Ve-

rum equidem eſt, veritatem ſe ipſa turrim eſſe ſtabilem, nulliuſque egere munimine ejus namque virtus, & Regibus, & Fortioribus fortiorem ſe oſtendit, ut Civitas præmunita, ex qua mille Clypei, & omne armorum genus pendentia micant. Sic de hoc opere ſentire, nefas non erit, ſi ipſum rivulum limpidiſsimum, ſeptimum ſanè, ex Nilo Subt. Magiſtri egredientem, conſiderem; cum ejus doctrinam, Cœleſtia potius, quam terrena ſapientem, à Cœleſti Minerva, in qua omnis ſapientię, & veritatis ſpiritus reſidet, ortum ducere credam. Sed, licet hoc ita ſit, iure, meritoque tibi, ô Sanctiſsime Petre, ô *decus ô famæ merito pars maxima noſtræ* Provinciæ, ſacrandum reverenter, libenterqué cenſui. Te veneratur hæc regularis Obſervantia, cujus aurum obſcuratum erat, mutatuſque ſuę pulchritudinis color optimus, Reparatorem ſtrenuum, & auctorem prȩcipuum. Miratur te admirabilem Petram, vel in caput anguli Religioſæ hujus Provinciæ à Domino conſtitutam, vel in medio fundamenti Myſticę iſtius Sion, Civitatis, ſcilicet litterarum, collocatam, ſuper quam ſpiritus ſeptem ſua dona propoſuit, & maxime ſapientiam. Ex hac Petra profitetur tot ſciſos ſapientes, atque Magiſtros, quot Reſpublica litteraria non ſemel venerata, & quorum memoria in ſuis ſcriptis immortalitate plena eſt, & animarum ſaluti in benedictione erit. Jure, ergo, ſi te Petrum Patrem voco, quod debitum eſt, reddo; ſi Fratrem, quod noſtrum mutuo jure hæreditario ex materno ſolo collectum, tibi lubentiſsimè communico.

Quid ultra hoc, ut te Coryphæum opus quęſitet pervigili cura, celeri volatu, & debito obſequio? Sanè inter tot, aliquam in medium proferre liceat noſtri talis qualis obſequij rationabilem cauſam. Mecœnatem non é vivis ſublatum, vendicant ſibi alij, & dum ſub ejus munimine, ingenij quandòque uberrimos fructus libentiſsimé ſupponentes, ſecuritatem ambiunt, non niſi incertam, & imbecillem ſæpius protectionem inveniunt. In hoc Patriam, Genus, ſapientiam, præclaraque geſta, quorum quodlibet nobilitatem complet, anxiè deſiderant, inventa gaudent, non adinventa perfunctorie prȩfingunt. Quare de ſuo Mecœ-

cœnate aiebat Caſiodorus : *cuncta, unde famam captat humanitas, geminata ſederunt: Patria , Genus , ſapientia , inſtituta præclara , quorum ſi unum nobilitatem complet , in te collecta plus faciunt.* Non ſic autem, non ſic, ſed ſicut in præcedentibus Curſus noſtri Theologici Alma hæc Provincia Divum quęri immortalem, auxilium efflagitans à Domino, levans oculos in Montes Dei excelſos , in Sanctos , quos ut filios Religionis ſeraphicę, veneratur, te ſanctitate vitæ ſuper eminentem , immortalitate ornatum, atque Doctrina præfulgentem Aſylum ſecurum obtinet. In te inſuper Patriam celebrem , antiquitatis , & filiorum ſplendore fulgentem Valliſ-Oletum vidimus , quę te filio , atque Patrono tutelarì gloriatur : gloria enim Matris etiam eſt filius ſapiens. Genus nobilitate prędarum ; nobilibus enim æque, ac pijs Parentibus es ortus. Sapientiam inſimul obtines ; in annis ſiquidem puellaribus in ſolitarijs latitando receſſibus, uni ſolum vacans rerum Cœleſtium contemplationi , præventus es in benedictionibus dulcedinis. A tenero de rebus Cœleſtibus ſenſus mirificos proferens tanquam prodigium factus es multis, omnibus doctrina , & exemplo omnia factus. Sed Religionem ſeraphicam ingreſſus ſapientior fuiſti; non tan inſtructione venerabilis tui Magiſtri Petri de Villacreces , cujus ope liberales diſciplinas adeptus , omnis Theologiæ , Scholaſticæ ſcilicet, & expoſitivę, Moralis , & Myſticæ in ſtudio mirabiles progreſſus feciſti : ſed potius divinitus edoctus, veri Sapientis adſtas vividiſsimum exemplar. Biformem , verſicolorem vé ſæculi ſapientiam depinxit Gregorius: cum ea, inquit, *cor marchinationibus tegitur*, ſenſus velatur verbis , falſa oſtenduntur vera , demonſtrantur falſa ; quam Iuvenes , & pueri pretio diſcunt , & hac adepta, cæteros diſpiciendo ſuperbiunt. Abfuit à te , dilectiſime Petre , & utinam à nobis abſit , mundani hujus Idoli tetrica , larvataque imago. Iuſtorum ſcientiam , & doctrinam à juventute poſsidens , populis propinaſti ; ad ſenectam uſque ructans, quam é vero ſapientię fonte Iuvenis biberas. Nil calida machinatione fingens , ſacrarum ſcripturarum ſenſum verbis dilucidis aperiebas , ſecreta cordis pandens , cujus Deus ſcrutator maximus , vera ſolum

Caſiodorus 1. variar. Form. 42.

Eccl. in offitio.

Lib. 10. cap. 26. in cap. 12. Job

lum eſſe ætèrnitatis gaudia, oſtendiſti; falſa,& fictitia mundi jubila, in figura pertranſeuntis, poſtponenda docens.

Sed undenam tibi, o Petre, tanta, tamque præclara Sapientia, admiratione quærendum? Non volumina materialia devòlvens, non aliorum ſcripta commentans, & enucleans, ſed Chriſtum; & hunc Crucifixum, unice ſcire cogitans. Ex libro eius ſacratiſsimæ Humanitatis intus, & foris ſcripto, plagarumque ſacrarum rubicundis càracteribus exarato, ſapientiam hàuſiſti ab eo, qui ſapientia eſt, & ſapientium emendator. Quis autem te aſperrime, ne dicam immaniter, ante Chriſti Crucifixi effigiem corpus verberantem, meditetur, & in cœleſti ſanctorum ſcientia prodeſſe,negabit? Cum ſacro teſtante eloquio: *flagella, & correptio in omni tempore doctrina ſit*? Quis ante hujus Magiſtri Cathedram directum,aſpiciat é terra Cœlum verſus elatum, ſenſibus deſtitutum, ignovomis decoratum radijs, arcana Dei videntem, inſcium te appellet? Quis te numerum dierum, Iuveni inſperata mórte ſublato, connumeràntem, ſapientia Divina inſtructum non fatebitur? Cum, ſi breves dies hominis ſunt, tamen numerus Menſium eius apud ęternam, Divinamque ſapientiam ſit? Iure ergo ſapientis debitum tibi opus commendo.

Præclara nunc geſta taceam; quæ tamen venerunt tibi pariter cum illa ſapientia ſuperna, aliquatenus é medio ſilentij reverenter promam, toto cordis affectu lætabundus exprimere conabor. *Spiritu Sapientiæ* optato, gratiſque à ſupremo donorum omnium Datore ſuſcepto, ſapientiæ incàrnatę meditationem *Regnis* temporalibus, & *ſedibus* præeminentibus *præpoſuiſti*; *divitias* ſæculi *nihil eſſe ducens in comparatione illius*; ob quod altiſsimę Paupertatis mirificus Propugnator & Cuſtos, non abſque quamplurium injuriarum àlacri, immotoque animo ſuſceptarum, devoratione, es apellatus. *Hanc amaſti, & exquiſiſti à Iuventute tuà, tanquam ſponſam tibi aſſumere, & amator factus es formę illius.* Ex hac ànta tibi ſobrietas in cibo, jeiunium, iuxta ſeraphici noſtri Inſtitutoris exemplum, ad novem Quadrageſimas uſque protractum, cibus ut plurimum panis, & aqua, ſomnuſque breviſsimus. Hinc tibi pru-

Sapientiæ cap.7. v.7.

Sap. cap.8. ℣. 2. & ſequentiib.

prudentia mira OEconomica, Politica, & Monaſtica, propter quam fratrum regimen ſubire coactus, in Præfecturis Conventuum Aquilerienſis, & Scalę Cœli omnibus numeris expleviſti officium, & quos privato jam pridem informaras, publico deinde confirmabas exemplo. *Propter hanc habuiſti claritatem ad turbas*, *te* autonomaſtice Sanctum proclamantes, & *apud ſeniores honorem* adhuc juvenis *obtinens*, reſtitutæ obſervantiæ te vocitabant adjutorem Præcipuum. *Acutus* ſanè *inventus es judicio*; atque ideo *in conſpectu Potentium*, Magnatum ſcilicet ſæculi, & Eccleſiæ Principum *admirabilis fuiſti. Mirabantur* iſti *in te* Sapientiam Cœleſtem, & *ſilentium* alias perpetuum tacentis *ſuſtinebant*, *locutum aſpectavant*, *ſermocinantem plura* pluribus abſorti *manus ori imponebant. Ex hac immortalitatem habens*, *memoriam ęternam tuis fidelibus ſucceſſoribus*, & *obſervantiſsimis Aſſeclis* quaſi in hæreditatem *reliquiſti*. Ipſa in vita Populum Iſraeliticum, hujus ſcilicet Provincię filios fœliciter gubernans, modo é ſuperis regis; atque ſanctiſsimis tuis legibus, & inſtitutis in diverſis Nationibus tam Europeis, quam Americanis innumeri tui Aſſeclæ ſubduntur. *Timebant ergo te Reges horrendi*, Principes nempe tenebrarum, quando *fortis in bello* contra illos fuiſti, fugę ſe ignominioſæ committentes, duplicatas accipiens humilitate, & maceratione coronas, immarceſcibiles victorię palmas. Iam proinde *in domo tua*, Empireo ſcilicet, *Sapientia conquieſcis* gaudens, nec enim in Cœleſti Regia amaritudinem invenire, fas erat, ubi neque labor, neque luctus erit amplius, *nec tedium in Convictu illius*, *ſed lætitia*, & *gaudium*; triſtia enim, quam in hoc ſæculo es expertus, in gaudium converſa eſt tibi.

Ecce ergo in te Patriam, Genus, ſapientiam, inſtituta præclara collecta video, ut optimo Mecœnate, in quo *cuncta*, *unde famam captat humanitas geminata ſederunt*: *Patria*, *Genus*, *ſapientiam*, *inſtituta*, *præclara*, *quorum ſi unum nobilitatem complet*, *in te collecta plus faciunt*. Merito, ergo, dum *apud me hæc cuncta commemoravi*, & *quod immortalitas ſit in cognatione ſapientiæ*, & *in amicitia illius delectatio bona*, te ſpiritualiter cognatum Divum im-

immortalem, Amicum delectabilem, Fratrem ſuggentem ubera Matris noſtrię; in cujus *operibus boneſtas ſine defectione eſt, in certaminibuſque loquela ſapientia*, & præclaritas in *communicatione ſermonum ipſius, circuivi quærens*, ut aſſumerem in Patronum. Accipias igitur, ſupplici-
lib. 4. Epiſt. 6. ter precor cum Damiano: *dum, quia munera terrena non habeo, opuſculorum mẽorum dona tranſmitto.* Spes enim mea in protectione tua ſiſtit tota; & certus ſum, Patrocinium tuum ſtudentibus hunc de Verbo Incarnato profuturum, ut Myſterij arduitas illis non obſit. Subtilis noſter Magiſter ingenuâ intelligentiâ, ſupera ſubtilitate, & Aquilina perſpicacitate huius tractatus difficultates percallens, ut ſingularem, tutiſsimam vero ingenijs ſemitam ſtabiliret, à prædilecta Regina noſtra, & tua, donum intellectus accepit. Per te ergo illud ſcoticæ Doctrinæ Aſſeclæ propinatum accipiant, ut ſapientiam tuam laudent Populi, cujus laudes nunciat Eccleſia. VALE.

Tantæ Sanctitatis provolutus ad aras ſupplex adorat nomine totius Provinciæ

Fr. Bonaventura de Herron,
Vicarius Provincialis.

CENSURA, ET APROBATIO RR. PP. Fr. Thomæ Muñoz, Lectoris Jubilati, Ex-Diffinitoris, ac Regii Conventus S. P. N. Franciſci Valliſ-Oleti Guardiani; & Fr. Franciſci Flores, ejuſdem Conventus Sacræ Theologiæ Veſpertini Lectoris.

PRæcepto Reverendiſsimi P. N. Fr. Petri Joannetij de Molina, Sacrę Theologiæ antiqui Lectoris, Regiæ Catholicæ Majeſtatis in Congreſſu pro Immaculata Conceptione Theologi, & totius Ordinis S. P. N. Franciſci iteratò Generalis Digniſsimi Miniſtri, peramantér obſequentes, Tomum in tertium Librum Sentent. ad mentem Subt. Doct. ordine quidèm ſeptimum Theologici Curſus hujus almę Provincię Immaculatæ Conceptionis, á fideliſsimo ejus Alumno R. P. Fr. Marco Ordoñez, Lectore Jubilato, ſubtili, claroque calamo elaboratum, & in tres diviſum Tractatus, quibus tota de ineffabili Incarnationis Myſterio materia perſolvitur, attenta reflexione perlegimus, & atteſtamur, laudandam in Authore methodum, quæ nec qualitate moleſtat, nec quantitate gravat: claritate nam que materiam perluſtrat, è brevitate faſtidium vitat. Quod exoptaverat Hugo lib. 5. Didaſc. *Lectio quidèm duobus modis animo faſtidium ingerere ſolet, & affligere ſpiritum; videlicèt, qualitate, ſi obſcurior fuerit, vel quantitate, ſi prolixior.* Præterea ſententias noſtri Subt. Doct. ſoliditate propugnat, oppoſitasque modeſta validitate impugnat Author: de quo meritó dixerimus; *Eloquium tuum*

dulce ::: *abſque eo, intrinſecus latet*; extrinſecus enim venuſtas nitet; intrinſecus autem ſolida doctrina, qua Scoti mens propugnatur, patet, & explicatur, quod eminentèr latebat. Nec dubitamus, opus iſtud Scholæ Subtilium maximé profuturum, in quo nihil ab orthodoxa fide aberrans, nihil à bonis moribus exorbitans; quinimò totum ſubtile, & ſubtilitatis Magiſtro conſonum, invenimus, & publica luce dignum. Sic judicamus. Salvo &c. in hoc Regali S. P. N. Franciſci Valliſ-Oletano Conventu, die nona Novembris, anno milleſsimo, ſeptingenteſsimo, ſexageſimo quinto.

Fr. Thomàs Muñoz. *Fr. Franciſcus Flores.*

FR. PETRUS JOANNETIUS DE Molina, Lector antiquus Sacræ Theologiæ Catholicæ Majeſtatis in Regali Congreſſu pro Immaculata Virg. Conceptione Theologus, totius Ordinis Fratruum Minorum S. P. N. Franciſci iterato Miniſter Generalis, & in Domino Servus.

PRæſentium litterarum vigore, & quatenus ad officii noſtri jus attinet, cum benedictione licentiam elargimur, & facultatem concedimus R. P. Vicario Provinciali almæ noſtrę Provinciæ Immaculatæ Conceptionis Regularis Obſervantiæ, ut Tomum ſeptimum Curſus Theologici, elaboratum à P. Fr. Marco Ordoñez, Lectore jubilato, præfatę noſtræ Provintiæ alumno; eo quod ex commiſsione noſtra à duobus noſtri Ordinis Theologis reviſſum ſit, & approbatum, Typis mandare poſsit, & valeat; ſervatis Sacri Concilii Tridentini Decretis, in hac parte editis, ac cęteris de jure ſervandis. Dat. in noſtro S. P. N. Franciſci Matritenſi Conventu die 13. Novembris ann. Dñi. 1765.

Fr. Petrus Joannetius de Molina,
Miniſter Generalis.

D. M. Rmi. in Chriſto P.
Fr. Joſeph. Marin.
Secr. Gen. Ord.

CENSURA R. P. M. Fr. AUGUSTINI DE Torres, Ordinis Carmelitarum Antiquæ, & Regularis Obſervantiæ, pro univerſa Caſtellæ Provincia Secretarii, ad Generale ejuſdem Ordinis Capitulum Venetiis celebratum Electoris, Valliſ-Oletani Conventus Prioris olim, & pro utri uſque Caſtellæ Provincia Primi Diffinitoris, in Valliſ-Oletana Univerſitate Doctoris Theologi, & poſt alias, in preſentiarum Theologiæ Moralis Cathedræ Moderatoris.

PRæſcripto Illuſtriſsimi D.D. Iſidori Cosio, & Buſtamante, Epiſcopi Valliſ-Oletani, Iunqueræ, & Ambiæ Domini, & Catholicæ Hiſpaniarum Majeſtatis Conſiliarii: ſeptimi Voluminis ſuper Tertium Subtilis Doctoris ſententiarum, à R. admodùm P. M. Fr. Marco Ordoñez perdoctè, & religioſiſsimæ Provinciæ Immaculatæ Conceptionis Alumno, & in eadem, pro meritis, Iubilato Lectore, elaborati, virga cenſoria mihi committitur. Ea, qua volui, induſtria, quaſi teſtudineo greſſu curavi percurrere.

Noſtrorum nos temporum, ut quidam occupent famæ poſteritati tubam: tranſcribere tranſcripta, dudum jàm exharata, plagiarii prælo mandare, repetere, uti nova, antiqua, vetuſta, & dicta. Fungorum inſtar Scriptores momento prodeunt opuſcula, quæ, ut deperdatur tempus, cariùs nobis venundetur papyrus, & atramentum, abſdubiò tantùm deſervire queunt. Sæpiùs, quæ ab illis vividè ſunt ſcripta, & ingenii acumine magno propoſita, languida, frigida debili calamo, ſegni cogitatione nobis offerunt (eorum ſententia levi uti) vehementia, & venuſta. Falluntur, quidem; t enim litteratos faſtidientes hujus indoli-

dolis productionis, oblivioni deditæ tabliniis exeduntur tinea. Procùl à nęvo hujus ſeptimi Libri Author.

Septimum Dei præceptum eſt, non furari: & in ſeptimo hocce opere Autor abſdubiò adimplet ſeptimum Dei mandatum; proprio igitur penu Subtilis Doctoris ſententias vividè exponit, alios alatu prętervolat, ſoliditata præcellit, & *Subtilis* ſubtilitatem, gravitatem, brevitatem ſententiis, & doctrinis ęmulatur. Et, ut ad rem accedamus propriùs, Author neque extrà orbitam, nec more pecudum graditur. Bibens è proprio fonte, limpiditate demiratione digna, *Subtilis* ſapiéntię aquas dulces, & minimè turbidas àbſque obſtaculo fluere facit. Non ipſi abſoletæ doctrinæ placent, non aerea cogitata, non deliramenta arrident ſpecie tenus acuta, ſed quæ ſolida veritate firmata, & quæ magno ſententiarum fulcro nituntur, ſeligit, & approbat. Maturo ingenio ſeparat pretioſum á vili: itaque quaſi *Subtilis* os nobis apparet. In cunctis methodo Scholaſtica, & ſelectori perambulat.

Quia altum, permanens, & ſolidum conſtruere nititur ædificicium in opere, ſapientiam antiquorum ſapiens Author exquirit: & doctioribus vacans, natratiosque ſapientum conſervans, in ingeniorum opponentum verſitas validè ingreditur: Occultas, altaſque V. & Subtilis Doctoris quęrit doctrinas, & in abſconditis ipſius converſans ſenſibus, ejus lapides, grandes ſummo angulari lapidi Chriſto Jeſu politos aſſectàtur quadratos. Ingreditur in admirabilis, & dulciſsimi Incarnationis Jeſu Chriſti D. N. ſancta myſteria: & æterna redemptione inventa, motivum, & cauſam ejus demirandi amoris perſpicuè oſtendit. Clamant pro iſta ſolida, & charitatis Dei erga homines infinitæ, ſententia *Subtilis*, Venerabilis de Agreda, Sancta Maria Magdalena de Pazzi. Doctores Eccleſiæ, & PP. illam maximè, & altè commendant. Amplius divina oracula hac in re ſenſum, & chariſmata exprimunt.

Au-

Author in omnibus, verùm ſuper hac materia adeo conſpicuè ſe gerit, ut ſupra ſe elevando, ſe ipſum videatur excedere. Scripturarum arcana ita ponit, & exponit, ut luce meridiana clariora nobis objiciat. *Subtilis* cogitatum hauriens limpidis labris, ſubtiliſsimè rationes ejus diſſerit: argumenta appoſita validiſsimè divellit, & Sanctorum Patrum dicta copioſè afferens, mentes eorum non tricis extorquet; quinimò ſedulò perpendens, genuinas, & nativas cogitationes rimatur. Æqualance omnia librans, & appendens in ſtatera, de miraculoſa naturę divinæ, & humanæ unione, neceſsitate Incarnationis; de Sanctiſsima Anima Chriſti, ejusque perfectiſsimis potentiis, & habitibus, merito, ſanctitate, impeccabilitate, filiatione, poteſtateque patrandi miracula adeó æquo graditur pede, ut ſententias eligat graviores. Atque ideó nunquàm inventus eſt minùs habens. Judicij ventilabro paleas, & granà in altum levans, blandiente maturæ electionis aura, verborum, argutiarumque letes paleas à ſolidis, & aureis granis doctrinæ dextra ſeponit. In area ſua, utique noſcit, & paleam, noſcit & triticum.

Hoc, ſanè, commendabile munus, verùm, quod ampliùs, & inſolitum aliis, non Authoris ſat ſuam firmare ſententiam; ſed, quia oportet, eos, qui contradicunt, arguere, propria ſtabilita ſententia, dum opiniones tuentes oppoſitas ejus rationum vi elabuntur, Mæandros, flexionesque adinveniunt, adeò valido, & celeri inſequitur greſſu, ut licet ſpiris ſuis ſeſe mirè volventes, vias occludat, quibus Euchrates effugiunt. Extortas diſcurſus opponentem haſtas, manu apprehendens propria, ad contum ipſis ſępiùs infigit.

In argumentorum propoſito adeò fide, & ingenuè ſcribit, ut non tantum eorum vim, & efficaciam non tegat, nec diſsimulet, verùm etiam paſsim adauget. Brevitati conſulens, ſyncathegoremate uno eorum nervos infringit. Oppoſitæ opinionis æquivoca in medium ducens, Vener. & Subt. Magiſtri veros ſenſus nullus involucris tectos demonſtrat. Uno verbo: haud ſemel argumenta oppo-

poſita non ſolúm languida jacent ; vérùm etiam cádavera proſtat , adeó ut deinceps inſurgere valeant.

Curſus iſte *Subtilis* à R. P. M. Antonio Ruerk cepit initium. R. at illuſtriſsimus Fr. Bartholomęus Sarmenteros , & R. P. M. Fr. Franciſcus de la Lanza , hujus ſanctæ , perdoctæ , atque celebertimæ Provincię Immaculatæ Conceptionis, chariſsimus uterque filius, noſtræ almæ Univerſitatis Valliſ-Oletanę Primi , & *Subtilis* Moderatores illum prætexere ſorte fœlici. Hos profecto ſuis mirabamur defenſionibus , & eorum objectiones ſubtiles haud levem nobis Concathedrariis incutiebant timorem. Prudentia , religione, virtute , in rebus agendis dexteritate , litteris , & ſtudio ambo pollebant. Ille pro meritis ad Viccenſem Epiſcopatum aſſumptus ; iſte, de qualibet dignitate oprimè meritus. Illum Deus, noſtris reſpondens votis , hactenus incolumen ſervat; iſtum, dum in hac Sancta Provincia moderaminis teneret habenas, Majeſtas nobis eripuit , ut fœlicitate potiretur æterna. Planxit eum univerſa Valliſ-Oletana Civitas; fleverunt non vulgari virtute Patres , & luximus omnes Candidati ſocii. O! utinam Omnipotens ipſius zelo , & laboribus prèmio coronam imponat! Proſequences igitur Curſum iſtum alii R.R. P.P. haud inferiori ingenio, & hujuſce Sanctæ Provincię filii omnes , curſum conſummat Author noſter, fidemque in omnibus ſervat : ergo repoſita eſt illi corona juſtitiæ. Diſcipulus audivit Author R. Ruerk. Supra Magiſtrum eſſe Diſcipulum non audeam ſcribere ; verúm unum fatear , illius percelebris Magiſtri , & Patris filium iſtum eſſe gloriam ſapientem. Requievit ſpiritus R. Ruerk ſuper R. Ordoñez ; & duplici ſpiritu ornatus, ſuper Subtilis , & Vener. Magiſtri Iordanem reverſus, palio doctrinę , quod ei ab alto ceciderat , percutiens hûc, atque illúc diverſa opinantum aquas , ſecurus tranſit diſcipulus. Videntes ergo filii ſcientiarum , qui in Jerico , ſunt opinionum è contra , proculdubiò demiratione capti , clamabunt, dicentes : *Requievit ſpiritus Magiſtri Ruerk ſuper Diſcipulum Ordoñez.*

Da-

David divino Spiritu motus, ad Deo tribuendum honorem, ſeptem ne plus, neque minus enumerat voces. Vox Domini in virtute: Vox Domini in magnificencia: Vox Domini confringentis Cedros: Vox Domini intercedentis flammam ignis: Vox Domini concutientis deſertum: Vox Domini ſuper aquas; Vox Domini præparantis Cervos, & revelabit condenſa. Septem vocibus hisce conſonant ſeptem ſuper Subtilis Doctoris ſententias volumina, ab Immaculatæ Conceptionis Provincię ingenio præditis filiis elaborata. Volumen primum, *Vox Domini in virtute*; nam de Deo uno, & de ejus altiſsimo intellectu. Secundum, *Vox Domini in magnificentia*; etenim de magnifica ſupremi Numinis voluntate, ſanctorum prędeſtinatione, & inſcrutabili Trinitatis myſterio mirè pertractat. Tertium, *Vox Domini confringentis Cedros*, quia de Angelis bonis, & malis, de que ſtatibus naturę ſermonem inſtituit. Quartum *Vox Domini intercidentis flammam ignis*; nam de Beatitudinis divina luce, & de actibus humanis ſcribit: Quintum, *Vox Domini concutientis deſertum*; quippè de conſcientia, Legibus, & peccatis agens, ignaras, deſertasque luce mentes, validè quatitur. Sextum, *Vox Domini ſuper aquas*: igitur divinæ gratiæ fluenta puriſsima, & modum, quo libere creatura bibat, quaſi ex providentiæ inexhauribili fonte, haurire valeat. Septimum hocce volumen, *Vox Domini præparantis Cervos, & revelantis condenſa*: etenim, ut teſte Leblanc. Doctores præparat, ut ineffabilem Domini Incarnationem intellectibus denſis demonſtret, & arcana denſa Majeſtatis patefaciat hominibus, amorem Dei oſtendant, meritum, ſcientiam, poteſtatemque Chriſti Domini Noſtri patefaciant.

Divino Opifice conſtruente univerſa, poteſtas ejus die ſeptima requievit ab univerſo opere, quod patrarat, nam Omnipotentiæ nihil amplius agendum ſuperat. Religio Seraphica, licèt ſenis, & antiqua mater, nunquam tamen infœcunda omni tempore filios virtutibus, ſanctitate maxima, eruditione optima parturire deſi

ſinit ſi etenim chronologicas tabulas Sanctorum, & in Theologis tum aſcetica, tum morali, tum Scripturarum ſacra, tum Scholaſtica Theologia texere velim, abſdubio, in infinitum abirem. Adeo hoc impoſsibile his, qui litterarum orbem perambulant, nunc ratione videtur, ſicut Cœli ſtellas numerare, meritò judicatur. Requiſcat ergo ſancta, & perdocta Immaculatę Conceptionis Provincia hoc ſeptimo Tomo ab univerſo operis curſus, quod ad juvenum inſtructionem, & Doctorum claritudinem, incœperat. Non à cordibus Carmelitarum recedit, ſed manet noſtra mente repoſtum illud vinculum charitatis Sanctorum Franciſci, Angeli Carmelitæ, & Dominici. Florum filii ſanctorum vinculo adſtricti, maximo amore amplectimur; nec nobis fas à funiculo illo triplici rumpere charitatem. Inſignitér falluntur, qui oppoſitas mentium ſententias in voluntates, & corda tranſitum facere cupiunt; & ſi ita turpitèr connantur, craſſiſsima ignorantia laborant; & hi maxime, qui Subtilis, & Venerabilis Doctoris altas doctrinas convitiis ſpernere, & impetere machinentur. Ad veritatem iſtiusmodi aſſerti conſulantur per totum Terrarum Orbem Univerſitates clariores, in quibus omnibus, ut ſtemma maximum, Subtilis, & Ven. Doctoris Cathedræ ſunt ſtatutæ. Conſulatur & ipſe, qui in aſſertis ſuis fulciendis, ſemper utitur doctrina ſacra, & in ſtabiliendis ſententiis, Sanctorum Patrum, & maximè Auguſtino duce, ubique perambulat. Conſulantur, denique, Romæ oracula ſacra, quæ dum Scoti opinionem, & ſententiam, inoffenſo pede currantur.

Optimè valebat Deus nobis per unum Prophetam loqui, ſicuti per unum Evangeliſtarum fidem proponere; verùm locutus eſt per Prophetas, ſicuti per quatuor Evangeliſtas, ut caperet Mundus, nec Theſaurum divinę ſapientię exhauſtum, nec Omnipotentis abreviatam manum. Cęcurit cèrtè, qui in uno tantum Doctore, licèt maximo, ſapientię vàſa conſtituere velit. Alius ſic, alius verò ſic. Subtilis Doctor, ubi erat impetus ſupientię ſpiritus, illuc próculdubio graditur rectè. Verum, quia

***

per

hoc Doctioribus, licet ignaris, notum non ſit, merito ſuperſedeo; & tandem judico (ſalvo ſemper meliori judicio hoc ſeptimum volumen nihil dogmati fidei, moribus rectis, Pragmaticis que ſancionibus continere contrarium; imò juvenibus, & Magiſtris perutile cenſeo. In hoc Carmelitarum antiquæ, & Regularis Obſervantiæ Valliſ-Oletano Conventu die 24. Aprilis Anno 1767.

Fr. Auguſtinus de Torres.

LICENTIA ORDINARII.

DAmos licencia, por lo que à Nos toca, para que ſe imprima, y dè à la eſtampa, el ſeptimo Volumen, que en eſta cenſura ſe expreſa: mediante por ella nos conſta, no tiene coſa opueſta à nueſtra ſanta fee, y buenas coſtumbres. Valladolid, Mayo 13. de 1767.

Iſidro Obiſpo de Valladolid.

Por mandado de S. I. el Obiſpo mi Sr.
Luis Garcia de Villalpando.
Secretario.

LICENCIA DEL CONSEJO.

DON Ignacio Eſteban de Higareda, Secretario de Camara del Rey Nro. Sr. y de Govierno del Conſejo, certifico, que por los Señores de èl ſe ha concedido licencia al P. Fr. Buenaventura de Herròn, del Orden de S. Franciſco, para que por una vez pueda imprimir, y vender el Tomo ſeptimo de Theologia, *Tratado de Incarnatione*, compueſto por Fr. Marcos Ordoñez del miſmo Orden, con tal que ſea en papel fino, y buena eſtampa, y por el Original que vá rubricado, y firmado por mi en ſu primera foja, y las demás de D. Manuel de Carranza, Oficial Tercero de la Secretaria de Govierno de mi cargo, à cuyo cuydado corre el deſpacho de eſte negociado; guardando en la Impreſion lo diſpueſto, y prevenido por las Leyes, y Pragmaticas de eſtos Reynos, y trayendo al Conſejo, antes de darle al publico, un Egemplar impreſo junto con el Original, y para que conſte, lo firmo en Madrid à 23. de Septiembre de 1767.

Ignacio de Higareda.

LIBER TERTIUS SENTENTIARUM.

HUNC Tertium Sententiarum Librum Noſt. Subt. Doct. cœpit à Materia Incarnationis Chriſti Domini; & meritò quidem; nam poſtquàm egit cum Magiſtro in 1. de Deo, quantum ad rationem ſuæ naturalis perfectionis, uti generare, & ſpirare: & in 2. tractavit de ipſo quatenus ejus perfectio relucet in operibus Creationis: jure optimo, huic Tertio initium dedit ab opere reſtaurationis; quippe in hoc ejus omnipotentia relucet. Quare, & nos tanti Doctoris veſtigia ſectantes ab hoc Tractatu hunc Librum explanare conamur. Sit ergo.

A TRAC-

TRACTATUS PRIMUS.

DE

POSSIBILITATE, CONVENIENtia, Eſſentia, Exiſtentia, ac Neceſsitate Ineffabilis Incarnationis Myſterij.

HOC mirabile Incarnationis Myſterium magnum pietatis eſt Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, teſte Apoſtolo: de quo Cyrillus Alexandrinus: *Ænigma eſt ſacratiſsimum, quod ſumma potius veneratione ſuſcipiendum, quam humani judicii trutinæ ſubjiciendum*, ſcopus eſt preſentis tractatus; at quia ejus materia diffuſiſsima eſt; & quamvis in ſcribendo brevitati conſultemus, per unicum tractatum ipſam explanare non poſſumus; conſultò talem Materiam in particulares tractatus dividemus, incipiendo ab illo, qui ad ejus poſsibilitatem, convenientiam, exiſtentiam, & eſſentiam ſpectat, quemque in diſputationes, quæſtiones, ac ſectiones (ſi opus fuerit) dividemus: unde, ſit.

DISPUTATIO I.

DE POSSIBILITATE INCARNATIONIS.

ANgelicus Præceptor de Convenientia hujus Myſterii primo tractat; ſed noſter Subtilis Doctor ordine convenientiori diſputat, incipiendo ab ejus poſsibilitate; quippè ex rei poſsibilitate congruitas infertur; non verò ex congruitate bene poſsibilitas judicatur: Quare ſit.

QUÆSTIO PRIMA.

An Divini Verbi Incarnatio fuerit poſsibilis?

1 NOTO primó, quod eſtò hoc nomen, *Incarnatio* ex vi vocis ſignificet aſſumptionem carnis, vel corporis; tamen juxta Concilia, Patres, & Theologos, aſſumptum eſt per figuram *Synecdochen* ad ſignificandam illam ineffabilem unionem divinę, & humanę naturæ in ſuppoſito Verbi. Familiare enim admodum eſt ſac. Scripturæ, nomine *carnis* exprimere integram humanitatem. Sic Geneſis 6. dicitur: *Omnis caro corruperat viam ſuam.* Et Lucæ 3. *videbit omnis caro ſalutare Dei.* Et Joan. 1. *Verbum caro factum eſt*: Super quę Auguſt. lib. 13. de Trinit. cap. 19. ait: *Cum lego: Verbum caro factum eſt:: In Verbo intelligo verum Dei filium: In carne agnoſco verum hominis filium: & utrumque ſimul in una perſona Dei hominis, ineffabilis gratiæ largitate conjunctum.*

2 Et ſanè, non ſine myſterio, à carne, & non ab anima, myſterium iſtud nomen accipit: primo; ut veritas Incarnationis contra Manichæos, & alios Hæreticos negantes, Verbum Divinum veram carnem aſſumpſiſſe, clarius appareat. Secundò: ad ſignificandam nimiam illam divini amoris in nos perfuſionem, qua divina Maieſtas adeo depreſſa eſt, ut tam vilem, & abjectam carnis naturam ad ſalutem noſtram operandam, ſuum in conſortium aſſumere, non fuerit dedignata; ideoque dixit Paulus ad Timothæum 3. *Magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne.* Denique: ut luculentiùs reſplendeat Verbi Divini ſubmiſsio, ex eo quod non ſolum naturam humanam, ſed etiam omnes illius infirmitates, quæ plerumquè nomine *Carnis* deſignantur, aſſumpſerit.

3 Noto Secundó ex Scoto in 3. diſt. 1. quæſt. 1. §. *de primo*, quod cum talis unio ſit unitatis naturę humanæ cum Verbo in unitate perſonę, importat aliquod conjunctum ex humana natura, ſine propria perſonalitate, & Verbi Divini perſonalitate reſultans, media aliqua unione ſubſtantiali: & ſic, in conceptu Incarnationis hæc tria interveniunt: *natura humana*: *Verbum Divinum*; *& unio illa*, quam Scotus appellat, dependentiæ, ſeu ordinis communicabilis ad incommunicabile, aut ſuſ-

ſuſtentificáti ad ſuſtentificans. Ex his tribus capitibus nitimur per triplicem Sectionem cum N. Doct. declarare hujus Myſterij poſsibilitatem, necdum logicam, hoc eſt, cujus termini non repugnant; ſed etiam non repugnantiam phyſicam, id eſt, quod mirabilis illa Divinitatis cum Humanitate unio Supremam Dei potentiam non excedat.

4 Sed nota, quod non intendimus probare prædictam poſsibilitatem *poſitivè*, hoc eſt, naturalibus rationibus; id enim minime fieri poteſt; cum inter cœtera divinę Omnipotentiæ opera maximè hoc Myſterium humanam tranſcendat rationem. Tantùm ergó nitimur probare ejus poſsibilitatem *negativè*, hoc eſt, ſolvendo evidenter repugnantias, quæ in contra opponuntur; ſive oſtendendo, quod Incarnatio impoſsibilis non ſit, ſit ergó:

SECTIO PRIMA.

OSTENDITUR POSSIBILITAS Incarnationis ex parte Verbi Divini.

5 DIco: ex parte Verbi Divini aſſumentis nulla eſt repugnantia unionis ejus cum natura humana. Eſt omnium Catholicorum. Probant eam; quia de actu ad potentiam eſt legitima conſequentia affirmativè; ſed hujuſmodi unìo de facto peracta eſt: erg. &c. At quia hæc probatio eſt optima ſuppoſita fide, & hic agimus contra ejus inimicos, ideo ſpecialiter.

6 Probatur concluſio ratione Scoti: nulla eſt repugnantia unionis perſonæ Verbi cum humanitate in unitate ſuppoſiti, neque ex parte perſonæ, *qua divinæ*, nec *qua Verbi*: ergo non repugnat talis unio. Prob. ant. quoad 1. part. perſonam divinam uniri humanitati non arguit compoſitionem, potentialitatem, nec dependentiam in perſona aſſùmente: erg. non repugnat ex parte perſonæ *qua divinæ* talis unio. Probr. ant. non eſt compoſitio, potentialitas, aut dependentia in perſona aſſùmente, quin talis perſona realiter referatur ad naturam, ut patet diſcurrendo de omni reali compoſitione (de hac enim loquimur hic) ſed ut perſona divina humanitati uniatur, non requiritur, quod realiter referatur ad naturam aſſumptam; ſufficit enim, quod terminet dependentiam naturæ aſſumptæ: erg. perſonam divinam, &c.

&c. Probr. min. Creator terminat relationem realem Creaturæ, quin creator realiter referatur ad creaturam : erg. à pari, ut persona divina, &c.

7 Confirmatur : terminare dependentiam naturæ humanæ non infert aliquid repugnans personę divinę : erg. &c. Prob. ant. talis terminatio unicè dicit personam divinam esse præcisè terminum terminantem dependentiam humanę naturæ ; ita, ut hæc non posſit dici alicujus alterius naturæ, quam Verbi Divini ; sed hic conceptus non arguit aliquam limitationem, aut dependentiam in persona assumente : erg. &c. Prob. min. ad hanc unionem terminandam satis est, quod terminans sit omninò independens à natura humana, quam terminat ; sed persona Verbi Divini est hujusmodi : erg. &c. Mai. constat ; quia sicut Deus, licet terminet dependentiam Creaturarum, nullatenus ab his dependet ; cum in esse, & existere sit ab eis omnino independens: sic similiter persona Verbi in terminando naturam humanam.

8 Probat. nunc ant. quoad 2. part. si repugnaret unio ex parte personæ Verbi *qua Verbi*, esset, quia non posset dari unio ad unam personam, quin daretur ad aliam; sed hoc est falsum : erg. &c. Prob. min. multipliciter : Primò ; quia ratio terminandi naturam humanam non est aliquod prædicatum absolutum commune toti Trinitati ; sed est ipsa personalitas Verbi. Secundò : quia licet quod convenit naturę divinę, conveniat singulis personis indivisim, ut esse sapiens, omnipotens &c. tamen, quod convenit uni personalitati, non est commune omnibus; paternitati enim convenit constituere personam patris, quod non convenit filiationi, aut Spirationi passivę. Tandèm : quælibet divina persona est in se, & ex se formaliter independens ; sed independens in quantum tale, potest terminare dependentiam alterius ad ipsum : erg. Ex his omnibus patet, quod posſit dari unio ad unam personam, quin detur ad aliam.

9 Aliqui R. R. cum Casp. dixerunt, Scotum probare posſibilitatem hujus Mysterij ; quia persona divina virtualiter, & eminenter in se continet perfectiones omnium creaturarum, & sic posse supplere munus personæ creatæ, sed falluntur sanè ; nam Doct. Subt. in 3. dist. 1. quæst. 1. ar-

artic. 2. expreſsé hanc rationem rejicit.

10 Arguitur primo: Verbum Divinum nequit ſupplere vices ſubſiſtentię creatę: erg. Ex parte Verbi repugnat Incarnatio. Prob. ant. ſubſiſtentia creata eſt modus præſtans ſuum effectum in genere cauſæ formalis; quia immediatè modificat, actuat, perficit, & complet ſubjectum, ſeu naturam; ſed hujuſmodi effectum nequit Verbum Divinum ſupplere; cum imperfectionem dicat: erg. &c. Hoc argum. ſi urget aliquid, eſt in ſetentia conſtituentium ſubſiſtentiam creatam per aliquid poſsitivum. Sed nunc, hoc admiſſo, reſpondeo negando ant. Ad prob. diſting. mai. ſubſiſtentia creata eſt modus præſtans ſuum effectum in genere cauſæ formalis, *qua ſubſiſtentia creata eſt*, conc. mai. *qua ſubſiſtentia eſt formaliter, & ſimpliciter*, neg. mai. eiſdem terminis explicatur imbibita probatio. Et diſting. min. ſed hunc effectum nequit Verbum ſupplere in genere *cauſæ formalis intrinſecè informantis*, conc. min. *intrinſecè terminantis*, neg. min. & conſeq.

11 Itaque licet munus ſubſiſtentiæ creatæ *qua creatę* ſit ſuum effectum præſtare in genere cauſę formalis intrinſecé informantis; quia prout ſic viciſsim eſt perfectibilis à natura; attamen munus ſubſiſtentiæ prout prę ſcindit à creata, & increata, unicè ſtat in ultimo complere ſubſtantialiter naturam in ratione ſuppoſiti, eamque reddere formaliter incommunicabilem alteri ſuppoſito. Unde Verbum Divinum poteſt ſupplere vices ſubſiſtentię creatæ, non qua modus eſt, ſed qua formaliter ſubſiſtentia eſt, terminando naturæ dependentiam in ratione ſuppoſiti naturam ſuſtentantis. Et quamvis hæc dependentia reducatur ad genus cauſæ formalis, non tamen cauſę formalis intrinſecè, niſi quia ſubſiſtentia creata eſt; at, quatenus prę ciſe ſubſiſtentia eſt, poteſt reduci ad genus cauſæ formalis extrinſecę, quod nullam imperfectionem involvit; & ſic benè poteſt ſuppleri á Verbo.

12 Arguitr. 2. & eſt replica: nequit perſona divina uniri perſonaliter humanitati ſine vera, & reali compoſitione; ſed hæc repugnat perſonæ divinæ, utpote ſummè ſimplici, quę ſimplicitas omnem compoſitionem actualem excludit: erg. &c. Mai. videtur certa: tum, quia de facto Concilia, & PP. Chriſtum Domi-

minum abſoluté compoſitum vocant. Tum, quia vera, & realis compoſitio fit ex partibus, quarum una eſt actus, & alia potentia; una perfectibilis, & alia perfectiva: erg. &c. Reſpond. diſtinguendo mai. nequit perſona divina uniri humanitati ſine vera, & reali compoſitione, hoc eſt, *ineffabili*, prout diſtinguitur contra *affectivam*, conc. mai. ſine vera, & reali compoſitione *proprie*, *& ſtrictè capta*, neg. mai. Inverſis terminis diſtinguitur min. & negatur conſequentia.

13 Verum ergo eſt, quod Concilia, & PP. vocant Chriſtum abſoluté compoſitum; ſed hoc eſt ineffabiliter, quatenus compoſitio eſt diſtinctorum unio; eamque vocant veram, & realem compoſitionem, prout diſtinguitur contra affectivam, quam aliqui Hæretici ſolum aſſerebant; non verò concedunt Chriſtum compoſitum compoſitione propria, & ſtrictè ſumpta, quę fit ex partibus, quarum una eſt actus, & alia potentia; quia perſona Verbi non ſe habet ad humanitatem ut compars informans; ſed per modum ſuppoſiti, quod illi intimè unitur per modum ſuſtentantis, & terminantis dependentiam humanitatis ad exiſtere per ſe ultimatè ſubſiſtenter; quæ compoſitio minimè opponitur divinæ ſimplicitati, & immutabilitati divinę; quia unio iſta unice ſubjectatur in humanitate, & terminatur ad Verbum.

14 Dices: Verbum per illam unionem realem, veré dicitur factum caro, & homo, quod antea non erat: erg. media aliqua mutatione ex parte Verbi, quod repugnat. Reſpond. conc. ant. negand. conſeq. quia hoc totum fit per realem unionem in humanitate receptam, qua elevatur, & unitur vere, ac intimè Verbo, & Verbum illam terminat, & perficit ultimate, & verè; ſed ſine receptione formali, & intrinſeca ullius entitatis. Attamen quia maxima eſt dificultas in explicando quomodo fieri poſsit, ut Verbum factum ſit ſubſtantialiter homo, quod antea non erat, quin aliquomodo mutetur, ideo pro clariori explicatione.

15 Noto, quod licet unio dependentiæ naturæ humanæ â Verbo in ipſo Verbo non ſubjectetur, ſed ſolum ad ipſum terminetur; omnes tamen fateri tenentur, unionem iſtam non terminari ſolum extrinſecè ad inſtar, aliarum denominationum extrinſecarum: *ut eſſe viſi*: *eſſe ſiniſtri*, aut dex-

dextri. Terminatur ergò aliquo modo magis intrinſeco, ſcilicèt, in ratione intimæ conjunctionis ad conſtitutionem unius compoſiti ſubſtantialis, eo modo quo Chriſtus compoſitum ſubſtantiale dici poteſt, cui tam perſona divina, quam natura humana ſit prorsùs intrinſeca. Hac ergò ratione dici poteſt, Verbum intrinſecè unionem terminare; quia licet intrinſecè eam non recipiat in ſe, tamen, tam intimè, & perfectè ſe habet Verbum in ratione terminandi, quàm humanitas in ratione ſubjectandi unionem: & non minus perfectè dicitur Verbum unitum humanitati, quam hæc, Verbo.

16 Ex quo ultrà adverte, quod Verbum eſt intimiùs, & perfectiùs unitum, & conjunctum humanitati, quàm per ſimplicem indiſtantiam, aut intimam præſentiam, qua Deus per ſuam immenſitatem eſt præſens omnibus creaturis. Ratio; quia eſt modo quodam ſubſtantiali conjunctum, ſupplēdo per ſubſiſtentiam ſuam perſonam creatam, & ſuſtentificando naturam creatam ſingularem: & ſic dicitur Verbum magis intrinſecè terminare unionem, quàm objectum terminare viſionem. Ex hac ergò terminatione ſequitur in Verbo determinatio intrinſeca, qua dicitur intrinſecè terminare unionem, aut intrinſecè unitum humanitati. Tamen, non eſt denominatio intrinſeca, quaſi unio ſubjectetur in Verbo, aut humana natura ipſum informet; quia hoc eſt impoſſibile.

17 Hinc ergò, ut omnis æquivocatio, & contentio inter Authores vitetur (quæ eſt ferè de nomine) ultimò nota, quod hæc denominatio: *Deus eſt homo*: accedit ad denominationem extrinſecam, ab illaque recedit. Accedit; quia nec unio ſubjectatur in Verbo, nec natura ipſum informat, quod regulariter evenit in alijs denominationibus intrinſecis. Recedit; quia aliæ denominationes extrinſecæ ſunt vel à formis accidentaliter unitis, vel à terminis exiſtentibus extra ſubjectum denominatum; hæc verò denominatio ſumitur à natura humana ſubſtantiali perſonaliter unita Verbo, ejus perſonalem dependentiam terminans. Breviùs, & clariùs: unio dicitur extrinſeca Verbo *ſubjectivè*; quia nec ſubjectatur, nec inhæret illi. Eſt intrinſeca *terminativè*, *aut unitivè*; quia non terminatur ad illud meré extrinſecè, & modo

do accidentali , quo terminantur aliæ habitudines importantes meram extrinſecam denominationem in earum terminis. Notate hoc benè ; quia ſic replicę factę , & factibiles ex hoc medio facilè ſolvuntur.

18 Arguitur denique: nequit aliquid uniri perſonalitati immediatè , quin uniatur naturę divinæ ; ſed natura humana non unitur immediatè naturæ divinę : erg. nec perſonalitati divinæ. Minor patet; alias fuiſſet unita etiam Patri, & Spiritui Sancto. Mai. prob. natura , & perſonalitas divina non diſtinguuntur ; ſed non poteſt aliquid uniri realiter , & phyſicé alicui immediate, quin immediate uniatur cuicumque indiſtincto ab ipſo à parte rei: ergo, &c. Hoc argumentum urget Thomiſtas , non vero Scotiſtas ſtatuentes diſtinctionem formalem actualem inter eſſentiam , & perſonalitates. Reſpond. ergo neg. mai. & diſt. mai. probationis : natura , & perſonalitas divina non diſtinguuntur *realiter ſtrictè* , conc. mai. *realiter formaliter* , neg. mai., minorem in ſenſu diſtinctionis , & conſequentiam. Vide dicta ad longum tom. 1. diſput. 3. quæſt. 3. ſect. 1.

SECTIO II.

OSTENDITUR POSSIBILITAS Incarnationis ex parte naturæ aſſumptę.

19 Dico, naturam humanam uniri Verbo Divino in unitate ſuppoſiti , non includit repugnantiam ex parte naturę aſſumptæ. Eſt communis Theologorum. Probatur : non repugnat , naturam humanam ſingularem ſeparari à propria perſonalitate: erg. nec quod aſſumatur ab alieno ſuppoſito. Conſeq. patet; quia cum perſonalitas creata ſit , vel dicat negationem actualis , & aptitudinalis dependentię ab extraneo ſuppoſito , hæc non tollitur , niſi ponatur forma negata. Antec. vero prob.: omne abſolutum prius alio, & ab illo realiter diſtinctum poteſt eſſe ſine illo , ſaltim de potentia abſoluta ; ſed natura creata eſt prior ſubſiſtentia , & ab illa realiter diſtincta : erg. &c. Prob. min: perſonalitas creata vel eſt modus ſubſtantialis naturę , ut volunt Thomiſtæ ; vel eſt duplex negatio actualis , & aptitudinalis dependentiæ , ut tenet communior Scotiſtarum ; ſi hoc 2. dicatur , de facili probatur diſtinctio realis *poſitivi à*

negativo, contingenter convenienti naturę: ſi vero 1. dicatur: ergo ſaltem realiter modaliter diſtinguitur ab illa.

20 Adverte tamen cum Noſt. Doct., ex quo Pontius, quod ſecluſa revelatione, nobis certò non conſtat de diſtinctione reali à perſonalitate, nec de ejus ſeparabilitate: & hoc maximè in ſententia de *poſitivo*; quare probatio propoſita ſolùm eſt probabilis. Suppoſita autem revelatione, ſic evidenter probatur: juxta fidem, & Damaſcenum lib. 3. cap. 11. *Verbum aſſumpſit naturam in atomo, ſeu ſingularem, non tamèn perſonatam*; ſed hoc eſſet falſum, ſi natura non diſtingueretur realiter, nec realiter ſeparari poſſet à perſonalitate: erg. utrumque, juxta fidem, tenendum eſt. Nunc ſic; ſed hoc ſemel conceſſo, non repugnat, quod natura humana perſonetur per perſonalitatem Verbi; erg. non repugnat. Probatio Concluſionis evidentiùs conſtabit ex ſolutione Argumentorum.

21 Arguitur 1. Quæ eàdem generatione fiunt, eadem corruptione deſinunt eſſe, & non ſunt realiter diſtincta; ſed natura creata, & perſonalitas creata ſic ſe habent: erg. non ſunt realiter diſtincta: erg. non poſſunt ſeparari: erg. natura creata aſſumenda eſt cum propria perſonalitate: & ſic in Chriſto eſt utraque perſonalitas divina, & humana, quod eſt hæreſis Neſtoriana. Mai. patet; min. prob. primò; quia actio agentis terminatur non ſolum ad naturam ſingularem, ſed etiam ſubſiſtentem. Secundò; quia unius entis per ſe, quale eſt natura ſingularis ſubſiſtens, unica eſt actio: erg. &c. Reſpond. neg. mai. & antec. probationis, quoad 1. part. Imò, ſi perſonalitas creata in *negativo* conſiſtat, falſum ſupponit; quia talis negatio, neque generatur, neque corrumpitur propriè; ſed ſolum ſequitur ad naturam ſingularem, eo ipſo quod non uniatur alteri ſuppoſito.

22 Si verò in *poſitivo* conſiſtat, dico, quod cum tale poſitivum ſit modus ſubſtantialis habens eſſe per naturalem reſultantiam, ſequitur ad ipſam naturam ſingularem, niſi impediatur à Deo: & hoc ſufficit, ut non fiat eadem actione, ac natura ſingularis; hęc enim præſertim terminat actionem agentis, ad quam, ſecluſa actione efficientis, per naturalem reſultantiam, aut conſecutionem ſequitur perſonalitas, ſi non impediatur. Ad 2. probationem dico, quod ſolùm probat in ſen-

ſententia de *poſitivo*, quod compoſitum, vel quaſi compoſitum reſultans ex natura, & perſonalitate fiat per unicam actionem; non verò, quod natura conſiderata ut pars, & ſimiliter formalitas poſitiva perſonalitatis, quę eſt altera compars, fiant per unicam actionem; patet hoc in compoſito phyſico ſubſtantiali, quod eſt unum per ſe, & fit per unicam actionem; quin ejus partes, quæ ſunt materia, & forma ſubſtantialis, unica actione fiant, ſed valdè diverſis actionibus.

23 Arguitur 2. ad unionem requiritur proportio unibilium; ſed naturæ creatæ ad Verbum Divinum nulla eſt proportio: erg. &c. Prob. min.: natura creata infinitè diſtat à Verbo Divino: erg. &c. Reſpond. diſting. mai.: ad unionem requiritur proportio *entitativa*, neg. mai.: proportio *habitudinis naturæ terminabilis ad terminum*, conc. mai. Inverſis terminis diſting. min., & neg. conſeq. Natura igitur creata, & Verbum Divinum, infinitè diſtant in entitate; ſed cum perſonalitas Verbi ſit independens, & infinita in ratione terminandi, & natura creata ſit dependens, & claudatur intra latitudinem naturę terminabilis à perſonalitate divina, poterit hæc terminare dependentiam ipſius naturæ creatæ, quæ eſt proportio habitudinis terminabilis ad terminum, ſicut ipſe Deus in ratione objecti terminat actionem Intellectus creati, inter quem, & ipſum Deum eſt infinita diſtantia in entitate.

24 Dices primò: natura creata non eſt capax perfectionis infinitæ: erg. nec eſt terminabilis per perſonalitatem infinitam. Diſting. conſequens: erg. nec terminabilis *infinito modo* per perſonalitatem infinitam, conc. conſeq.: *modo finito*, neg. conſeq. Replica ſolùm probat, naturam creatam non eſſe terminabilem perſonalitate divina, eo modo quo per eam terminatur natura divina, ſcilicet, infinitè; non verò ſuadet, quod non poſsit terminari finito modo; ad modum quo dicimus, eſſentiam divinam perficere intellectum Beati modo ipſi proportionato, ſcilicet, finitè, & limitatè.

25 Dices ſecundò: tota infinitas perſonalitatis divinę, in ratione terminandi completur per hoc, quod terminet infinitè naturam divinam: erg. non poteſt adhùc modo finito terminare naturam creatam. Diſting. ant.: tota infinitas &c. comple-

ad intra &c. conc. ant. *ad extra*, neg. ant. Sicut enim in intellectu, & voluntate Patris duplex conſideratur infinitas in ratione principij productivi; una ad intra reſpectu divinarum perſonarum, quæq exhauritur per productionem Verbi, & Spiritus Sancti; altera *ad extra* reſpectu creaturarum, quæ primam non adæquatur: ſic paritér in divina perſonalitate hæc duplex infinitas admittenda eſt in ratione terminandi; una *ad intra* reſpectu divinæ naturæ; altera *ad extra* in ordine ad naturam creatam: & hęc non exhauritur, nèc adæquatur per primam terminationem.

26 Dices ultimò: Si Verbum aſſumeret naturam humanam ſine propria perſonalitate, non eſſet univocé homo nobiſcum; quia non haberet ultimum complementum hominis: erg. Confirm: juxta Damaſcenum lib. 3. Fidei cap. 6: *Verbum aſſumpſit totum id, quod in homine plantavit, ut totum hominem curaret*: erg. vel aſſumpſit perſonalitatem creatam (quod eſt Hæreſis Neſtoriana): vel non curavit totum quod plantavit. Urgetur: Si natura humana non aſſumeretur cum propria perſonalitate, eſſet violenta in Verbo, cum naturalitèr propenderet ad propriam: erg. &c. Reſpond. neg. ant. repli cæ, cum imbibita probatione; quia ad univocationem Chriſti Domini nobiſcum ſufficit, quod habeat eandem naturam humanam, eandemque definitionem, in qua univocatio cum cæteris hominibus fundatur. Ad confirm., in Sententia aſſerentium, perſonalitatem in *negativo* conſiſtere, dico cum Doct. cit. artic. 3. § *contra primam viam*, quod nihil probat; quia hæc eſſet inaſſumptibilis, & incurabilis.

27 In favorem vero Sententiæ de *poſitivo*, reſpond. conceſſa auctoritate, neg. conſeq. quoad utramq part. quia ex quo non aſſumpſit naturam cum propria perſonalitate, non ſequitur, non curaſſe perſonalitates aliarum creaturarum; ſicut ex quo non curaverit illam naturam, quam aſſumpſit (quia hęc nec fuit, nec debuit eſſe infirma) non ſequitur, quod intuitu ſuorum operum condignè ſatisfacientium non curaverit naturas, & perſonalitates cæterorum hominum. Ad urgent. neg. ant.; quia etſi natura humana in Verbo naturaliter propendat in proprium ſuppoſitum, non eſt tamen violenta; quia ſuperiori, & perfectiori modo terminatur, quàm ſi per propriam terminaretur. Eſſe enim violenter, eſt manere ſine propria, aut aliena

æqui-

æquivalenter, aut eminentèr ſupplente propriam ſubſiſtentiam.

28 Arguitur 3. Natura creata nequit uniri alteri perſonalitati creatę : erg. nec divinæ. Ant. videtur Doct. Quodl. 19. conſequentia infertur; quia maiorem proportionem habet natura creata cum perſonalitate creata, quàm cum divina. Confirmatur: nequit natura communicari *ut quo*, niſi proprio ſuppoſito, quod intrinſecè, & quidditativè conſtituit, & denominat tale; ſed alienum ſuppoſitum hoc non facit; cum ſupponat illam in eſſe ſimpliciter conſtitutam : erg. &c. Reſp. 1. in Sententia de *negativo* neg. conſeq., & mai. probationis, loquendo de proportione quantum ad hoc, ut poſsit ipſi uniri; quia cum perſonalitas divina ſit quid poſitivum, poterit terminare unionem; at, cum creata quid negativum ſit, nequaquam valet terminare unionem; quia ad negationem non poteſt terminari relatio realis.

29 Reſpond. 2. in Sentent. de *poſitivo*, neg. ant. quia ſic nulla apparet repugnantia, quod natura creata uniatur alteri perſonalitati creatæ; nec auctoritas Doct. facit ad rem; quia ut ait Lichetus, identitatem realem, quam videtur ponere inter naturam, & ſuppoſitum, non intelligit de identitate reali rigoroſa; quia de facto, juxta fidem, natura Chriſti humana eſt ſeparata à proprio ſuppoſito; quod utique novit Scotus : loquitur ergo de identitate latiſsimè capta, hoc eſt, in quantum cum proprio ſuppoſito habet, regulariter loquendo, maiorem affinitatem, quam cum alieno. Ad Conf. reſp. ex Doct. cit. quodl. 19. artic. 3. §. *ad illa*, neg. mai. Natura erg. ſubſtantialis dat eſſe ſubſtantiale primum ſuppoſito proprio illius naturæ; dum verò communicatur alieno, non dat eſſe primũ ſubſtantiale; quia eſſe primum ſimplicitèr ſuppoſiti divini eſt eſſe naturæ divinę. Vide Lichetum hic.

SECTIO TERTIA.

Oſtenditur poſsibilitas Incarnationis ex parte unionis hypoſtaticæ.

30 Dico 3. non repugnat incarnatio ex parte ipſius unionis hypoſtaticæ. Prob: unio naturæ humanę cum Verbo in unitate perſonæ ſic à nobis ponitur, ut in natura humana ſubjectetur, & ad perſonam Verbi terminetur; ſed ſic ſumpta unione, nullã involvit repugnantiam; & utrumque extremum dicitur unitum : erg. &c. Mai.

dictis conſtat. min. quoad 1. part. etiam patet: probatur quoad 2., in qua eſt difficultas: nequit unum extremum eſſe proprie unitum, quin ſit etiam & aliud; cum unio qua talis ſit nexus duorum; ſed per unionem ſubjectatam in natura humana, & terminatam ad Verbum, natura eſt proprie, & realiter unita Verbo: erg. & per illam Verbum eſt realiter unitum humanæ naturæ.

31 Confirmatur: Natura humana unitur Verbo, non quia recipit unionem, ſed quia fit intimè præſens ſubſtantialiter Verbo; ſed etiam Verbum fit intimé præſens ſubſtantialiter naturæ humanæ: erg. & fit realiter unitum. Mai. patet, tum; quia ſubjectari in extremo eſt accidens reſpectu unionis, aut nexus. Tum; quia licet quando ambo extrema ſunt perfectibilia, utrum que afficiatur, & perficiatur per talem unionem; ſecùs vero quando unum concurrit ut purè perficiens; ſicut in præſenti ſe habet Verbum Divinum; ſufficit enim, quod terminetur ad extremum perfectibile.

32 Arguitur 1. unio, utrumque extremum afficere debet; ſed nequit afficere Verbum Divinum: erg. &c. Probatur mai: modus eſt modificatio ejus, cujus eſt modus; ſed unio utriuſque extremi eſt modus: erg. utrumque extremum afficere debet. Confirmatur: ſi iſta unio non ſubjectatur in Verbo, non eſt maior ratio, cur Verbum ſit unitum humanitati, quam aliæ divinæ perſonæ; cum etiam per immenſitatem ſint intimé præſentes humanitati: erg. & Reſp. neg. mai., & diſting. probationem: modus eſt modificatio, vel per *inhærentiam*, vel per *terminationem* ejus, cujus eſt modus, conc mai. per *inhærentiam præciſe*, neg. maj. & conc. min. in ſenſu diſtinctionis, neg. conſeq. Ad Conf. neg. ant. & pro ſolutione vide dicta in ſolutione. 2. argumenti 1æ. Sectionis, à numero 15.

33 Replicabis: unio eſt relatio; ſed relatio utrumque extremum æquè reſpicit & afficit: erg. & hæc unio; & conſequenter &c. Confirm. Scotiſtæ admittunt in compoſito phyſico duplicem unionem; unam ſubjectatam in materia, & aliam in forma ſubſtantiali: erg. ſimiliter hic. Reſpond. neg. min.; quia & ſi relatio utrumque extremum reſpiciat; diverſo tamen modo; nam unum reſpicit tanquam ſubjectum receptionis: & aliud tanquam terminum; maximé quando terminus non eſt capax receptionis, uti ſe habet Verbum Divinum. Ad confirm. conc. ant. & neg. conſeq. Diſparitas eſt; quia

quia materia, & forma concurrunt ut ambo perfectibilia, & sunt extrema capacia novæ mutationis, & relationis realis; non sic Verbum Divinum.

34 Arg. 2. unio inter humanitatem, & Verbum nequit dici substantialis: erg. non datur. Prob. ant.: extrema unionis substantialis debent esse incompleta, ut ex ipsis fiat unum per se; sed extrema unionis hypostaticæ sunt entia completa; aliàs Verbum assumeret naturam defectuosam: erg. &c. Mai. patet; quia sicut ex duobus entibus in actu non fit unum per se, ita unio entium completorum est unio per accidens. Confirm.: in Scoti sententia unio hypostatica est modus purè respectivus, seu relatio extrinsecus adveniens: erg. non est unio substantialis.

35 Resp. neg. ant. & disting. mai. probat.: extrema unionis substantialis debent esse incompleta, dum uniuntur ad unitatem essentiæ, aut naturæ, conc. mai.: dum uniuntur ad unitatem personæ, neg. mai.; quia estò Verbum sit ens completum; natura verò humana solum est ens completum in esse essentiæ, & existentiæ, non vero in esse subsistentiæ. Ad confirm. neg. conseq.; quia licet unio sit relatio, non officit, ut substantialiter uniat; sicut unit hęc extrema, quæ substantia dicuntur: & hoc est quod docent Concilia, & PP. quia cum natura humana, & subsistentia divina quid substantiale sint, uniuntur sub ratione aliqua substantiali; & hoc non accidentaliter, sed substantialiter, ut constat ex dictis.

36 Colliges ex his, quàm ineptè aliqui R.R. dixerunt, opinionem Scoti docentis: *Unionem hypostaticam importare puram relationem extrinsecus advenientem*, sapere errorem Nestorii. Falluntur quidèm; nam hic Hæreticus asserebat, Verbum Divinum unitum fuisse humanitati solum secundùm gratiam, & affectum, seù secundùm relationem amici ad amicum; à quo toto cœlo distat purissima mens Nost. Doct. qui veram, & realem unionem constituit inter humanitatem, & Verbum; eamque substantialem in unitate unius suppositi Christi, tenet; licet puram relationem importet.

37 Colliges 2. quod etsi non possimus demonstrare positivè rationibus naturalibus possibilitatem hujus ineffabilis Mysterij, ut monuimus, numer. 4. hujus quæst. & dicemus quęstione sequenti; tamen, nulla ratione naturali poterunt contrarij demonstrare impossibilitatem Incarnationis. Ratio

in

in ſumma eſt : Verum non poteſt eſſe contrarium Vero ; ſed incarnationem eſſe poſsibilem, ſeu non impoſsibilem eſt verum, ut conſtat ex præcedentibus ſectionibus : erg. nulla ratione naturali vera poteſt demonſtrari impoſsibilitas incarnationis.

QUÆSTIO SECUNDA.

An, & quo lumine cognoſci poſſit Myſterium Incarnationis?

1 NOTO primò, quod hoc Myſterium lumine fidei infuſæ cognoſcimus, hoc eſt, propter auctoritatem Dei revelantis, ſicut & cognoſcimus Deum eſſe trinum, & unum. Undè Chriſtus Dominus rectè monebat Judæos, Joann. 5. *Scrutamini Scripturas ; quia vos putatis, in ipſis vitam æternam habere : & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.* Difficultas eſt : an hoc Myſterium cognoſci poſsit lumine demonſtrationis ex principiis cognitis lumine naturali, & ſecluſſa fide, ſicut cognoſcuntur concluſiones ſcientificæ: aut ad minùs lumine *ſuaſionis* ; vel ex conjecturis; vel ex rationibus probabilibus; vel ex ſimilitudinariis?

2 Noto 2. quod res ſupernaturales aliæ ſunt ſecundùm *ſubſtantiam*; aliæ vero ſecundùm *modum*. Supernaturales quoad ſubſtantiam ſunt, quæ ita naturam excedunt, ut nulla virtute naturali cujusvis intellectus creati deprehendi valeant: Sic eſt Trinitas perſonarum in unitate Eſſentiæ: Decretum prædeſtinationis hujus, vel illius creaturæ rationalis; nam ut ait Paul. 1. ad Corinth. cap. 2. *Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis, qui in ipſo eſt : ita, quæ ſunt Dei, nemo cognoſcit niſi Spiritus Dei.* Res ſupernaturales quoad modum ſunt, quæ licet entitativè naturales ſint, habent tamen modum exiſtendi ſupernaturalem. Sic reſtitutio viſus cœco â nativitate eſt naturalis entitativè, ſupernaturalis verò quo ad modum; quia excedit regularem modum operandi.

3 Noto tandèm, incarnationem poſſe conſiderari, vel ut poſsibilem, vel ut futuram, vel ut actu poſitam. De ipſa ſub his ſtatibus conſiderata, quæritur, an, ſecluſa fide, ſolum lumine naturali poſsit evidenter cognoſci ipſius poſsibilitas ab aliquo intellectu creato, ſive humano, ſivè Angelico? Circa quam difficultatem aliqui apud Gonet partem affirmativam tenent. Communis verò Theologorum negativam ſuſtinet. Quid nobis; per

per ſequentes concluſiones conſtabit. Sit.

PRIMA CONCLUSIO.

4 Nequit intellectus humanus ſuis viribus naturalibus poſsibilitatem, aut futuritionem incarnationis detegere poſitivé. Eſt communis, & prob. ratione fundata in Scriptura: eſſe evidenter demonſtrabilem poſsibilitatem alicujus Myſterij, & eſſe tale Myſterium Sacramentum abſconditum, & inveſtigabile, eſt quid repugnans, ut ex ſe patet; ſed juxta D. Paul. ad Epheſ. 3. *hoc Myſterium eſt inveſtigabile, & Sacramentum abſconditum à ſæculis* : erg. non eſt evidenter demonſtrabilis êjus poſsibilitas. Audi D. Aug. de hoc Myſterio Epiſt. 3. ad Voluſianum : *hic, ſi ratio quæritur, non erit mirabile : ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus Deum aliquod poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe : in talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis.*

5 Prob. Concl. ratione Doct. quodl. 14. artic. 3: relatio terminata ad ens illimitatum ſub propria, & ſpeciali ratione nequit evidenter poſitivé demonſtrari ab intellectu creato ſolis viribus naturę; ſed unio hypoſtatica eſt talis relatio, ut ex Diſp. 3. quęſt. 7. hujus conſtabit: erg. &c. Prob. mai: relatio, maxime *ſecundum eſſe*, cognoſci nequit, quin ejus fundamentum, & terminus cognoſcantur; ſed terminus iſtius relationis, utpotè illimitatus, eſt extra Sphæram objecti adequati naturalis attingentiæ intellectus creati : erg. &c. Mai. patet; quia totum eſſe relationis *ſecundùm eſſe* eſt ad aliud ſe habere: erg. nequit cognoſci, quin cognoſcatur terminus.

6 Confirm.: ut intellectus humanus naturaliter cognoſceret poſsibilitatem hujus Myſterij, deberet evidenter cognoſcere tam potentiam obedientialem naturæ rationalis ſecundum omne id, ad quod ſe extendere poteſt, quàm virtutem Omnipotentię divinæ penes ſupremum effectum, quem producere valet; ſed nequit intellectus humanus ſolis viribus naturæ evidenter cognoſcere iſtam utramque potentiam; cùm ad hoc virtus infinita requiratur : erg. &c.

7 Arguitur 1. Plurimi infideles habuerunt notitiam Incarnationis Verbi Divini : erg. &c. Confirm. maximè de Sibyllis, & præcipuè de *Erithrea*, ſeu *Cumana*, quæ de Chriſto manifeſta conſcripſit. Videatur

circa hoc Noſt. Kriſper hic citans Sixtum Senenſem, Lactantium, D. Aug. & alios. Reſp. & 1. quoad Sibyllas, quod eſt concors SS. PP. & Theologorum ſententia, eas divino inſtinctu plura vaticinaſſe de myſterijs fidei, maximé de Incarnatione; ſicque dono Prophetiæ fuiſſe ditatas. Quoad infideles dico, quod potuerunt habere notitiam Incarnationis, vel traditione tradita ab Adamo, cui revelatum fuit Myſterium Incarnationis, & talis traditio per Patriarchas ad ejus poſteros invaluit: vel potuerunt Gentiles eam habere ex communicatione cum Hæbreis, qui in pluribus captivitatibus apud varias nationes fuerunt diſperſi, & quæ in ſuis Prophetis ſcripta habebant potuerunt Gentilibus denuntiare; cum totum Hæbreorum ſolatium eſſet loqui de adventu Chriſti.

8 Arguitur 2. Intellectus humanus non judicat Incarnationem evidenter impoſsibilem: erg. judicat eam evidenter poſsibilem. Ant. ex queſt. antec. conſtat; conſeq. prob. Inter contradictoria non datur medium; ſed ſic ſunt eſſe poſsibile, & impoſsibile: erg. ſi intellectus humanus, &c. Reſpond. neg. conſeq. ad ejus prob. conc. mai., & min. neg. conſeq.; quia licet à parte rei inter eſſe poſsibile, & eſſe impoſsibile Myſterium Incarnationis non detur medium; quia contradictoria ſunt; tamen inter judicare, myſterium eſſe poſsibile, & judicare illud eſſe impoſsibile, datur medium, nempe, ſuſpenſio, aut negatio judicij. Unde ſi aliquis Philoſophus requiratur, an judicet unionem Dei cum homine eſſe poſsibilem, aut impoſsibilem? ſi non vult errare, utique ſuſpendet actum, nihil affirmando, aut negando.

9 Dices: Philoſophus poteſt ſolvere ratione naturali omnia argumenta ſuadentia impoſsibilitatem Incarnationis: imò de facto ea ſolvunt Theologi: erg. & poteſt evidenter cognoſcere, quod Myſterium Incarnationis non eſt impoſsibile; & conſequenter, quod eſt poſsibile. Reſp. diſt. ant.: Philoſophus poteſt ſolvere *negative* omnia argumenta, &c. conc. ant.: *poſitivè* neg. ant. & conſeq. Vide dicta num. 3. quæſt. antec. Addo, quod etſi Philoſophus ſolveret evidenter omnia argumenta ſibi oppoſita contra poſsibilitatem Incarnationis, adhuc non poſſet judicare, nullum eſſe aliud argumentum efficatius, quod talem poſsibilitatem demonſtret.

Idem

Idem dicendum de Theologo, ſecluſo lumine fidei ; nam hoc ſuppoſito , ſolvit argumenta, ut videbimus concluſ. 3.

10 Arg. 3. Ratione naturali oſtenditur , hoc Myſterium eſſe credibile evidenter : erg.& eſſe poſsibile. Reſp. neg. conſeq; nàm aliunde ſumitur poſſibilas rei , aliunde credibilitas. Poſsibilitas enim provenit ex principijs proprijs , ac internis illius rei , à quibus habet , quod non repugnat eſſe ; credibilitas vero ſumitur ex auctoritate dicentis fidedigni. Unde, quo quis judicatur magis verax in dicendo, eo firmiùs , & facilius ei creditur , etſi in re falſum diceret. Prętereà , ad evidentiam credibilitatis requiritur revelatio , & ſic ſimiliter ut oſtendatur poſsibilitas Incarnationis.

SECUNDA CONCLUSIO.

11 INtellectus Angelicus ſua vi naturali non poteſt detegere poſsibilitatem Incarnationis. Eſt communis , & expreſſa Scoti in 3. diſt. 25. quæſt. 1. num. 12. ubi docet , Angelos non cognoviſſe Myſterium Incarnationis ante Chriſti adventum , & prædicationem Eccleſię. Et licet dicat , quod Angelus, qui annuntiavit eam , noverit ipſam antequam eſſet completa, non dicit quod noverit naturaliter , ſed ex revelatione ſpeciali ſibi facta. Prob. 1. ex ſcriptura: Satan non novit Chriſtum , ut Dei filium , ſed ſolum dubitavit , dum tentavit eum , ut ſciret , ſi filius Dei erat; ſed intelligentia naturalis tanta eſt in malis , quam in bonis Angelis: erg.&c. Confirm: de bonis Angelis intelligitur , quod Chriſtum aſcendentem in Cœlum non agnoſcebant ; ideó que interrogabant : *quis eſt iſte Rex gloriæ?* erg. &c.

12 Prob. 2. concl. ratione : medium, quo Angelus poſsibilitatem Incarnationis demonſtraret , eſſet vel Verbum Divinum, vel unio hypoſtatica, vel ipſa natura humana aſſumpta ; ſed nullum ex his poteſt eſſe tale medium : erg. &c. Min. quoad 1. part. patet ; quia ut docent Theologi in Materia de Trinitate , Angeli non poſſunt naturaliter cognoſcere Trinitatis Myſterium claré, & diſtinctè; quod erat neceſſe , ut ex cognitione Verbi tanquam medio Myſterium incarnationis evidenter demonſtrarent ; cùm ad evidentem cognitionem alicujus compoſiti , requiratur evidens cognitio partium ipſius. Min. quoad 2. part. conſtat ex dictis ex concluſione prima hujus à num. 5. Vide ibi.

13 Prob. eadem min

quoad 3. part: prędicata naturę humanæ aſſumptæ ſunt ordinis naturalis : erg. nequeunr eſſe medium Angelo ad probandum naturam eſſe ordinabilem ad ſuppoſitum divinum. Prob. conſeq: ſi poſſent eſſe tale medium, maximè, quia natura eſſet ordinabilis ad tale ſuppoſitum ratione inclinationis naturalis ad illud ; ſed natura humana non eſt ſic ordinabilis : ergo, &c. Prob: min. in natura humana ſolùm eſt mera non repugnantia, aut potentia obedientialis, ut poſsit aſſumi á Verbo : ergo, ratione inclinationis naturalis ad Verbum non eſt ordinabilis. Ant. eſt communis ſententia : nunc ſic ; ſed hæc potentia obedientialis non poteſt naturaliter cognoſci, ut conſtat ex confirm. concluſ. antec, erg. &c.

14 Arguitur 1: evidens eſt Angelo, Deum poſſe quidquid non repugnat ; ſed etiam eſt ei evidens, unionem hypoſtaticam non repugnare : erg. evidens eſt Angelo, Deum poſſe uniri hypoſtaticè. Prob. min: evidens eſt Angelo, Deum eſſe ſubſiſtentem, & independentem in ratione perſonæ: et etiam perſonalitatem creatam eſſe diſtinctam, & ſeparabilem á natura : erg. evidens eſt ei, unionem hypoſtaticam non repugnare. Reſp. neg. min. ; quia licet in univerſali cognoſcat Angelus, Deum poſſe quod contradictionem non involvit ; tamen, nequit cognoſcere tantam capacitatem, & potentiam obedientialem in natura humana, nec poteſt Omnipotentiam comprehendere, ut conſtat ex dictis. Imó, eſto Angelus cognoſceret diſtinctionem perſonalitatis à natura humana, adhuc poſſet dubitare de ejus ſeparatione actuali ; cùm hæc non ſit ſignum unicum diſtinctionis realis.

15 Arguit. 2. : De facto Dœmones ſciebant, Chriſtum eſſe Deum, & Filium Dei; ſed hoc non ſciebant per revelationem ; cum eſſent incapaces tanti beneficij : erg. per propriam virtutem naturalem cognoverunt hoc myſterium. Maj. conſtat ex illo Math. 8. *Quid nobis, & tibi Jeſu Fili Dei ? veniſti huc ante tempus torquere nos.* Et ex illo Luc. 4. *Exibant autem Dœmonia à multis clamantia, & dicentia : quia tu es filius Dei, & increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.* Notetur hæc cauſalis ; *quia ſciebant.* Aliqui negant min. arg. ; quia ante lapſum ipſius revelata fuit Incarnatio, ex qua ſumpſerunt ocaſionem ſuæ rebellionis ; ſed reſp. quod

Dœ-

Dœmones ſolum conjecturalitèr ex divinis Scripturis, ac miraculis Chriſtum cognoverunt; non verò certò, & evidentèr; quia ſi ſic cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifigi ſuggeſiſſent; ſed potius noſtram redemptionem impediviſſent, ut docet Doct. in 4. diſt. 10. quæſt. 8. §. *ad Argumenta.*

16 Nec obſtat illa cauſalis Lucæ; nam ly, *quia ſciebant* &c, non ſumitur ibi cauſalitèr; ſed hiſtorialitér, & narrativè, hoc eſt, Chriſtus non ſinebat Dœmones aſſerere, quod ſciebant illum eſſe Filium Dei; tum; quia mentiebantur illi, cum ſignificare intenderent, ipſos certò illum cognoſcere, quem ſolùm conjecturalitèr noſcebant. Tum; quia id maximè aſſerebant ad explorandum, an revera ita eſſet; ſicut dum acceſsit tentator, dicens: *Si Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant.*

17 Arguit. 3: Angeli poſſunt cognoſcere naturalitèr reſurrectionem hominis eſſe poſſibilem ob immortalitatem animæ: erg. & poſsibilem eſſe incarnationem. Neg. ant.; quia poſsibilitas reſurrectionis à ſola Dei voluntate, & potentia pendet; & ſic à nulla cauſa naturali attingi valet, adhuc Angelica. Sed hoc admiſſo, neg. conſeq.; quia miraculum reſſurrectionis eſt tantùm ſupernaturale quoad modum; unio vero hypoſtatica eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, habens pro termino aliquid divinum, quo non intellecto, nequit intelligi talis unio. Quare, etſi reſurrectio cognoſci valeat naturalitér, ut poſsibilis, minimè verò Incarnatio.

18 Arguitur 4.: Doct. in 4. diſt. 10. quæſt. 8. in ſolut. ad 3. ait de Angelis malis: „ Dico, quod abſolutè, „ ſi permittatur quicumque Angelus „ uti ſua potentia cognoſcitiva „ naturali, poteſt intelligere „ quodcumque intelligibile cauſatum, & per conſequens poſſet intelligere cogitationes „ cordium, & Myſteria gratiæ: erg. Incarnationis Myſterium jam poſitum in rerum natura. Hoc & repetit reſpondens ad quandam auctoritatem D. Amb. Aliqui reſpondent, Sco. tum loqui, non de cognitione certa, & evidenti, ſed de arguitiva, & conjecturali. Sed de hac reſponſione citò. Nunc tamen.

19 Reſp., Scotum ibi loqui de Myſterijs gratiæ, quæ non involvunt ordinem ſecundum eſſe ad ens illimitatum; quod ſufficiebat, ut ſalvaret, Angelum poſſe naturali ſua virtu-

tute videre Corpus Chriſti in Euchariſtia, ſi non impediatur. Cúm autem idem videtur aſſerere de Myſterio Incarnationis: reſpond. quod non loquitur de tali Myſterio abſoluè, ſed de aliquibus ejus circunſtantijs, ſcilicet, de integritate corporis, & mentis B. Mariæ, quam integritatem, ſi permitteretur, poſſet Angelus cognoſcere equé, ſicut tactum digiti ad digitum; quia hoc non ſuperat captum, & intelligentiam Angeli; ſed non fuit Dœmoni permiſſum, nè noſtra impediretur redemptio. Videat. Venerab. Mater Maria à Jeſû de Agreda part. 2. l. b. 3. cap. 26., num. 326. cui conſona hæc doctrina eſt.

20 Dubitab. hic pro intelligentia 1ę. ſolut. huic arg: àn, ſaltim Angelus poſsit naturaliter attingere hoc Myſterium in actu poſitum *arguitivè*, & per evidentem illationem? Scotiſtæ apud N. Maſtrium in 2. diſp. 2. quæſt. 10., pluſquam ęquum eſt, inter ſe circa hoc diſputant. Sed cum hæc materia tractata ſit in tom. 3. de Angelis, diſp. 3. quæſt. 4. per totam; ideo concordando inter ſe oppoſitos Scotiſtas, brevitér ſub diſtinctione *reſpondeo*, quod ſi teneatur, perſonalitatem in *poſitivo* conſiſtere; & non poſſe naturam carere omni ſubſiſtentia, nec alia creata terminari; tunc poterit Angelus hoc Myſterium ſic cognoſcere. Secús verò, ſi teneatur, quod perſonalitas in *negativo* conſiſtat, & quod poſsit natura divinitùs carere omni ſubſiſtentia, aut alia creata perſonari; tunc negativè reſpondeo.

21 Prima pars conſtat; quia ſi Angelus videret Humanitatem Chriſti v.g. extra ſuas cauſas ſingularem, & propria perſonalitate carentem; ex hoc arguitive, & per evidentem illationem inferret: ergo eſt perſonata in alieno ſuppoſito; ſed non creato, juxtà ſuppoſitionem factam: erg. eſt perſonata in ſuppoſito Divino. Secunda pars etiam prob: quia ſi Angelus videret Chriſti humanitatem non eſſe in proprio Suppoſito perſonatam, ſtante ſuppoſitione, quod, vel poſsit eſſe ſine omni ſubſiſtentia, vel alia creata perſonari; non eſt undé evidenter arguitivè inferat Angelus: erg. ſubſiſtit in divino ſuppoſito; quia poteſt eſſe ſine omni, vel cum creato. Videantur N. Maſtrius, & cursùs Provinciæ citatus.

TERTIA CONCLUSIO.

22 DIvina revelatione ſuppoſita, poteſt intellectus creatus lumine natu-

turali hoc Myſterium ſuadêre ex Prophetis,& miraculis;& hoc varijs exemplis, & conjecturis. Pr. 1: ſic potuerunt cognoſcere Judæi: erg. &c. Prob. ant: Judęi reprehenduntur, quia ipſum non cognoverunt, ſuppoſitis his, quę de Chriſto erant ſcripta apud Prophetas; ſed malè reprehenderentur, ſi non poſſent cognoſcere: erg. &c. Conf: M. P. Aug. & Athanaſ. conati ſunt hoc Myſterium ſuadêre hoc exemplo: *ſicut anima rationalis, & caro unus eſt homo, ita Deus, & homo unus eſt Chriſtus.* N. Doct. in 3. diſt. 1. queſt. 1. art. 2., utitur exemploaccidentis, & ſubjecti.

23 Sed quia exemplum non eſt identitas, ideo neceſſe eſt, quod inter hæc exempla, & hoc Myſterium aliquæ notentur diſconvenientiæ. In primo notantur hæc: quod Corpus, & anima ſunt partes incompletæ, uniuntur per modum actus, & potentiæ, & ex his, non ſolum una perſona, ſed etiam una natura reſultat: hæc erg., & aliæ imperfectiones non reperiuntur in unione naturæ cum Verbo. Pro 2. exemplo N. Doct. nota, quod accidens duplicem dicit relationem ad ſubjectum: 1. eſſe informantis ad informatum, quæ dicit imperfectionem, & potentialitatem in ſubjecto: propterea, que à Deo eſt relegarda. 2. eſt relatio ſuſtentati naturaliter poſterioris ad ſuſtentans prius, ut à termino a quo dependet: et hęc nullam imperfectionem in ſubjecto dicit, ſed ſolum dicit eſſe proprietates naturales in illo,& ſuſtentationem accidentis, quod eſt nota perfectionis. Hoc erg. notato;

24 Dico, quod unio accidentis cum ſubjecto in plurimis conuenit cum unione hypoſtatica. 1: ſicut ſubjectum ſuſtentat accidens, & accidens à ſubjecto dependet; ſic Verbum Divinum ſuſtentat naturam humanam, & hęc dependet ab illo ſpeciali quodam modo. 2: accidens, & ſubjectum ſimul unita unum quoddam ſuppoſitum efficiunt, ita etiam Verbum Divinum, & natura humana, licet duæ ſint naturę. 3: accidens advenit ſubjecto jam exiſtenti, & ita humanitas Verbo. 4: accidens non eſt de eſſentia ſubjecti, nec humanitas de eſſentia Verbi. 5: natura ſubjecti non confunditur, nec permiſcetur cum natura accidentis; & ſic etiam nec natura humana cum divina. 6: tandem: ſicut proprietates accidentis, & ipſum accidens in concreto communicantur ſubjecto, ac de eo enuntiantur & è converſo; ita proprieta-

tes

tates naturæ humanæ, & ipſa natura, communicantur in Verbo, & de eo enunciantur, & è contra, ut conſtabit agendo de communicatione Idiomatum.

DISPUTATIO SECUNDA. DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS.

ESTò multi hęretici nobiſcum conveniant, etſi difficultèr, in aſſerenda poſsibilitate hujus Myſterii; tamen cum Gentilibus dicunt, indignam, indecoramqué eſſe Deo Incarnationem. Quarè meritò, jam poſsibilitate ſtabilita, in hac Diſputatione aperiemus rationes congruentię, decentiæ, & convenientiæ. Sit erg.

QUÆSTIO PRIMA.

AN CONVENIENS FUERIT, Deum incarnari?

1 NOto 1, quod hic per convenientiam intelligitur congruentia quędam explicata per habitudinem, vel relationem ad illa, quibus congruit; cùm erg. Myſterium Incarnationis dicat reſpectum, 1. ad Deum, ut Auctorem; 2. ad naturam humanam, ut aſſumptam; & 3. ad totum Univerſum, ut aliquomodo in homine contentum; hinc ex hoc 3. capite convenientia hujus Myſterij petenda eſt. Noto 2. quod cum Deus ſit bonorum omnium prętantiſsimum, & bonum ut tale ſit ſui diffuſivum, ipſi Deo maximè convenit ſui ipſius diffuſio, & communicatio ad extra. Hæc autèm multiformitèr fit.

2 Primó: communicatur in ordine naturæ, elargiendo creaturis omnia bona naturalia

eis

eis connaturaliter debita pro earum integritate, & perfectione. 2. in ordine gratiæ, conferendo naturę rationali dona illa gratuita ſupernaturalia, quibus ad ordinem, & finem ſupernaturalem promoveri poteſt. 3. in ordine gloriæ, exhibendo puriſsimis mentibus omnes ſuæ divinitatis divitias, ut illas conſpiciant, & illis fruantur. 4. deniqué ſe communicat in ordine divinitatis per unionem hypoſtaticam, qua ſecunda ex tribus divinis Perſonis, Verbum Divinum, ſe communicat humanę naturæ per propriam ſuam ſubſiſtentiam, efficiendo, ut in homine *inhabitet tota plenitudo divinitatis corporaliter*. De hac erg. communicatione in præſenti quæritur, an, & quibus conveniens fuerit? procujus reſol. ſit.

PRIMA CONCLUSIO.

3 VErbi Divini Incarnatio fuit maximè conveniens Deo. Eſt communis inter SS. PP., & Theologos. Prob: quod conducit ad manifeſtandas divinas perfectiones, Deo congruit; quia teſte Apoſt. ad Rom. 1: ad hunc finem totum condidit univerſum: *inviſibilia enim Dei per ea quę facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas*; ſed in Verbi Divini Incarnatione mirum in modum manifeſtantur hę divinæ perfectiones: *bonitas, Omnipotentia, ſapientia, miſericordia, & juſtitia*: erg. &c. Min. prob. per partes:

4 Prob. 1. de *bonitate*: bonum eſt ſui communicativum; ſed per incarnationem Deus hominibus communicatur: erg. &c. Deindé, ex hoc ineffabili Myſterio, bonitas, charitas, & liberalitas Dei erga nos commendantur; nam Joann. cap. 3. dicitur: *ſic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret*. Et Apoſt. ad Rom. 8. ait: *qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* erg. &c. Prob. 2. de *Omnipotentia*: quo extrema magis diſtant, potentia illa conjungens magis manifeſtatur; ſed creatura, & Deus in infinitum diſtant: erg. in eorum conjunctione reſplendet divina Omnipotentia. Quare Habacuc hoc opus, *opus Dei* per antonomaſiam vocat. Et Jierem. 31., ipſum, *novum* appellat dicens: *Creavit Dominus novum ſuper terram, mulier circundabit virum*.

5 Prob. 3. de divina *Sapientia*: Quid enim ſapientius, quàm invenire medium, quo divina juſtitia cum miſericor-

dia ſua reconcilietur, & quo humana natura a Dœmone victa, de Dœmone triumpharet? Unde canit Eccleſia: *Ars ut artem falleret, & medelam ferret inde, hoſtis unde læſerat.* Videat. circa hoc M. P. Aug. lib. *cur, quando, & quomodo Deus*, cap. 6. Prob. 4. de divina miſericordia; quia eſto Deo proprium ſit miſereri ſemper, & parcere, maximè poſt hoc Myſterium; nam per ipſum induitur, & afficitur miſerijs noſtris, uti ſi eſſent propriæ. Quapropter Apoſt. ad Hebræos 2. ait: *per omnia debuit fratribus aſſimilari, ut miſericors fieret*: erg. in hoc Myſterio, &c.

6 Prob. tandem de divina *Juſtitia*; nam ex acerba Chriſti Paſsione pro peccatis hominum, condignaque ſatisfactione petita pro ipſis, clarè oſtenditur ſeveritas, & vindicatio divinæ juſtitiæ; quapropter Paul. ad Rom. 3. ait: *quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in Sanguine ipſius, ad oſtenſionem Juſtitiæ ſuæ, propter remiſsionem præcedentium delictorum in ſuſtentatione Dei*: erg. in hoc ineffabili Myſterio Incarnationis relucet divina Juſtitia, cum cæteris attributis jam relatis, & conſequenter convenit Deo.

7 Arg. 1: carnem aſſumere dedecet ſummam Majeſtatem Dei: g. non convenit Deo. Conſeq. infert.; prob. ant: carnem aſſumere arguit contemptionem, abjectionem, & humiliationem; ſed hæc omnia dedecent Deum: erg. &c. Reſp. neg. ant. ad prob. diſt. mai: carnem aſſumere arguit contemptionem in Deo ratione ſuæ Deitatis, neg. mai: ratione naturæ aſſumptæ, & ſibi unitæ, conc. mai: inverſis terminis diſt. min. & neg. conſeq. Itaque abjectio ex parte Deitatis dedeceret utiquè Deum, qui invariabilis eſt; at non eſt indecora ratione naturæ aſſumptæ: ſicut non dedecuit iſtam quandoquè apparere infirmam ad oſtenſionem ſuę fortitudinis. In hoc enim quod infirmam, & humilem carnem aſſumpſit, ſuperbum, & fortiſimum Diabolum confregit, hominem humilem, & infirmum exaltando, & ſtabiliendo. Ex hoc ergo ſumma gloria Dei oſtenditur, qui infirma mundi elegit, ut confundat fortia, & exaltet humiles.

8 Dices: ſicut nimia elatio eſt vituperabilis, ita nimia dejectio: erg. ſicut nimia elatio, qua Angelus apetiit eſſe Deum, eſt vitupera bilis, ita, & nimia dejectio, qua Deus fieret homo. Urgetur: non magis diſtat creatura à Deo, quam Deus à creatura; erg. ſicut creaturam appetere eſſe Deum, eſt nimia, & vitupe-

ran-

randa exaltatio, ſic erit Deum fieri hominem. Reſp. 1. neg. conſeq. Diſparitas eſt; quia Deus in aſſumptione humanitatis non humiliatur ratione Deitatis; quia Verbum humanam ſuſcipiens naturam non amiſit Divinam; cum verò Angelus appetijt eſſe Deum, optavit efferri ultra ſtatum naturalem ſui; ideoque hæc exaltatio vergebat in vitium, & fuit vituperabilis; ſecus verò illa exinanitio.

9 Reſp. 2., quod exinanitio Dei ratione naturæ aſſumptæ fuit ex exceſſu amoris, & charitatis; *nam propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, miſit Deus filium ſuum.* Charitas autem Deo placens eſt; exaltatio vero illa, qua Angelus appetijt eſſe Deum, fuit ex exceſſu ſuæ præſumptionis, quæ præſumptio vituperabilis eſt, Deoque odibilis. Ex hoc conſtat, quod elatio naturæ Angelicæ fuit nimia, & vituperanda; non vero dejectio Dei in natura aſſumpta. Perquod etiam patet ad urgent.; nam omiſſo antec. neg. paritas conſeq.

10 Arguitur 2: injuria fit Deo, ſi haberet aliquam effigiem creatam, & corpoream; ſed eam haberet, ſi revera factus fuiſſet homo: erg. &c. Min. & conſeq. tenent.; mai. eſt Ap. Act. cap. 17. dicentis: *non enim debemus æſtimare auro, aut argento, aut lapidi ſculpturæ artis & cogitationis hominis, Divinum eſſe ſimile.* Reſp. diſt. mai: iniuria fit Deo habere aliquam effigiem corpoream *ſecundum Deitatem*, ſicut æſtimabant Gentiles Idolatræ, conc. mai: ſi eam ſolum haberet ſecundum humanitatem aſſumptam, neg. mai.; quo ſenſu diſt. min. neg. conſeq. Apoſt. ergò ibi loquitur in primo ſenſu contra Idolatras Gentiles, ut ex ipſo textu conſtat; non vero in 2. ſenſu.

11 Arguit. 3: quod iniuſtum eſt non exaltat juſtitiam; ſed punire innocentem in juſtum eſt: erg. non exaltat juſtitiam. Nunc ſic; ſed in Incarnatione Innocens Chriſtus punitur: erg. hoc Myſterium non exaltat divinam Juſtitiam. Reſp. diſt. min: injuſtum eſt punire Innocentem abſque ulla obligatione ſatisfaciendi, conc. min.: Innocentem inſe voluntariè transferentem talem obligationem, neg. min.: & ſic diſtincta ſubſumpta, neg. conſeq. Chriſtus ergo Dominus oblatus eſt, quia ipſe voluit: & verè languores noſtros ipſe tulit, & iniquitates noſtras ipſe portavit; tranferens inſe ipſum obligationem ſatisfaciendi pro peccatis noſtris. Undè, ſicut in humanis à *fidei-juſore* exigitur debitum, & quidem juſtè, quando debitor ſolvere non poteſt; ita exigitur à Chriſto condigna ſatisfactio. Aliter Dicó, quod pu-

nire Innocentem per modum punitionis, & vindictæ, eſt injuſtum; quia cum in vindicta attendatur peccantis iniquitas, ſolùm plecti debet ille, qui peccavit; non vero eſt injuſtum punire innocentem per modum ſatisfactionis, & reparationis; quia in ſatisfactione pro alio ſpectatur ſatisfacientis Charitas: & ſic in ſatisfaciendo unus poteſt ferre pœnam pro altero.

12 Arguit. 4. Magis reluceret miſericordia relaxando homini debitum, quam exigendo ſatisfactionem: erg. convenientius fuiſſet Deo condonare peccatum, quàm carnem aſſumere. Ex ipſo argum. ſequitur noſtra Concl, ſcilicet, quod conveniens fuit Deo, exigere ſatisfactionem per Verbi Divini Incarnationem. Sed reſp. omiſſo ant. neg. conſeq; quia convenientius eſt id, in quo ſimul relucent miſericordia, & juſtitia, quam id, in quo ſola miſericordia fulget; cum Deus ſummè juſtus, ſummequé miſericors ſit. Unde, ſi Deus culpam non dimiſiſſet, & ſolam exercuiſſet vindictam, non appareret miſericordia: ſicut ſi non exegiſſet Satisfactionem, non manifeſtaretur juſtitia; cum tamen in vijs Domini *miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi; juſtitia, & pax oſculatæ ſunt.*

13 Arguit. 5: ſaltem Incarnatio eſt diſconveniens Patri, & Spiritui S.: erg. non eſt admittenda. Prob. ant: ex Incarnatione ſequitur, quod plús debeamus amare Verbum, quàm Patrem, & Spir. S.; ſed hoc ipſo eſt ipſis diſconveniens: erg. &c. Prob. mai: maior amor debetur plús benefacienti; ſed Verbum Div. nobis contulit plura beneficia, quàm Pater, & Sp. S.; quia pro nobis incarnatus, paſſus, & mortuus eſt, & à morte nos redemit: erg. ex Verbi Incarnatione &c. Urgetur: Verbum Div. ſpeciali modo Deum obligavit, ut offenſam remitteret, quo non obligavit Pater, nec Sp. S; ſed hæc ſpecialis obligatio ſpecialiter nos obligat ad Redemptorem noſtrum: erg. &c.

14 Reſp. neg. ant, & mai, prob.; & ſimiliter min, prob. iſtius; quia nullum beneficium poteſt nobis præſtari ab una perſona divina, quin præſtetur ſimul à tribus, licet beneficium fiat ſpecialiter ab una, cum volu ntas, & potentia á quibus beneficium fit, ſint toti Trinitati communes. Unde etſi pati, mori &c. denominativè, & terminativé ſint ſpecialiter Verbi, quia opera facta ab Humanitate in Verbo ſubſiſtente; effectus tamen, & affectus eſt trium Perſonarum. Ex quo, licet ſpeciali titulo teneamur amare Redemptorem noſ-

noſtrum, attento præcisé modo beneficiorum; non tamen titulo augente dignitatem amoris, vel ſubſtantiam debiti; nam quoad ſubſtantiam, omnia beneficia nobis collata à tota Trinitate ſunt: & ſic toti Trinitati debitores ſumus. Per hoc patet ad urgentiam.

15 Ut alia argum. ſolvantur, nota, quod dum dicimus, Incarnationem eſſe convenientem Deo, non loquimur de convenientia lucrativa, aut dignitatem intrinſecam importante; hæc enim repugnat Deo, utpotè ſummè, & infinité undequaquè bono; loquimur ergo de convenientia puram decentiam, aut laudabilitatem extrinſecam afferente: & hæc certé convenit Deo, cum per Incarnationem faciat ſibi Deus perpetuos laudatores, inter quos ipſemet Chriſtus Domin., ejuſque Puriſsima Mater, alijque magni Heroês, qui inceſſabilitèr, & perpetuo pro tanto beneficio, & Myſterio Dominum laudant.

SECUNDA CONCLUSIO.

16 VErbi Div. Incarnatio conveniens fuit toti Naturæ humanæ: imo, & univerſo. Eſt communis. 1. pars conſtat referendo beneficia nobis præſtita à Chriſto Domino: meruit nobis gratiam, & gloriam, diabolum vicit, carnem ab origine vitiatam ſanavit: per ipſam corpora noſtra facta ſunt membra Chriſti, & Templa Spiritus Sancti, & alia hujuſmodi, quæ referentur decurſu hujus Tractatus: ergo Verbi Div. Incarnatio conveniens fuit toti naturæ humanę. 2. pars concl. etiam conſtat, tum, quia omnis creatura virtualiter continetur in homine, qui verè dicitur *Microcoſmus*, ſeu parvus mundus. Tum, quia ante Incarnationem erat in univerſo generatio ſine viro, & fœmina, ut Adami; generatio ex viro ſine fœmina, ut Evæ: generatio ex viro, & fœmina, ut eſt noſtra; poſt Incarnationem vero eſt generatio ex fœmina ſine viro; ſed hæc varietas ornat univerſum: erg. Incarnatio univerſo decet. Tum tandem, quia Chriſtus Dominus meruit Angelis gratiam, & bonis augmentum ipſius: erg. fuit ipſis conveniens.

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrum convenientius fuèrit aſſumere naturam humanam, quàm irrationalem, aut Angelicam?

1 COncluſio: convenientius fuit Naturam

ram humanam aſſumere, quam Irrationalem, vel Angelicam. Concl. eſt communis, & ſatis conſtat ex eo, quod cùm divina ſapientia omnia in pondere, numero, & menſura operetur; hinc eſt, quod cùm aſſumpſerit naturam humanam, hoc convenientius viſum fuit. Prob. tamen 1. pars: minus congruum videbatur aſſumere naturam incapacem Beatitudinis, quàm illam, quæ capax eſt ipſius; ſed natura irrationalis incapax eſt Beatitudinis, natura vero humana capax eſt: ergo convenientius fuit hanc aſſumere, quàm illam.

2 Prob. 2. pars primò: magis congruum videbatur aſſumere naturam, cujus ruinam reparare magis congruum erat; ſed erat magis congruum reparare naturam humanam, quàm Angelicam: erg. &c. Mai. conſtat; quia magis congruum eſt, ut frater reparet fratrem, quam qui non eſt frater. Prob. min: tota ſpecies humana cecidit in adamo (excipe pijſsimam Matrem, ejuſque Immaculatum filium): non vero tota natura Angelica; imò, ut ait Noſt. Marian. Doct. ejuſdem ſpeciei Angelicæ aliqui ceciderunt: alij vero in gratia permanſerunt; ſed magis congruum eſt reparare naturam ſpecificam, quæ tota ceciderat, quàm Angelicam, quę tota non perierat: erg. &c. Confirm: reparando naturam humanam, aliquomodò reparabatur Angélica: non vero è contra: ergo magis congruum &c. Prob. ant: lapſus Angelorum aliquomodo reparatus fuit per homines, ipſos ſublevando ad eorum ſedes; lapſus vero humanus non poterat reparari per aliam naturam corpoream inferiorem humana; quia iſta eſt incapax Beatitudinis. Videatur D. Aug. in Enchirydio cap. 28.

3 Prob. 2. hæc pars: lapſus hominum fuit minùs ſpontaneus, liber, & malitioſus, minuſque gravis culpa, quam lapſus Angelorum: erg. natura humana fuit minùs indigna divina miſericordia. Prob. ant: homo peccavit ſuaſione mulieris, & Diaboli, & ex affectu uxoris ſolicitantis, à Dæmone deceptæ; Angelus verò peccavit ex certa ſcientia, ex propria malitia, & inordinato ſui amore; & tandem peccavit peccato in Spiritum Sanctum, quod eſt irremiſibile: ergo magis congruum fuit, ut qui per alium ceciderat, cum per ſe ſurgere non poſſet, per alium miſericorditer relevaretur, qualis fuit homo; ſecùs vero ille qui non alterius aſtutia, ſed propria ſua malitia lapſus fuit, uti fuit Angelus.

4

4 Arguit. 1: magis appareret miſericordia, ubi maior eſt miſeria; ſed in Angelis malis eſt maior miſeria; cum gravius fuerit eorum peccatum, quàm hominum: erg. in reparatione illorum magis appareret miſericordia; & conſequenter congruentius fuiſſet aſſumere naturam Angelicam, quàm humanam. Confirm: congruentius fuiſſet incipere redemptionem ab illo, à quo ſumpſit exordium prævaricatio; ſed hæc incæpit ab Angelo, qui totius prævaricationis fuit auctor: erg. &c.

5 Reſp. neg. min. primò; quia ut dictum eſt in 1. probatione, non tota natura Angelica perijt, benè verò tota humana cecidit in capite: & ſic maior fuit horum miſeria. 2; quia etſi miſeria, & peccatum Angelorum maius ſit; quia tamen ſemèl lapſi, firmam in malo voluntatem habent, nec humiliari, & agere pœnitentiam volunt, merito divinæ Redemptionis incapaces fiunt. Ex quo ad confirm. neg. abſolutè mai., tam propter dicta hic, quàm in 2. probatione. Videat. N. Seraph. Doct. hic, aliam afferens ſolutionem.

6 Arg. 2: Natura Angelica maiorem habet affinitatem cum Deo, quàm humana: erg. magis unibilis fuit Deo; & conſequenter &c. Conſeq. conſtat; quia unibilia debent habere quandam proportionem ad invicèm. Ant. eſt D. Iſidori in lib. de Trinit. dicentis: *quanto ſubtilior eſt natura, tantò plenius aſſiſtit ad ſimilitudinem divinæ unitatis expreſſa*: erg. cum natura Angelica ſit ſubtilior humana, etiam dicit maiorem affinitatem cum Deo. Reſp. conc. ant. neg. conſeq: natura ergò humana maiorem dicit ſimilitudinem cum divina in ratione unibilis, quam Angelica; etſi hæc maiorem affinitatem dicat in ratione eſſentiæ, quam illa. Ratio eſt; quia ratio perſonæ, per quam Deus unibilis eſt homini, magis exprimitur per hominem, quia ab altero originem ducit, quàm per Angelum, qui ita non procedit ab alio Angelo. Videat. Seraph. Doct. in 3. diſt. 2. quæſt. 2.

7 Arguitur 3: Tam peccatum hominis, quàm Angeli fuit mortale; ſed peccatum mortale, utpotè mortem æternam inducens eſt irremediabile: erg. vel æque conveniens fuit utramque naturam aſſumere, vel nullam reparare. Reſp. diſt. min: ſed pecatum mortale eſt irremediabile, vel *negativè*, vel *contrariè*, vel *privativè*, conc. min: ſolum *negative* vel *contrariè*, neg.

neg. min. & conſeq. Triplici modo dicitur peccatum mortale irremediabile. 1. *negativè*, quod nullo modo remitti poteſt, uti peccatum Angelorum, & hominum Damnatorum. 2. *contrariè*, & eſt, quando eſt ſub contrarijs diſpoſitionibus ad hoc ut remitti valeat; ſic eſt peccatum in Spiritum S., v. g., deſperatio, & præſumptio, quę ſunt ſub diſpoſitionibus contrarijs ad remiſsionem. 3. *privativè*: & eſt, quod nihil inſe dignum habet, ut remitti debeat: & hoc modo erat irremiſsibile peccatum hominis: & cum hoc ſtat, quod ex Dei miſericordia remitti poſsit.

8 Queres 1. Utrum convenientius fuerit filium Incarnari, quàm aliam divinam perſonam? Reſp. affirmativè. 1.; quia Dei Imago per peccatum perierat: erg. congruentius eſt reparari per Dei Imaginem, quæ eſt Divinum Verbum. 2.; quia ex Joann. 1.: *omnia per Verbum facta ſunt*: erg. & omnia per ipſum reparari debebant. Tandem; quia ſi alia perſona carnem aſſumeret, eſſent duo filij intrinſecè: ille, qui ab æterno eſſet filius Patris Eterni: & ille qui in tempore eſſet filius Virginis Matris; ex quo aliqua ſequeretur confuſio.

9 Quæres 2: An convenientius fuerit Chriſtum D. naſciex propagine Adami? Reſp. affirmativè: ratio; quia congruentius eſt, ut ſatisfaciat ille qui peccat, vel alius ex ejus genere; ſed hoc non fieret, ſi non aſſumpſiſſet naturam ex progenie Adami: erg. &c. Dices: erg. convenientius fuit, ut aſſumeret naturam individuam ipſius Adami, quod non conceditur. Neg. conſeq.; quia cum talis natura individua Adami infecta eſſet peccato, non erat decens ut uniretur alicui divinæ perſonæ; & ſi abſoluté non eſſet repugnans.

10 Quæres 3: An convenientius fuerit humanitatem Chriſti aſſumi ex ſola Virgine, quam ex viro, & fœmina? Reſp. affirmative. 1., ut qui Patrem Virginem in Cœlis habebat, haberet in terris Virginem Matrem. 2.; quia hoc magis commendat Chriſti puritatem. Tandem; quia ut ait Anſelm. hic modus nativitatis exigebatur, ut qui fecerat hominem ſine viro, & fœmina; & fœminam ex viro ſine fœmina: & homines ex viro, & fœmina; faceret etiam virúm ex fœmina ſine viro.

11 Quæres ultimo: An convenienti tempore facta fuerit Incarcarnatio? Reſp. affirmativè: non decuit ut fieret in principio: 1., ut homines ſuam infirmitatem agnoſcerent. 2, ut diſponerentur ad tantum be-

ne-

neficium recipiendum. 3., ut noſtra fides proclamata tot Prophetarum oraculis firmior appareret. Nec decuit in fine; tùm, ut plures tantę gratiæ participes fierent. Tum, ut manifeſtata Dei bonitate per fidem Chriſti venturi, manifeſtaretur etiam per fidem Chriſti præteriti. Denique, ne ejus dilatione fides, & ſpes tanti Myſterij amitterentur; & hominum mores omninó corrumperentur. Et hæc de Convenientia Incarnationis ſufficiant.

DISPUTATIO TERTIA.

DE ESSENTIA INCARNATIONIS:

ET PRIMO DE PERSONA DIVINA ASSUMENTE.

CUM ad intelligentiam, & explicationem totius, partium cognitio neceſſaria ſit; meritò poſt tractatum de poſsibilitate, & convenientia Incarnationis de ejus partibus agendum venit. 1. de perſona aſſumente. 2. de natura aſſumpta; & poſtea de unione hypoſtatica, cujus extrema ſunt hæc, agemus. Unde diſp. in quæſtiones dividam, haſqué in Sectiones, ſi opus ſit.

QUÆSTIO PRIMA.

Per quid Verbum Divinum immediatè, & proximè Humanam Naturam terminavit?

1 SUppono primó, quod etſi Verbum Divinum aſſumpſerit, ſeu terminaverit hypoſtatice *ut quod* humanitatem, & hoc ſit certum apud Theologos; diſcrepant tamen in aſsignanda ratione formali, & primaria, per quam Verbum Divinum primo, & formaliter terminet humanitatem: àn ſit per divinam eſſentiam, ſeu ſubſiſ-

tentiam abſolutam, ut communem tribus divinis perſonis? Sic tenet Durandus in 3. diſt. 1. quęſt. 2.: vel an ſit per ſubſiſtentiam abſolutam, non præcisé ſumptam, ſed ut modificatam proprietate relativa filij; ita ut illa ſit ratio formalis terminandi; hæc autem conditio ſine qua non? ita tenent Capreolus Marſilius, Franciſcus Victoria, Dominicus Soto, & alij. Vel an ſit tota entitas Divini Verbi, utramque ſubſiſtentiam abſolutam, & relativam includens? Sic Noſt. Ocham cum alijs. Vel tandem: an talis ratio formalis terminandi ſit ſola Verbi perſonalitas relativa? Sic communiter utraque Schola Angelica, & Subtilis cum Divo Thoma 3. part. quæſt. 3. artic. 2, & Subt. Doct. in 3. diſt. 1. quæſt. 5. §. *in iſta quæſtione*. Seraph. Doct. ibi, artic. 2. quæſt. 1. cum quibus ſit:

PRIMA CONCLUSIO

2 NAtura Divina abſolutè ſumpta non fuit immediatè unita humanitati, nec immediatione terminationis, nec immediatione rationis formalis terminandi. Prob. 1. authoritate Concilij Toletani 6, & 11, in Confeſsione fidei, dicentis: *Incarnationem Filij tota*, Trinitas operata eſt; quia inſe, parabilia ſunt opera Trinitatis: , ſolus tamen filius formam ſervi , accepit in ſingularitate perſonę, , non in unitate Divinæ Naturæ: , in id quod proprium eſt filij: , *non quod Trinitati commune.* Nunc ſic; ſed Natura Divina abſolutè ſumpta, ſeu prout ſubſiſtit ſubſiſtentia abſoluta, eſt communis toti Trinitati: erg. non ſecundum eam, tanquam per rationem formalem, immediatè terminavit naturam humanam. Videat. etiam 6. Synod. General. act. 8.

3 Prob. concl. ratione efficaci Doct: Si Natura Divina ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta immediate terminaret naturam humanam, totæ tres divinæ Perſonæ fuiſſent immediatè unitę, & incarnatæ; ſed hoc eſt hæreticum: erg. &c. Prob. ſequæla mai: illud terminat immediatè, & formaliter, in quo eſt ratio formalis terminandi; ſed ſi Natura Div abſoluta ſubſiſtentia immediate terminat unionem humanitatis, ratio formalis immediata terminandi eſſet in tribus Divinis perſonis; cum in ipſis ſit talis abſoluta ſubſiſtentia communis: erg. ſi Natura Div. &c.

4 Confirm. 1. Id, quod convenit Naturæ Div. abſolutè ſubſiſtenti, Tribus etiam Divi

vinis perſonis convenit, & de ipſis prędicatur: erg. ſi Divinę Naturę, aut ſubſiſtentię abſolutę, ſecundum ſe, & ratione ſui convenit eſſe terminum immediate, & proximè terminandi unionem humanitatis, id ipſum Tribus Divinis perſonis etiam conveniet. Ant. conſtat in alijs operationibus, uti ſunt incarnare activè, & creare, quę, quia conveniunt naturæ Divinę ſecundum ſe, ſeu ut abſolute ſubſiſtenti, etiam conveniunt tribus Div. perſonis. Conf. 2. Nequit perſona Verbi terminare unionem immediate ratione proprietatis relativę, quin ipſa verè maneat unita humanitati aſſumptæ: ergo nequit Deus terminare unionem ratione eſſentię, ſeu ſubſiſtentiæ abſolutę, quin omnes Divinę perſonæ veré maneant unitæ ipſi humanitati aſſumptæ, quod eſt abſurdum.

5 Authores ſec. modi dicendi reſpondent, quod noſtra probatio eos non urget; nam cum ponant rationem terminandi unionem humanitatis, ſubſiſtentiam abſolutam Naturæ Divinę, ut modificatam tamen filiatione; hinc eſt, quod ratione talis modificationis per ſubſiſtentiam relativam, hoc eſt, filiationem, verificatur, quod ſolus filius terminat unionem humanitatis; eſt incarnatus; homo factus, &c. Exemplificant in productionibus ad intra: principium *quo* proximum generandi eſt in Deo abſolutum, ſcilicet, intellectus, & eſſentia: attamen modificatum relativo, & notionali Patris, ſeu Paternitate non eſt in filio, nec in Spiritu S. principium proximum ad generare, etſi ipſis ſit eadem Divina Natura, & intellectus: ſic pariter in caſu quæſtionis.

6 Sed contra: hæc reſponſio ſupponit, quod prædicata abſoluta, & eſſentialia Dei poſſunt in ordine ad *extra* modificari prædicato relativo, ratione cujus modificationis præſtent uni Perſonæ denominationem, & non alijs in ordine ad *extra*; ſed hoc eſt falſum: erg. non tenet reſponſio. Prob. min: ſi in prædicatis abſolutis divinis admitteretur talis modificatio in ordine ad *extra*, non eſſet via ad concludendum Hæreticum aſſerentem, ſolum Patrem eſſe creatorem, non filium, nec Spiritum S.. Ratio; quia etſi omnipotentia ſit in tribus; reſponderet, quod non exercetur ad *extra*, niſi modificata prędicato notionali Patris, ſeu Paternitate: erg. falſa eſt ſuppoſitio reſponſionis, & ipſa reſponſio.

7

7 Nec paritas eſt ad rem; imo, contra reſpondentes; ratio eſt; quia principium *quo* proximum generationis Verbi non eſt in Verbo, ſeu in filio pro priori ad ipſius generationem; cum per iſtam ipſi communicetur eſſentia, & intellectus: at ſubſiſtentia abſoluta eſt in tribus divinis perſonis ante terminationem unionis humanitatis. Ex quo ſequitur, quod etſi principium *quo* proximum generationis poſſit modificari prædicato relativo, ſcilicet, Paternitate; minime verò ratio terminandi humanitatem. Deinde principium *quo* proximum ſpirandi eſt in Patre, & Filio pro priori ad ſpirationem: & ſic non ſolum Pater ſpirat, ſed etiam Filius: erg. a pari, ſi ſubſiſtentia abſoluta eſſet ratio terminandi unionem humanitatis, cum hæc eſſet in tribus divinis perſonis, omnes tres perſonæ illam terminarent. Videat. Subſt. Doct. citat. in 3.

SECUNDA CONCLUSIO.

8 SOLA Verbi relativa ſubſiſtentia terminat immediatè unionem Humanitatis aſſumptæ. Hæc concl. eſt communis in utraque Schola. Probaturque eiſdem authoritatibus, & rationibus, quibus antecedens. Prob. tamen authoritate ſpeciali Doct. in 3. diſt. 1. quæſt. 5. ubi ait: *Dico quod eſſentia non terminat, ſeu non eſt ratio formalis terminandi iſtam unionem, ſed proprietas relativa:: ſuppoſitum non terminat, niſi quia habet rationem formalem terminandi, ſicut non creat, niſi quia habet rationem formalem creandi.* Ex quibus ſic efformo rationem: juxta Subt. Doct., ſolum illud terminat formaliter unionem Humanitatis, in quo eſt ratio formalis terminandi; ſed ratio formalis terminandi unionem humanitatis ſolùm eſt in ſubſiſtentia relativa Filij, non verò in abſoluta; alias eſſet in Patre, & Spiritu S., & ſic etiam terminarent: erg. ſola Verbi relativa ſubſiſtentia, &c.

9 Arguitur 1. pro Durando: illa eſt ratio formalis terminandi immediate humanitatem in Verbo, quæ virtualiter continet perfectionem ſuppoſiti creati; ſed hæc ratio eſt divina natura, aut ſubſiſtentia abſoluta, & non proprietas relativa: erg. Mai. eſt certa, & min. conſtat; quia eſſentia divina in omni genere eſt ſimpliciter infinita; non verò proprietas relativa, maximè in via Subt. Doct. Confirmatur: id

id est terminus immediatus humanitatis, per quem divinæ Personæ convenit subsistere; sed Personæ Divinæ convenit subsistere per subsistentiam absolutam secundum se sumptam: erg. per hanc, tanquam per rationem formalem terminat humanitatem. Hoc est præcipuum fundamentum Durandi.

10 Respondeo tamen negando mai. argumenti; quia ratio formalis terminativa in Verbo non petitur ex continentia virtuali, sed unice ex independentia suppositi; quia non terminat humanitatem per modum causæ efficientis, sed solum per modum suppositi terminantis, cui virtus terminativa competit præcise, quia in se, & ex se habet rationem suppositi omnino independentis. Solutio est Doct. in 3. dist. 1. quæst. 11. Ad confirmationem distinguo maiorem: id est terminus immediatus humanitatis, per quem Personæ Divinæ convenit subsistere *personaliter*, concedo maiorem: subsistere *essentialiter*, & *communicabiliter*, nego maiorem. Inversis terminis distinguo min., & nego conseq. Solum igitur per id terminatur natura humana, per quod Divina Persona ultimò constituitur in esse Personæ: & hoc non est absoluta subsistentia, sed unice relativa; quia solum hæc est alteri, ut supposito, incommunicabilis.

11 Arguitur 2. contra secundam conclusionem: eo pernos sola proprietas relativa est ratio formalis terminandi humanitatem, quia si esset subsistentia absoluta, sequeretur, tres Divinas Personas esse incarnatas; sed sequæla est falsa: ergo, &c. Prob. min: subsistentia Divina absoluta communicatur immediatè humanitati; quin Paternitas, aut Spiratio passiva communicetur: ergo, etsi hæc sit ratio formalis terminandi, non sequitur, &c. Prob. ant: æquè communis est Trinitati subsistentia absoluta, ac Divina Essentia; sed potest communicari Essentia Filio, quin Paternitas communicetur: ergo pariter. Respondeo negando min., & antecedens probationis: & concesso antec., nego conseq., & paritatem. Disparitas est; quia in divinis oppositio relativa, quæ datur inter relationes, est ratio, ut communicata essentia, Paternitas non communicetur. At hæc relativa oppositio non est in relationibus divinis respectu humanitatis; cum hæc compleatur, & perficiatur per illas: & sic non tenet paritas.

12 Arguitur 3.: si proprietas relativa est terminus immediatus formalis terminans

unio

unionem humanitatis, etiam Filiatio immediatè terminaret; ſed non terminat: ergo, &c. Prob. min: ſi filiatio immediate terminaret humanitatem, denominaretur Filia Patris; ſed hoc eſt falſum: ergo, &c. Reſpondeo primo diſtinguendo mai: ſi proprietas &c., etiam Filiatio immediate terminaret, vel ſub concept. *Perſonalitatis*, vel ſub conceptu *Filiationis*, conc. mai: *præciſe* ſub conceptu *Filiationis*, nego mai: & diſtincta min., nego conſeq. Reſpondeo 2. negando min. & mai. probationis; quia Perſonalitas non eſt forma accidentalis, ſed ſubſtantia per ſe ſubſiſtens; ideoque non denominat humanitatem Filiam Dei, ſed tantum compoſitum, ſcilicet, Chriſtum, aut ſuppoſitum ex humanitate, & perſonalitate reſultans; quia ut aliqui docent, denominatio Filij eſt propria ſuppoſiti; & non naturæ ſingularis ſecundum ſe ſumptę.

13 Arguitur denique: ex noſtra concluſione ſequitur, quod Chriſtus non ſit univocè homo cum alijs hominibus; ſed hoc eſt falſum: ergo, &c. Prob. mai: Perſonalitas Verbi, ſive proprietas ejus relativa eſt increata, & relativa: Perſonalitas aliorum hominum eſt creata, & abſoluta; ſed inter increatum, & creatum; relativum, & abſolutum non datur ratio communis univoca: ergo, &c. Reſpondeo negando ſequælam mai., & maiorem probationis, cujus falſitas ex Meth. conſtat. Deindè, argumentum ſupponit falſum; quia univocatio non ſumitur à Perſonalitate, ſed ab humanitate; alias Petrus, & Paulus non univocarentur; cum Perſonalitates eorum ſint primo diverſę, & conſequenter nullo modo ſint rationes conveniendi.

QUÆST. II.

AN SUBSISTENTIA ABSOluta Dei potuerit terminare immediatè naturam creatam in alia providentia?

1 Difficultas hęc, ſicut, & præcedens ſupponit ex dictis tom. 2. tract. 6. diſp. 4. quæſt. 3. per totam, dari in Deo ſubſiſtentiam abſolutam. Vide ibi, ne iterum repetamus. Hoc ſuppoſito, pro clariori intelligentia hujus difficultatis, ſuppono 1. quod ſubſiſtentia abſoluta Dei in ſe inſpecta, & ut præciſa, & præintellecta à Perſonis, non poteſt aſſumere immediatè naturam humanam ad unionem hypoſtaticam. Ratio eſt; quia de ratione unionis hypoſtatice eſt, quod terminus ejus ſit hypoſta-

taſis, ſeu ſuppoſitum, aut Perſona; ſed Natura Divina ut prior, non conſtituit ſuppoſitum, aut Perſonam; quia prout ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta eſt communis tribus Divinis Perſonis, & communicabilis alteri, ſaltem per modum termini ſuæ fœcunditatis: ergo, &c. Suppono 2., quod quælibet ſubſiſtentia creata duo habet; & complere ultimo naturam, quæ ſine ipſa ſubſiſtentia, aut Perſonalitate eſſet incompleta, & imperfecta; & reddere ipſam naturam ulterius incommunicabilem; ita ut ſit ultimus terminus ipſius Naturæ.

2 Suppono 3., quod hæc duo ita conjunguntur in ſubſiſtentia creata, ut nihil creatum poſsit cauſare unum, quin alterum efficiat; ſecùs vero eſt in divinis. Ratio primi eſt; quia quidquid in creatis eſt completum in linea Naturæ non amplius dicit ordinem naturalem ad alterum, ut ei communicetur, nec ex indigentia, neque ex fœcunditate: non primum; quia ex eo, quod ſit ultimo completum, non habet indigentiam ut communicetur: nequè ſecundum; quia quodlibet creatum eſt finitum, & limitatum: & ſic non poteſt producere alterum indiſtinctum in natura; & conſequenter nec communicari alteri, ut termino ſuę fœcunditatis. Ratio ſecundi eſt; quia Eſſentia Divina ut præintellecta Perſonis eſt infinita, & omnino completa in ratione Naturæ: & tamen eſt communicabilis tribus Divinis Perſonis, ut terminis ſuæ fœcunditatis: ergo ſtat quod Divina Eſſentia per ſuam ſubſiſtentiam abſolutam ſit ultimo completa in ratione naturæ, quin ſit ulterius incommunicabilis; nam aliter conſtituitur per ſubſiſtentias relativas.

3 Ex his conſtat, quod ſi natura Divina per ſolam abſolutam ſubſiſtentiam terminet Naturam humanam, reddat ipſam, etſi non ſimpliciter incommunicabilem alteri, tamen ultimo completam in ratione naturæ: & ſic independentem, & incommunicabilem, qui eſt effectus primarius ſubſiſtentiæ. Ratio eſt; quia complementum, quo indiget natura ſingularis, & quod à Perſonalitate propria, vel aliena recipit, eſt complementum requiſitum ad actiones, juxta illud: *actiones ſunt ſuppoſitorum*; ſed Natura Divina ut præciſa à Perſonalitatibus habet

bet omne complementum præ-requiſitum ad agendum tam ad *intra*, ut patet in generatione Patris reſpectu Filij, quæ præſupponit naturam ſingularem per ſe exiſtentem : quàm ad *extra* ; nam ſi per impoſsibile Deus non eſſet Trinus , ſed unus , poſſet mediante ſua abſoluta ſubſiſtentia operari quidquid modo producit ad *extra*: erg. Natura Divina per ſuam ſubſiſtentiam abſolutam poteſt complere Naturam creatam, quoad hunc effectum , non minus ac propria Perſonalitas creata. His ſuppoſitis ſit.

4 Concluſio : ſubſiſtentia Dei abſoluta poteſt ſupernaturaliter terminare immediate humanitatem. Eſt communis apud admittentes ſubſiſtentiam abſolutam Dei. Prob. ex N. Doct. in 3. diſt. 1. q. 2. num. 6. ubi ait : *quod autem* „ ipſa Eſſentia per ſe exiſtens „ poſſet eſſe terminus proximus „ illius unionis , videtur ; quia „ nullum habet eſſe à Perſona, „ ſed eſt prius naturaliter, quam ſit Perſona , & dat eſſe „ Perſonæ : eſt enim Natura „ de ſe hæc , & per ſe ſubſiſ„ tens ; licet non incommu„ nicabiliter. Videtur autem „ quod incommunicabilitas non „ ſit neceſſarió ratio propria „ terminandi iſtam dependen„ tiam , *ſed ſubſiſtentia ſingularis*. Hæc Scotus , ex quibus formatur ratio. Eſſentia Divina ut præintellecta Perſonis verè ſubſiſtit per ſubſiſtentiam abſolutam : ergo eſt independens ab alio in ſubſiſtendo, & ſuſtentando : ergo poteſt terminare immediate dependentiam oppoſitam huic ſuæ independentiæ , qualis eſt dependentia Naturæ humanæ; cum hæc habeat potentiam obedientialem , ad communicari alienæ ſubſiſtentiæ , ſicut & alieno ſuppoſito.

5 Probatur hæc conſeq.: ens per ſe ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta , independenti ab alio , ut compleatur , habenſque virtutem infinitam in ratione ſubſiſtendi , habet omne id , quod requiritur , ad aſſumendam , & uniendam ſibi immediate alienam naturam, & ad faciendum eam ſubſiſtere ; ſed Eſſentia Div. ſecundum ſubſiſtentiam abſolutam hæc omnia habet : ergo , &c. Mai. conſtat ; nam non alia ratione Verbum Div. poteſt per ſuam relativam ſubſiſtentiam immediate aſſumere , & ſibi unire humanam naturam, quàm , quia habet virtutem omnino independentem in ratione ſubſiſtendi , & infinitam ſaltem identicè. Minor etiam patet ex dic-

dictis num. 2. & 3. huius.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

6 ARGUITUR 1: P. P. & Concilia non cognoverunt aliam unionem Naturæ creatę cum Deo, nisi vel in Natura, vel in Persona; sed unio Humanitatis cum Deo, ut subsistenti subsistentia absoluta non est unio nec in Natura, nec in Persona: erg. repugnat talis unio. Min. constat, non enim fit unio Naturæ Humanæ cum Divina subsistentia in unitate Naturæ; aliàs esset idem natura assumens, & natura assumpta. Neque fit in unitate Personæ; cum subsistentia absoluta non habeat rationem Personę. Mai. autem multipliciter probatur. 1.; quia nec Concilia, nec P. P. mentionem fecerunt alterius unionis. 2.; quia Concilium Toletanum cit. num. 2. quęst. antec. ait: *solus tamen Filius formam servi accepit in singularitate Personæ, non in unitate divinæ Naturę &c.* 3.; quia Div. Anselmus lib. de Incarnatione cap. 4. ait: *eum qui rectè suscipit Incarnationem, credere debet: Verbum non assumpsisse hominem in unitate Naturę, sed in unitate Personæ.* Ex quibus sic

7 Argumentor: Sanctus Doct. arguit contra hæreticum illum, qui asserebat, quod incarnata Div. Persona, necessarium erat, quod tres simul incarnarent: quemque errorem sic refellit: *illum hæreticum sentire, unionem non fuisse factam in Persona, sed in Natura.* Nunc sic; sed hæc refutatio non esset valida, si præter unionem in Natura, vel Persona, possibilis esset unio humanitatis cum Deo in subsistentia absoluta; cum hæc, utpote communis trib. Personis, si uni Personæ tribueretur, etiam alijs duabus tribuenda esset: erg. &c. Respond. negando maiorem, & ejus primam probationem. Argumentum procedit ab authoritate negativa, & sic nihil concludit. Deinde P. P. & Concilia locuti sunt de Incarnatione ut modò peracta est, & ad fidem pertinet; nam agebant potissimum, tum contra Eutychianos, asserentes unionem Verbi factam fuisse in unitate naturæ. Tum contra Næstorianos, negantes factam fuisse in unitate Naturæ, aut Personæ. Non verò loquuntur P. P. & Concilia de Incarnatione, ut potuit fieri in alia providentia, de qua nos loquimur; nam in hoc sensu non sunt locuti hæretici, contra quos agebant.

8 Ad 2. probationem dico, quod Concilium loquitur de unione modò facta: & sic optime arguebat hæreticos: ipsi dicebant non esse aliam unionem

poſsibilem, quam vel in unitate naturæ, vel unitate Perſonæ; ſed non facta fuit in unitate naturæ: erg. in unitate Perſonæ fateri debetis. Vel dico, quod per ly *unio in Natura*, intelligit Concilium unionem in prædicato communi tribus Perſonis, ut conſtat ex verbis ſequentibus: *in id, quod proprium eſt Filio, non quod commune eſt Trinitati.* Ex quo recte infert, unio de facto non eſt facta in prædicato communi: erg. in prædicato proprio Filij. Sed ex hoc non infertur, quod Concilium negaverit aliam unionem poſsibilem. Ad 3. probationem ex Div. Anſelm. dico, S. Doctorem non neceſſario concludere, quod ſi unio non ſit facta in unitate Perſonæ, neceſſario peracta eſt in unitate naturæ, quaſi non eſſet alius modus unionis Deo poſsibilis; ſed ſolum concludit, quod duo illi modi erant duntaxat de facto: primus in *Creaturis*, quæ componuntur ex diverſis partibus in unam naturam coaleſcentibus. Secundus in *Incarnatione*, in qua Natura Divina, & Humana invicem ſociantur in unitate Perſonæ.

9 Arguitur 2.: ſi Natura Humana uniretur Divinę ſecundum ſubſiſtentiam abſolutam, uniretur, vel in unitate naturæ, vel in unitate Perſonę. Non 1. modo; alias idem eſſet natura aſſumens, & natura aſſumpta. Nec 2. modo; quia Natura Divina cum ſubſiſtentia abſoluta non habet rationem Perſonæ: erg. &c. Reſp. negando mai.; quia præter illos duos modos ſtat alius, ſcilicet, in unitate unionis Naturæ Divinę cum Humana, qualis eſſet in caſu quæſtionis; nam tunc Natura humana dependeret à Divina, & eſſet ipſi intimè unita, ſicut de facto dependet à Verbo; quia ipſi intimè unitur.

10 Replicabis: hæc conſeq. tenet: Perſona eſt terminus immediatus unionis naturæ ad Verbum: ergo Natura eſt unita in unitate Perſonæ: ergo à pari tenet hęc: Natura Div. eſt terminus immediatus unionis Naturæ Humanæ: erg. unio erit in unitate Naturę; ſed hoc nequit dici: erg. &c. Reſpondeo ex Doct. quæſt. 2. in fine conceſſo 1. enthymemate, negando conſequentiam ſecundi; nam aſſumi in unitate Perſonę nihil aliud denotat, quam Naturam, quæ aſſumitur, conjungi immediate cum Perſona, & in illa Perſona ſubſiſtentem eſſe. Verum uniri in unitate Naturæ, ſignificat, quod natura aſſumpta, vel identificetur cum natura aſſumente, vel quod faciat cum ipſa compoſitionem, conſtituendo cum ipſa aliquam

quam tertiam naturam, quod utique Deo repugnat. Unde concludit Doct.: hæc difficultas est grammaticalis, & ex modo loquendi, non verò realis.

11 Arguitur 3: Subsistentia absoluta Dei nequit esse ultimus terminus substantialis naturæ creatæ: erg. nequit illam immediatè terminare. Prob. ant: subsistentia absoluta est terminabilis per subsistentias relativas; sed quod est sic terminabile, nequit esse ultimus terminus formalis Naturæ creatæ: erg. &c. Confirmatur: subsistentia absoluta est Dei perfectio: erg. si hæc potest immediatè uniri naturæ humanæ, quodlibet attributum poterit uniri; sed hoc est falsum: ergo &c. Respondeo negando antec., & distinguendo mai.: subsistentia absoluta est terminabilis per subsistentias relativas tamquam per terminos suæ infinitæ fœcunditatis, conc. mai.: est terminabilis in ratione existendi per se, nego mai.; quia ex dictis notabili ter. Natura Divina per suam absolutam subsistentiam est ultimo completa in ratione Naturæ, & infinitè perfecta. Videte ibi dicta. Ad confirmationem neg. conseq. Hæc enim est differentia inter subsistentiam absolutam, & reliquas absolutas perfectiones Dei, quod istæ nequeunt uniri, nisi vel per informationem, quod ipsis repugnat, vel per identitatem, quod repugnat Creaturæ; subsistentia verò ex suo conceptu est terminus; & sic sine informatione, aut identitate potest uniri.

12 Arguitur 4: subsistentia absoluta Dei non impediret resultantiam propriam Personalitatis Naturæ creatæ: erg. ista propria personalitate personata potest assumi; quod non concedimus, ut cito videbimus. Prob. ant.: subsistentia absoluta posset impedire talem resultantiam, si posset tribuere omne id, quod præstaret Personalitas creata; sed non potest: erg. non posset impedire &c. Min. constat.; quia cum subsistentia absoluta non sit Personalis non tribueret naturæ hanc incommunicabilitatem, quam præstaret Personalitas creata. Resp. negando ant. & mai. probationis; quia ad impediendam resultantiam propriam Personalitatis sufficit, quod subsistentia absoluta tribuat naturæ creatæ existere per se completè, etsi non tribuat incommunicabilitatem in ratione Personæ; quia ut dictum est in 3. notabili, cum ratio existendi per se sit prior in Persona, quam incommunicabilitas, quæ ex illa sequitur; consequens est, quod si impediatur resultantia propriæ Per-

nalitatis, quę eſt modus exiſtendi per ſe,& completè; etiam impediatur reſultantia, quæ eſt modus exiſtendi incommunicabiliter,quiqùe non eſt de primaria ratione ſubſiſtentię.

13 Arguitur ultimò: implicat ſubſiſtens in natura intellectuali, quod non ſit Perſona; ſed hoc non repugnaret, ſi vera eſt noſtra concluſio; quia ex dictis Natura Divina per ſubſiſtentiam abſolutam non eſt Perſona: ergo non tenet. Prob. mai: Perſona eſt incommunicabilis exiſtentia intellectualis naturæ; ſed implicat ſubſiſtens in natura rationali,quod non ſit incommunicabilis exiſtentia:ergo & ſubſiſtens in natura intellectuali,quod non ſit Perſona. Reſp. diſtinguendo mai.: implicat ſubſiſtens per ſubſiſtentiam creatam, quod non ſit Perſona, conc. mai.: per ſubſiſtentiam Dei abſolutam, nego mai.,& conſeq. Iam dictum eſt num. 2.,quod hęc duo,ultimò complere naturam in ratione naturæ, & illam reddere ulterius incommunicabilem, ita conjunguntur in ſubſiſtentia creata, ut nulla Creatura poſsit cauſare unum, quin alterum efficiat; quapropter omne ſubſiſtens ſubſiſtentia creata in natura intellectuali neceſſario eſt Perſona. At ſecùs ſit in divinis; quare non implicat, quod ſubſiſtens in natura intellectuali creata,per ſubſiſtentiam abſolutam, non ſit Perſona: ad modum quo non implicat, quod Natura Div. ut præciſa á perſonis, ſit ſubſiſtens, quin ſit Perſona.

14 Replicabis 1: Natura terminata per ſubſiſtentiam abſolutam Dei haberet omne requiſitum formaliter ad eſſe Perſonæ; ergo eſſet formaliter Perſona. Probatur antec: haberet incommunicabilitatem actualem,& aptitudinalem; ſed aliàs haberet incommunicabilitatem alteri, ut termino fœcunditatis: erg. &c. Reſp. negando antec., & diſtinguo min:ſed alias haberet incommunicabilitatem alteri, ut termino fœcunditatis ipſius naturæ creatæ, conc. min: ipſius ſubſiſtentiæ abſolutę, nego min., & conſeq. Ut natura ergo creata eſſet Perſonata deberet habere omnimodam incommunicabilitatem alteri, ut termino fœcunditatis, quam non haberet ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ;cum ratione iſtius ſit ſaltem mediatè communicabilis tribus Div. Perſonis, ut terminis fœcunditatis ipſius ſubſiſtentię abſolutæ.

15 Replicabis 2: in illa hypoteſi: *hic Deus eſſet hic homo*; ſed hic homo eſt Perſona: ergo natura ſic aſſumpta eſſet Perſona. Reſp. negando min.; quia ſicut Perſona non ſignificatur per hunc terminum *Deus*, ſimiliter nec per hunc *homo*. Solum igitur ſe-

ſequeretur, quod illa natura humana aſſumpta, ſicut ſubſiſtentia per quam ſubſiſteret, eſſet communicabilis tribus Divinis Perſonis, & ſic eſſet mediatè Perſonalis, & ultimò incommunicabilis ratione Perſonalitatum neceſſariò, & realiter indentificatarum cùm ſubſiſtentia abſoluta.

16 Replicabis ultimo: ergo in tali hypoteſi, vel quælibet Perſona eſſet homo, vel nulla; ſed utrumque eſt abſurdum: ergo, &c. Reſpondeo, quod probabilius eſt, quod quælibet eſſet homo, vel poſſet dici homo; nam humanitas cum ipſa ſubſiſtentia abſoluta trib. communicaretur. Et ſic nego min.; quia ſi ſuperficies, cui ineſſet albedo, ſimul exiſteret in Petro, & Paulo, revèra Petrus, & Paul. eſſent albi: ergo ſi unio Naturæ Divinæ cum humana communicaretur tribus Div. Perſonis cum ipſa ſubſiſtentia abſoluta, quælibet ex illis eſſet homo, ſicut quælibet eſt hic Deus per ſe ſubſiſtens.

17 Dubitabis hic: an Verbum Divinum potuerit aſſumere naturam creatam perſonatam propria perſonalitate? Reſp. negativè. Prob. 1. authoritate Doct. in 3. diſt. 5. quæſt. 2. Implicat naturam creatam ſimul dependere, & non dependere ab alieno ſuppoſito; ſed ſi Natura creata perſonata propria Perſonalitate uniretur Verbo hypoſtaticè, ſimul dependeret, & non dependeret à ſuppoſito alieno: ergo. Mai. eſt certa. Min. quoad 1. part. pat.; nam tunc Verbo uniretur hypoſtaticé, quod nihil aliud eſt, quam ſic ab illo dependere. Prob. min., quoad 2.: ſubſiſtere, ſeu perſonari eſt exiſtere per ſe independenter ab alieno ſuppoſito, ſeu incommunicabiliter alteri, ut actui per ſe completivo; ſed illa natura eſſet de ſe ita perſonata: ergo non dependeret à ſuppoſito Verbi. Min. ſupponitur, & mai. conſtat ex definitione Perſonæ: erg. exiſteret Natura illa per ſe independenter ab alieno ſuppoſito in ratione ſuppoſitantis, aut terminantis naturæ dependentiam.

18 Nec dicas: argumentum valere in ſententia de negativo, non verò de poſitivo. Nam contra; quia etſi verum ſit, quod magis efficax ſit argumentum in ſententia aſſerente, Perſonalitatem creatam formaliter conſiſtere in duplici negatione actuali, & aptitudinali; quia ſic repugnantia oritur ex formali ratione ſubſiſtentiæ creatæ; etiam tenet in altera ſententia. Quod ſic probo: A.A. tenentes ſubſiſtentiam creatam eſſe quid

poſitivum, non negant, quin ille modus importet eaſdem negationes communicabilitatis, & dependentiæ, in quibus nos ponimus totam Perſonalitatis eſſentiam: erg. idem argumentum valet in omni ſententia.

19 Probatur 2. concluſio: ſi humanitas perſonata propria perſonalitate fuiſſet ſic aſſumptibilis à Verbo, ſic de facto fuiſſet aſſumpta; ſed hoc eſt contra fidem, qua contra Næſtorium docemur, unicam in Chriſto eſſe Perſonam, & humanitatem in ſolo Verbo ſubſiſtere: erg. non fuit ſic aſſumptibilis. Probatur mai.: de facto Verbum in homine aſſumpſit omne id, quod decuit, & convenientius fuit; ſed ſi humanitas eſſet aſſumptibilis, ut perſonata propria perſonalitate, convenientius fuiſſet illam ſic ſumere, quam ſumere expoliatam illa ſua proprietate: ergo ſic aſſumpſiſſet.

20 Dices 1.: omnis creatura eſt in potentia obedientiali abſoluta, & omnimoda ad Deum; ſed natura creata propria perſonalitate terminata, eſt creatura: ergo eſt in abſoluta, & omnimoda obedientia ad Deum: ergo Deus poteſt ipſam ſic terminare. Reſpondeo, maiorem eſſe veram in his, quę non implicant contradictionem; ſecus verò in his, quæ eam dicunt, ut evenit in præſenti; alias Deus poſſet facere hominem eſſe irrationalem. Inſtabis: ſi aliqua eſſet implicantia, aut contradictio, eſſet, quia tunc eadem natura eſſet ſubſiſtens in ſe, & ſimul ſubſiſtens in alio; ſed hæc non eſt contradictio; cum ambo extrema ſint poſitiva: ergo, &c.

21 Reſpondeo diſtinguendo min.; ſed hæc non ſunt contradictoria *logicè*, *& formaliter*, concedo min.; *metaphyſicè*, *& virtualiter*, nego min., & conſeq.. Licet ergo hoc eſſe accidens, & hoc eſſe ſubſtantiam, non ſint logice, & formaliter contradictoria; quia ambo ſunt extrema poſitiva: tamen ſunt contradictoria metaphyſicé, & virtualiter; quia cum implicet, idem eſſe ſubſtantiam, & accidens, ex illis infertur contradictio logica, & formalis. Ut ſi dicas: hoc ens exiſtit in ſe, quia eſt ſubſtantia; non exiſtit in ſe, quia eſt accidens. Ex hoc ſequitur: ergo eſt accidens, & non accidens: eſt ſubſtantia, & non eſt ſubſtantia; quæ ſunt contradictoria formaliter. Similiter ergo in præſenti.

22 Inſtabis adhúc: in caſu noſtro non eſſent metaphyſicè, & virtualiter contradictoria: ergo, &c. Prob. anteç.; in tali caſu non ſunt de

eo

eodem ; quia Perſonalitas Divina perſonaret naturam ratione potentiæ obedientialis , & Perſonalitas creata ratione potentiæ naturalis : ergo, &c. Reſpondeo negando antec., & ſuppoſitum probationis quoad 1. part. Ratio eſt ; quia cum propria Perſonalitas ex proprio conceptu ſuo eſſentiali ſit excluſiva alterius Perſonalitatis, eſt repugnans , quod in ſenſu compoſito illius ſit in natura actualis , & expedita potentia obedientialis ad alienam perſonalitatem ; ſed ſolum in ſenſu diviſo ; alias verificarentur prædicata contradictoria de eodem ſubjecto.

23 Dices 2.: Verbum Divinum aſſumpſit Humanitatem eſſentialiter completam , & ſingularem : ergo & perſonatam. Prob. conſeq. : natura ſingularis per ſingularitatem fit incommunicabilis : ergo & Perſona. Reſpondeo negando conſeq., & diſtinguendo antec. : natura ſingularis per ſingularitatem fit incommunicabilis *ut quod* , *& per modum univerſalis*, conc. antec. : *ut quo* , *& per modum formæ* totius alteri ut actui ſubſtantialiter completivo , nego antec., & conſequentiam. Prima ergo incommunicabilitas eſt propria ſingularitatis ; ſecunda verò conſtituit formaliter Perſonam.

24 Dices 3.: Natura Div. ſubſiſtens per unam ſubſiſtentiam poteſt terminari per aliam: ergo & natura creata. Reſpondeo negando paritatem ; quia Natura Divina , ſervata ſumma identitate reali , & omni potentialitate ſecluſa ob ſui illimitationem , & fœcunditatem infinitam , eſt triplici modo communicabilis : 1. Patri *à ſe*: 2. Filio *per intellectum* : & 3. Spiritui Sancto per *voluntatem*. Natura verò creata , utpotè finita , & limitata unico tantum modo eſt communicabilis per unicam numero dependentiam ab una Perſonalitate , ſive propria , ſive aliena : & ſic adæquatur tàm *intenſivè* , quàm *extenſivè* , ut dicetur quæſtione ſequenti. Unde nulla eſt paritas naturæ creatæ ad Divinam.

QUÆST. III.

UTRUM TRES DIVINÆ PERſonæ poſſint ſimul , & immediatè in ſe aſſumere eamdem numero naturam creatam ?

1 EX ipſomet titulo conſtat , quod præſens di-

difficultas non procedit de aſſumptione ſucceſſiva ejuſdemmet naturæ creatæ à tribus Divinis Perſonis; quia in hoc ſenſu nulli dubium eſt, hoc poſſe fieri; cum Natura creata ex ſe ſit indifferens, ut à quavis Div. Perſona aſſumatur: & in quavis Perſona ſit eadem vis aſſumptiva, & terminativa. Similiter, nec procedit de aſſumptione, aut terminatione mediata; quia ex dictis quæſt. antec., caſu, quo Deus per ſubſiſtentiam abſolutam terminaret humanitatem, (quod non repugnat,) in tali caſu tres Divinæ Perſonæ mediate terminarent talem Naturam. Unde ſenſus quæſtionis eſt ipſe, qui in ipſomet titulo exprimitur.

2 Circa quam difficultatem duplex eſt oppoſita ſententia. Prima eſt affirmativa, quam tenent omnes Thomiſtæ, & omnes feré Jeſuitæ cum D. Thom. 3. part. quæſt. 3. art. 6. Noſter Baſſolius, & Alenſis eam ſequuntur. Poncius veró aliquomodo eam defendit, quatenùs tenet, non repugnare, eamdem numero naturam creatam ſimul immediatè aſſumi à tribus Divinis Perſonis; non à qualibet adæquatè, ſed inadæquatè: ab omnibus veró adæquatè. Secunda ſententia eſt negativa, quam tenet Subt. Doct. in 3. diſt. 1. quæſt. 2., & cum eo omnes alij Scotiſtæ. Seraphicus Doct. in 3. diſt. 1. quæſt. 3. art. 1. Aliqui ex Benedictinis ſequentes Div. Anſelm., & etiam plures ex R.R. cum quibus omnibus ſit.

NOSTRA CONCLUSIO.

3 TRes Divinæ Perſonæ non poſſunt adhuc divinitus aſſumere eandem numero naturam creatam ſimul, & immediate. Prob. 1. concluſio authoritate Div. Anſelm. lib. 2. *cur Deus homo.* Cap. 9. ubi ait: *plures enim Perſonæ nequeunt unum, eumdemque hominem aſſumere in unitate Perſonæ; quare in una Perſona tantum hoc fieri neceſſe eſt.* Item lib. de Incarnatione. cap. 4.: *non tamen Filio incarnato, neceſſe eſt alias quoque Perſonas incarnari; ſed impoſſibile.* Et infra: *quapropter impoſſibile eſt Deo incarnato ſecundum unam quamlibet Perſonam, illum ſecundum aliam quoque Perſonam incarnari.* Ubi Sanctus Doct. (ut vides) loquitur non ſolum de facto, ſed etiam de poſſibili: ergo noſtra concluſio eſt juxta Div. Anſelm.

4 Reſpondent Thomiſtæ ex Div. Thom., Div. Anſelmum loqui de Natura creata pro

prout perſonata propria perſonalitate. Sed contra ; quia in ſecunda authoritate loquitur de Natura perſonata perſonalitate Verbi ; ait enim : *non tamen Filio incarnato &c.*: ergo ibi non loquitur de natura creata perſonata propria perſonalitate. Contra 2. ; quia ipſimet Thomiſtæ fatentur , quod Natura creata perſonata propria perſonalitate , neque ab una , neque à tribus Divinis Perſonis poteſt aſſumi , ut jam vidimus quæſt. antec. in fine : ergo eorum reſponſio non eſt ad authoritates Sancti Doct., nec ad ſenſum præſentis difficultatis.

5 R.R. cum Suarez dicunt : S. Doctorem ſolum negare , tres Divinas Perſonas poſſe ſimul aſſumere eamdem numero naturam in unitate Perſonæ : ut colligitur ex verbis 1. authoritatis : *in unitate Perſonæ.* Quod certè verum eſt. At caſu quo tres Divinæ Perſonę aſſumerent eamdem numero naturam creatam ; homo ille eſſet tres Perſonæ , ſicut Deus etiam eſt tres Perſonę ; quod non implicat , nec eſt contra Div. Anſelmum. Sed contra: S. Doctor ibi diſputat contra hæreticos aſſerentes , omnes tres divinas Perſonas incarnatas eſſe; ſed ſi reſponſio contrariorum eſt vera , confutatio Div. Anſelmi non teneret contra hos hæreticos : ergo ne hoc dicatur, dicendum eſt, quod reſponſio non tener.

6 Prob. min.: poſſent hæretici reſpondere ſicut RR., ſcilicet , quod poſſet fieri aſſumptio ejuſdem numero naturæ a tribus Divinis Perſonis , *non ad unitatem Perſonę* , ſed ad ſuas diſtinctas Perſonalitates ; & conſequenter , quod de facto ſic ſunt tres Divinę Perſonæ incarnatæ ; ſed ſic reſpondendo, non teneret argumentatio Div. Anſelmi : ergo ſi vera eſt ſolutio R.R. non tenet confutatio Doctoris. Deinde : hæretici, contra quos arguebat Anſelmus , aſſerebant : tres Divinas Perſonas incarnatas fuiſſe: ergo hoc negat S. Doctor. Nunc ſic ; ſed hoc negat nedum de facto , ſed etiam de poſsibili , ut conſtat ex duabus ultimis authoritatibus : ergo juxta S. Doctorem &c.

7 Prob. 2. concluſio ratione Scotica : ſi eadem natura indiviſa eſſet ſimul in pluribus Perſonis , eſſet infinita ; ſed hoc repugnat : ergo &c. Min. eſt evidens. Prob. mai. : ideo Natura Divina exiſtit in tribus divinis Perſonis , ſine ulla ſui diviſione ; quia eſt infinita : ergo ſi natura creata eſſet ſimul &c. Confirmatur : ſi Natura

creata poſſet eſſe ſimul in trib. Div. Perſonis, poſſet eſſe in infinitis ſimul, ſi iſtæ darentur: ergo eſſet infinita. Antecedens patet; quia hac ratione docent Thomiſtæ, quod ſi una forma poſſet ſimul informare plures materias adæquatas, poſſet infinitas; & ſic eſſet infinita. Similiter ſi idem numero corpus eſſet ſimul circunſcriptivè in pluribus adæquatis locis, eſſet in infinitis, & conſequenter immenſum: ergo ſimiliter &c.

8 Reſpondent Thomiſtæ, quod eſſe ſimul in tribus Perſonis connaturaliter, & per identitatem, uti eſt Natura Divina, arguit infinitatem: non vero eſſe ſimul in pluribus ſuppoſitis per potentiam obedientialem, & elevationem, uti eſſet Natura creata. Contra 1.: ſi reſponſio valet, ſequitur contra Thomiſtas, quod unica forma poſſet informare plures adæquatas materias, quin ſit infinita: & idem numero corpus eſſe ſimul in pluribus adæquatis locis, quin ſit immenſum: ergo &c. Prob. ſequela: juxta ipſos eadem numero natura poteſt ſimul perſonari tribus Divinis Perſonis, quin ſit infinita; quia hoc haberet per potentiam obedientialem, & non connaturalem; ſed hoc idem eveniret in informatione unius formæ reſpectu plurium materiarum: & in repletione unius corporis reſpectu plurium locorum: ergo ſi reſponſio &c.

9 Contra 2.: ex reſponſione ſequitur, Deum poſſe communicare creaturæ ſua attributa, v. g. omnipotentiam, immenſitatem, &c.; ſed hæc communicatio eſt impoſsibilis: ergo & reſponſio falſa. Prob. ſequela: qui vellet defendere talem poſsibilitatem, diceret, quod attributa convenirent Deo connaturaliter, & ex vi proprię naturæ; creaturæ vero per potentiam obedientialem, & elevationem; ſicque tollerent abſurditatem talis communicationis, ſicut Thomiſtę hac reſponſione conantur ſolvere abſurditatem infinitatis in creatura ex communicatione ipſius tribus Divinis Perſonis. Nunc ſic; ſed hanc doctrinam non admittunt Thomiſtæ in communicatione attributorum: ergo nec admittere debent in communicatione ejuſdem naturæ tribus Divinis Perſonis.

10 Eximius Doctor cum R.R. ait, quod Divina Eſſentia non eſt infinita ex eo, quod ſimul ſit in tribus Divinis Perſonis; ſed quia eſt realiter eadem ipſis. Natura vero creata, etſi ſimul eſſet in tribus Divinis

nis Perſonis, non eſſet realiter eadem illis, ſed adventitia, & unita per gratiam elevationis: & ſic non evaderet infinita. Hæc fuit reſponſio Varronis. Sed contra 1.: eſtò natura creata ſit ſic adventitia, & unita tribus Divinis Perſonis, adhuc evaderet infinita, ſi una numero eſſet in illis: ergo nulla eſt reſponſio. Probatur antec.: ita impoſsibile videtur unum accidens eſſe in duabus materijs, aut ſubjectis, ſicut unam formam ſubſtantialem eſſe in duabus materijs: ergo ſi ſequitur infinitas ex hoc, quod una forma ſubſtantialis ſit in pluribus materijs, etiam ſequitur ex hoc, quod unum accidens ſit in multis ſubjectis: ergó eſtó natura creata ſit adventitia &c.

11 Contra 2. Eſſentia Divina eſt infinita ex hoc, quod eadem numero manens immediate communicatur pluribus ſuppoſitis; non ex eo, quod ſit realiter eadem illis: ergò quamvis Natura creata ſit illis adventitia, ſi tamen eſſet in illis, eſſet infinita. Prob. ant.: ſi per impoſsibile Eſſentia Divina non eſſet eadem realiter tribus Divinis Perſonis, & adhuc eſſet in illis, adhuc eſſet infinita: ergo &c. Prob. antec.: Eſſentia Divina non habet infinitatem à ſuppoſitis, cum quibus eſt realiter identificata, ſed potius ipſis illam tribuit: ergò ſi per impoſsibile, &c. Deinde: illimitatio, aut limitatio, finitas, aut infinitas Naturarum non ſumitur ex identitate, aut diſtinctione, ſed ex communicabilitate ad plura realiter diſtincta cum ſui indiviſione: ergó reſponſio R.R. non tenet.

12 Ad confirmationem noſtræ probationis negant contrarij antec. Rario juxta ipſos eſt; quod cum ſit impoſsibilis infinitas Perſonarum, hinc ſequitur, quod eſto Natura creata poſsit eſſe ſimul in tribus Divinis Perſonis, non poſsit eſſe in infinitis; quia non ſunt poſsibiles. Contra 1.: Theologi probant infinitam virtutem in Deo ex eo, quod poteſt producere infinitas creatas; ſed ſi reſponſio adverſariorum tenet, probatio eſt falſa; nam poſſet quis reſpondere, quod infinitas creaturarum non eſt poſsibilis à parte rei: & ſic ex hac ratione non ſequitur virtus infinita in Deo: ergò ne hoc dicatur, dicendum eſt quod talis reſponſio non tenet.

13 Contra 2.: etſi repugnet infinitas creaturarum in actu, & categorematica, non repugnat ſyncategorematica, & in potentia: & ex iſta ar-

guitur in Deo infinita virtus productiva creaturarum : ergò á pari infinitas ſyncathegorematica Perſonarum arguet in Natura potenti eſſe ſimul in pluribus , & pluribus Perſonis uſque in infinitum infinitatem. Conſequentia probatur : Naturam perſonari una perſonalitate dicit perfectionem in Natura : ergo poſſe perſonari ſimul pluribus , dicit maiorem perfectionem : ergò poſſe ſimul perſonari infinitis , ſive non tot , quin pluribus , arguit infinitam perfectionem in natura. Antec. conſtat , & omnes conſequentiæ ſequuntur ex maxima Noſtri Doct. in 2. diſt. quæſt. 10. pluries repetita. Vide ibi.

14 Probatur 3. concluſio efficaciter , & ex Doct.: in omni dependentia eſſentiali , dependens præciſe dependere poteſt ab uno totaliter terminante ejus dependentiam ; ſed Natura humana eſſentialiter dependet quoad perſonari à Perſona : ergo nequit à pluribus perſonalitatibus ſimul dependere; & conſequenter tres Div. Perſonæ non poſſunt &c. Min. poſtea probabitur. Mai. declaratur in dependentia cauſati ad cauſam : impoſsibile eſt , quod idem cauſatum habeat plures cauſas totales in eodem ordine : ergó in omni dependentia eſſentiali &c. Prob. antec. : tunc caſus idem cauſatum dependeret eſſentialiter ab uno , ut ſupponitur ; ſed alias eſſentialiter nonn dependeret ab ipſo , quod eſt contradictio : ergo impoſsibile eſt &c. Prob. min. : illud non dependet eſſentialiter ab aliquo , quo ablato , adhuc exiſteret ; v. g. ſint Sortes , & Petrus , qui ambo totaliter cauſent Filium ; circunſcripto Sorte , adhuc Filius erit ; & tamen cauſa ſua non erit , ſcilicet , Sortes : ergò effectus erit, circunſcripta cauſa , á qua eſſentialiter dependeret ; ſed hoc repugnat cauſæ reali verè cauſanti : ergò tunc caſus , talis effectus non dependeret eſſentialiter â Sorte ; ſed alias dependeret, ut ſupponitur : ergo dependeret , & non dependeret.

15 Nunc probatur minor principalis primi diſcurſus: licet dependentia naturę á Perſonalitate non ſit ſtrictè cauſati ad cauſam , eſt tamen eſſentialis , veluti ſuſtentantis ad ſuſtentans , quatenus natura ex ſua intrinſeca ratione petit ſubſiſtere , & ſuppoſitari in ſe, vel in alio ; ſed hęc dependentia eſt eſſentialis : ergo Natura humana &c. Prob. hæc min.: ſi hæc dependentia non eſſet eſſentialis , Natura cum propria

pria perſonalitate perſonata poſſet perſonari perſonalitate aliena ; ſed hoc eſt falſum, ex dictis quæſt. antec. in dubio ibi propoſito : ergò Natura Humana eſſentialiter dependet, quoad perſonari, à Perſona, ſive propria, ſive aliena. Validitas, & efficacia huius Scoticę rationis ſatis convincitur ex varijs modis, quibus contrarij eam conantur infringere, varie reſpondendo. Principaliores referam, & refutabo breviter, relinquendo cæteras impugnationes videndas in A. A.

16 Communior ergò, & plauſibilior reſponſio Thomiſtarum eſt : non poteſt unum, & idem dependere eſſentialiter à duobus dependentia cauſali, & ſtricta, vel adæquata adæquatione intenſiva, & extenſiva ; bene verò dependentia non cauſali, ſeu terminativa, & adæquata ſolum intenſive. Patet hoc in Paternitate, qua Pater adæquate intenſive refertur ad primum Filium : & per ipſammet refertur ad ſecundum, & tertium. Conſtat etiam in relatione ſimilitudinis ad plura alba. Cum ergo Natura unita alieno ſuppoſito dependeat ab ipſo unice terminativè, & adęquate intenſive, non vero dependentia ſtricta, & cauſali, ideo unita Verbo poteſt ſimul alijs Perſonis uniri. Sic Thomiſtæ. Sed prętęrquamquod exempla adducta ſunt falſa in noſtris principijs, ut patet ex Logica agendo de relationibus.

17 Contra 1. : dependentia Naturę creatę à Perſonalitate aliena eſt cauſalis, & ſtricta : ergò non tenet ſolutio. Prob. antec. 1. : juxta Thomiſtas Perſonalitas Verbi terminat Humanitatem in genere cauſæ formalis, vel quaſi formalis, ſe ipſam humanitati communicando : ergó talis dependentia Naturæ creatæ á Perſonalitate Verbi eſt cauſalis. Prob. 2. idem ant. : dependentia Naturę à propria Perſonalitate eſt cauſalis, vel ad minus ita eſſentialis, & ſtricta, ut Natura terminata per ipſam ſit adęquata intenſive, & extenſive. Antec. eſt communis ſententia Thomiſtarum. Prob. conſeq. : Perſonalitas infinita in terminando nequit habere minorem vim terminativam, quàm Perſonalitas creata, & finita : ergó ſi juxta Thomiſtas hęc ita terminat naturam, ut Natura ab ipſa terminata ſit adęquate intenſivè, & extenſivè terminata ; ſimiliter, & Natura creata à Perſona Verbi terminata erit adęquatè tam intenſive, quam extenſivè.

18 Magiſter Gonet prę-

videns rationem hujus paritatis, duplicem diſparitatem aſignat. Prima eſt; quia ſi Natura perſonata propria Perſonalitate, & aliena perſonaretur, exiſteret ſimul duplici exiſtentia; cum cuilibet ſubſiſtentiæ, utpote ultima diſpoſitio, qua natura redditur capax exiſtentię, correſpondeat propria exiſtentia. At Natura perſonata duplici ſubſiſtentia divina non haberet duplicem exiſtentiam, ſed unam tantum, ſcilicet, divinam, & increatam. Sed hęc diſparitas Gonet falſo nititur principio; quia, ut diſp. ſequenti, quæſt. 1. videbimus, Humanitas Chriſti Domini non exiſtit exiſtentia Verbi, ſed propria exiſtentia: unde non eſt cur immoremur in reſponſione refutanda.

19 Secunda diſparitas, quam ex Suarez aſsignat idem Gonet, eſt, quod ſubſiſtentia propria conſtituit Naturam ſubſiſtentem *per ſe*, *& in ſe*: aliena verò ſubſiſtentem *in alio*: implicat enim, Naturam ſimul ſubſiſtere, *in ſe*, & in *alio*; quia ſunt duo modi inter ſe oppoſiti. At plures modi eſſendi *in alio* non ſic opponuntut. Totum hoc patet in accidenti: implicat enim, quod idem numero ſit ſimul *per ſe*, *& in alio*; non verò implicat, quod ſit ſimul in pluribus ſubjectis. Sed 1. ex reſponſione ſequitur, non implicare humanam Naturam poſſe ſimul perſonari duabus proprijs perſonalitatibus, quod non concedet Gonet: ergó. Probatur ſequela: duæ propriæ Perſonalitates Naturæ humanæ non habent ſecum illam repugnantiam, quam habent propria, & aliena Perſonalitas: ergó cum repugnantia, juxta Gonetum, reperta inter propriam, & alienam Perſonalitatem, ſit ratio, cur Natura perſonata propria nequeat perſonari aliena: hac non reperta inter duas proprias Perſonalitates, poterit Natura ſimul perſonari per ipſas.

20 Deinde: ideò juxta Gonet repugnat naturam exiſtere *per ſe*, *& in alio*, quia modus exiſtendi *per ſe*, infert negationem exiſtendi *in alio*; ſed non minus modus, à quo habet Natura exiſtere *in alio*, infert negationem exiſtendi in *altero*: ergò vel repugnat Naturam ſimul perſonari pluribus alienis Perſonalitatibus, vel non repugnat ſimul perſonari propria, & aliena. Prob. min.: ideò modus, à quo habet Natura exiſtere *per ſe* infert negationem exiſtendi *in alio*; quia eſt ſimpliciter incommunicabilis, quia hoc eſt proprium Perſonalitatis; ſed non minus eſt ſimpliciter incommunicabilis modus, á quo ha-

habet Natura exiſtere in alio: ergò non minus modus, à quo habet natura exiſtere in alio, infert negationem exiſtendi in *altero*, quam &c. Qui alias impugnationes contra diſparitates Gonet deſideraverit, legat Noſtrum Quirogam hic §. 7. Nunc verò

21 Contra principalem Thomiſtarum reſponsionem sic 2. inſurgo: eſtò dependentia Naturæ à Perſonalitate aliena non ſit ſtrictè cauſalis, eſt ſtrictè *per ſe* eſſentialis; ſed repugnat, idem à pluribus ſimul dependere eſſentialiter: ergó non tenet reſponſio principalis. Prob. mai.: dependentia orta ex indigentia intrinſeca dependentis eſt ſtricte eſſentialis; cum dependentia eſſentialis ſit, qua unum ab alio ita dependet, ut ab intrinſeco ſui indigeat illo ad ſui eſſe perfectum; ſed natura creata ex indigentia ſui dependet á propria, vel aliena perſonalitate; alias eſſet fœcunda, ut Divina Natura, quod implicat: ergò.

22 Contra 3.: etſi dependentia Naturæ à Perſonalitate ſit tantùm terminativa, & non cauſalis, debet eſſe eſſentialis, & ſtricta: ergó idem quod prius. Prob. antec.: ſi talis dependentia non eſſet ſtricta, & eſſentialis, eſſet purè accidentalis: ergò non ſolùm ſupernaturaliter, verùm & naturaliter poſſet natura creata ſimul perſonari pluribus Perſonalitatibus; ſed hoc eſt abſurdum: ergò &c. Mai. prob.: in ſententia Thomiſtarum una relatio poteſt naturaliter ſimul terminari ad plures terminos, & idem ſubjectum dependere à pluribus accidentibus; ſed hoc non alia ratione, niſi quia talis dependentia eſt accidentalis: ergô ſi dependentia Naturę á Perſonalitate aliena eſſet accidentalis poſſet &c. Ex hoc patet, quod exempla adducta á Thomiſtis in ſua principali impugnatione probent contra ipſos, & non intentum, quando eſſent vera.

23 Contra tandem: admiſſo, & non conceſſo, quod dependentia Naturæ à Perſonalitate ſit tantùm terminativa, & non cauſalis, adhuc nequit natura creata dependens ab una Perſonalitate, vel propria, vel aliena, ab alia ſimul dependere, & per ipſam perſonari: ergó non tenet reſponſio. Prob. ant.: duplici paritate: 1.: etſi dependentia Humanitatis in exiſtendo ab exiſtentia Verbi (quam admittunt Thomiſtæ) ſit tantùm terminativa, & non cauſalis, ut notum eſt; implicat humanitatem dependere in exiſtendo á

duplici exiſtentia : ergo à pari etſi dependentia &c. Conſequentia patet; quia juxta Thomiſtas intimus debet dependere natura à ſubſiſtentia , quam ab exiſtentia ; quia juxta ipſos ſubſiſtentia eſt intimior naturę, quam exiſtentia : cum illa illam præcedat : ergo ſi natura ita dependet in exiſtendo ab exiſtentia , ut exiſtens per unam propriam , vel alienam , nequeat ſimul per aliam exiſtere , quamvis hęc dependentia ſit ſolum terminativa , & non cauſalis: ſimiliter etſi dependentia naturę á Perſonalitate &c. 2. paritas ; corpus ſolum dependet à loco terminative ; ſed cum hac dependentia , dicunt Thomiſtæ, quod corpus nequit eſſe ſimul in pluribus locis : ergo nec Natura &c. Hæc ſufficiant pro impugnatione plauſibilioris reſponſionis Thomiſtarum.

24 Suarez aliter reſpondet ad probationem Scoti. Dicit enim , quod maior diſcurſus , ſcilicet , *in omni dependentia eſſentiali* &c. eſt abſolute falſa ; quia juxta ipſum , idem numero effectus poteſt ſimul, & ſemel produci à duplici cauſa totali , & adęquata ; & conſequenter eadem numero Natura poterit perſonari á tribus Divinis Perſonis , quamvis ab ipſis eſſentialiter dependeat. Præterquamquod hæc reſponſio fundetur in ſuppoſito falſo , & ex profeſso à noſtratibus , & nobis efficaciter impugnatur , in lib. 2. Phiſicorum , ſufficientiſſimé impugnata manet ex ipſamet probatione. Quare alias impugnationes omittimus nunc ; ne eadem doctrinam iterum repetamus. Deinde Jeſuitæ agnoſcentes imbecillitatem hujus reſponsionis , utpote fundatam in doctrina , non abſolute vera; aliter

25 Reſpondent 3: quod in caſu, quo eadem Natura eſſet perſonata á tribus Divinis perſonis , eſſent tres uniones ; & conſequenter tres effectus ; unde nulla ſequeretur contradictio. Contra 1: Unio non eſt effectus ſubſiſtentię , ſed incommunicabilitas : ergo tunc caſus eſſet una Natura unica incommunicabilitate ſubſiſtens : & in ſubsiſtendo à triplici dependens eſſentialiter, quod eſt inconveniens adductum à Scoto. Contra 2: licet in tali caſu eſſent tres uniones naturæ ad tres Perſonalitates realiter diſtinctas ; & sic tres dependentię ejuſdem naturæ in ſubsiſtendo; tamen dependentiæ ille mutuo ſe impedirent : ergo ruit ſolutio. Prob. ant: quælibet dependentia eſſet , & non eſſet eſſentialis; cum ſine qualibet ſingillatim ſumpta totus haberetur effectus.

De-

Deinde per unam esset totalitér, & adæquatè terminata : ergó. Undè argumentum reddit ab initio.

26 Noster Poncius cum Amico ait, quod in casu quæstionis natura á qualibet personalitate dependeret inadęquatè : & á tribus adæquatè : & sic non sequitur contradictio. Contra 1: Unio naturæ ad suppositum extrinsecum est relatio realis dicens ordinem essentialem ipsius naturæ, ut sustentificatę secundùm totum suum esse, ad suppositum sustentificans totum esse illius naturæ: ergó si Natura esset in pluribus suppositis, à singulis sustentaretur, ita adæquatè, & perfectè, ac si esset in uno : ergó adæquatè ab omnibus, & singulis dependeret. Ant. pat.; quia naturam sustentari, & dependere á Verbo, nihil aliud est, quam quod ei communicetur ut *quo*, & ut *ratio essendi* tale esse, scilicet, hominem : ergò si Natura humana per hanc unionem se totam communicat Verbo, sic Verbum totam illam communicationem terminat, & adęquatè naturam sustentat : ergó & alia persona sic sustentaret.

27 Contrà 2.: quælibet personalitas est de se sufficiens ad terminandam adęquatè naturam creatam, ut defactò patet in Personalitate Verbi : ergó quælibet communicata Naturæ terminaret adæquatè naturam. Prob. conseq. : Personalitas terminat naturam in genere causę, vel quasi causę formalis ; sed causa formalis applicata subjecto suum effectum præstat in quantum potest : ergó cùm quælibet personalitas sit adæquata in terminando, & terminet in genere quasi causę formalis, semel communicata Naturæ, hanc adæquatè terminabit. Min. patet ex Philos., assignando differentiam inter causam efficientem, & formalem ; illa enim potest suum influxum temperare, secús ista; quia hæc causat se communicando subjecto secundùm totum suum esse.

28 Contrà 3., & præoccupatur responsio Poncij: nec Deus potest supplere, impedire, aut temperare effectum causæ, vél quàsi causæ formalis : ergò cùm Personalitas terminet naturam in genere, quàsi causæ formalis; & aliàs quælibet Personalitas sit de se sufficiens, terminare naturam creatam adæquatè, nèc Deus poterit impedire, quod ipsa terminata á tribus, à qualibet indæquatè dependeat, & ab omnibus adęquatè. Declaratur hoc ; quia esse album est effectus formalis albedinis, nequit Deus facere, quod albedo sit in subjecto capaci, & quod

ipſum non reddat album formaliter : ergó à pari in præſenti. Alias impugnationes vide in N. Maſtrio hic diſp. 1. quæſt. 8. per totam.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

29 ARguitur 1.: Humanitas ſecundùm ſe eſt aſſumptibilis à quacumque Divina Perſona: ergò omnes poſſunt simùl eam aſſumere. Prob. conſequentia : in illo inſtanti, in quo una Divina Perſona aſſumeret Naturam Humanam , aliæ duæ poſſent agere ſecundum ultimum ſuę potentię , & sic eamdem naturam aſſumere : ergò omnes simul &c. Confirmatur: non repugnat , unam naturam aſſumi à tribus Divinis Perſonis: ergó &c. Prob.ant.: de facto eadem Natura Divina ſubſiſtit tribus Divinis Perſonis : ergò non repugnat &c. Reſpondeo diſtinguendo antec.:Humanitas ſecundum ſe eſt aſſumptibilis á quacumque Divina Perſona *ſucceſsivè*, conc. ant.: *ſimùl* , nego antec., & conſeq. Ad probationem nego conſeq.; quia Deus ſuam virtutem exercere non valet circa impoſsibilia , & ea , quæ contradictionem important,qualis eſt illa aſſumptio simultanea ejuſdem numero Naturæ creatæ. Solutio eſt expreſſa N. Doctoris citati. Vide ibi.

30 Ad confirmationem reſpondeo diſtinguendo antec.: non repugnat unam naturam *creatam* aſſumi à tribus Divinis Perſonis,nego ant.: unam Naturam *Divinam*,conc. ant., & nego conſeq. Concedo antec. probationis , & nego similiter conſeq. Diſparitas perſæpè dicta eſt; quia Natura Divina ob ſui illimitationem , & ex plenitudine ſuæ infinitæ perfectionis , & fœcunditatis eſt triplici modo communicabilis : 1. *à ſe* : 2. per *intellectum*:& 3.per voluntatem. Natura verò *creata* unicam tantúm communicabilitatem habet, quæ cùm totalitèr ſit determinata per unam Perſonalitatem, nequit ſimúl determinari per aliam ob rationes dictas.

31 Replicabis : ſi Natura Humana eſt aſſumptibilis á quacumque Div. Perſona , eſt ſimùl aſſumptibilis à tribus : ergò ruit ſolutio. Prob. ant.: ſi eſt aſſumptibilis à tribus , eſt in potentia obedientiali , ut aſſumpta à Filio v. g. aſſumatur à Patre, vel Spiritu Sancto ; ſed hoc ipſo eſt ſimúl aſſumptibilis á Patre : ergò. Prob. mai.:potentia obedientialis,quam habebat, ut aſſumeretur à Patre, non deperditur per hoc, quod aſſumatur à Filio; quia non habuit ſuum actum , nec exple-

pleta fuit per sui assumptionem à Filio: ergo assumpta a Filio est in potentia obedientiali, ut simúl assumatur à Patre. Hæc replica potest solvi eademmet solutione, ac argumentum. Undè

32 Respondeo negando antec. Ad probationem distinguo maiorem: si est assumptibilis à tribus, est in potentia obedientiali &c. ut assumatur *successivè* à Patre, vel Spir. Sanct., conc. mai.: *simùl*, nego ma., minorem, & conseq. Ad probationem concessa mai. in sensu distinctionis, distinguo imbibitam; quia non habuit suum actum *expressum*, & *formalem*, transeat: *æquivalentem*, nego. Solutio explicari valet his exemplis: estò idem numero effectus habeat capacitatem, ut possit esse á pluribus causis totalibus *disjunctim*: eademque materia informari *successivè* à duplici forma totali, & adæquata; tamèn potentia passiva effectus, materiæque primæ, tota, & totaliter est expleta per causam unicam adæquatam: per unamque formam totalem. Sic ergó pariter in natura tota potentia obedientialis ad plures Personas, cum sit successiva, actu expletur per unam Personam; etsi concedi possit, quod maneat in potentia obedientiali remota ad alias. Deindè paries est in potentia ad albedinem, & nigredinem; dealbificata tamèn, nequit recipere nigredinem *simul* propter incompossibilitatem formarum. Sic pariter de Natura.

33 Arguitur 2.: ideò Natura creata nequit simul terminari â pluribus Divinis Personis, quia totalitér dependeret, & non dependeret ab illis; sed hæc ratio nulla est: ergò &c. Prob. min.: semél àc concursus aliquis totalis minorabilis sit, potest in partiales dividi, & multiplicari, donéc adæquent unum totale; sed concursus, quo natura assumpta à Verbo dependet, est minorabilis: ergò &c. Respondeo negando utramque minorem; quia ex dictis in ultima instantia contra Poncium numero 28. concursus Personæ Verbi, seu hypostaticus est in genere quasi causæ formalis extrinsecæ terminativę, qui nec minorabilis, nec dimidiabilis est. Undé sicut Naturam se totam Verbo per unionem communicat; ita Verbum totam illam communicationem *totaliter* terminat.

34 Arguitur 3.: ex eo, quod Natura creata personaretur triplici personalitate divina, præcise sequeretur, quod dependeret á tribus, non verò, quod non dependeret: ergò non tenet ratio Scoti. Prob. antecedens: causa præcisa dependentiæ

na-

naturæ à Perſonalitate eſt Peſonatio ; ſed hæc poneretur á tribus Perſonis ; ergó præcisé à tribus dependeret. Probatur hęc conſequentia : ſtante præciſa cauſa dependentię, ſtat præcisè dependentia , non veró non dependentia ; ſed ſtante *perſonatione* Naturæ à tribus Divinis Perſonis , ſtat præciſa cauſa dependentiæ : ergò nequit ſtare *non dependentia*. Hoc argumentum ſi probat , probat contra Thomiſtas , 1. : eumdem numero effectum poſſe ſimul provenire à duplici cauſa totali, 2. : eamdem materiam ſimul poſſe informari duplici adęquata forma. Et 3. : idem corpus poſſe ſimul circunſcribi in duplici adæquato loco. Quarè tripliciter poteſt inſtari contra ipſum. Sed directé

35 Reſpondeo , negando antec. : ad probationem diſtinguo min. : ſed hæc poneretur à tribus Divinis Perſonis , *& aliâs non poneretur* , conc. min. : *præciſè* poneretur , nego min. , & conſeq. Ex eo ergò , quod Natura perſonaretur à tribus Divinis Perſonis ; cum á qualibet adæquatè dependeret ; quia quælibet eſſet perſonatio adæquata, & totalis ; ſequitur , quod non dependeret. Ratio Doctoris eſt; quia Perſonatio totalis , & adæquata cuiuslibet Perſonalitatis, eſt ſaltim cauſa illativa non dependentiæ Naturæ ab alijs Perſonalitatibus , & Perſonationibus totalibus , & adæquatis. Undè in caſu dato , & eſſet dependentia , & Perſonatio totalis , & adæquata : & eſſet cauſa illativa non perſonationis. Et ſic tenet maxima Scoti.

36 Arguitur 4. : ſi aliqua eſſet ratio implicantię , maximé ; quia cum Perſona ſit *rationalis Naturæ incommunicabilis ſubſiſtentia* , reddit ipſam incommunicabilem , ad minus in ſenſu compoſito ; ſed hęc ratio nulla eſt : ergò. Prob. min. : vel illa definitio eſt Perſonæ creatę, vel Perſonæ Divinæ , vel Perſonæ ut *ſic* ? Si primùm : ergò etſi repugnet, Naturam perſonatam perſonalitate creata , ſimul per aliam perſonari , non tamen repugnabit , Naturam perſonatam Perſonalitate Divina , alia divina perſonari. Si 2. : falſum dicitur ; cúm Natura Divina ſimul communicetur tribus. Si 3: etiam eſt falſum ; quia convenire debebat etiam Divinæ Perſonæ: ergò &c. Reſpondeo negando minorem : ad probationem dico , talem definitionem convenire Perſonæ *ut ſic* : & ſic convenit Perſonæ creatæ , & Divinæ. Nec obſtat , quod Natura Divina tribus Divinis Perſonis communicetur ; quia hoc fa-

facit, ſub triplici modo communicabilitatis, quæ ipſi convenit ex ſua infinita fœcunditate. Quarè quælibet Divina Perſonali as reddit Naturam Divinam ſuo modo incommunicabilem.

37 Arguitur 5.: Divinæ Perſonæ non impediunt unitatem cuiuſcumque abſoluti; ſed Natura creata eſt quid abſolutum: ergò per hoc, quod aſſumatur ab una Divina Perſona, non impeditur, ut aſſumatur ab alia. Prob. mai.: Perſonæ Divinæ diſtinguuntur per oppoſitas relationes; ergò non impediunt &c. Prob. hęc conſequentia: diſtinctio aliquorum per oppoſitas relationes magis videtur impedire unitatem relationis in ſic diſtinctis, quam unitatem cuiuſcumque abſoluti; ſed licet Perſonę Divinæ, ſcilicét, Pater, & Filius, ſic diſtinguantur, non impediunt in ſe ipſis unitatem relationis, nimirúm, *ſpirationis activæ*: ergò non impediunt &c.

38 Reſpondeo ex Doct. diſtinguendo mai.: Perſonæ Divinæ non impediunt unitatem cuiuſcumque abſoluti *præcedentis* tales relationes, & *ſub conceptu relationis*, con. mai.: *ſubſequentis* tales relationes, & *dependentis* ab illis, nego mai.; & conceſſa min., nego conſeq. Ad probationem nego ſimiliter conſeq.. Itaque, caſu, quo Natura creata eſſet aſſumpta immediatê à tribus Divinis Perſonis, etſi in ſe eſſet quid abſolutum, tamen ſubſequeretur ad relationes, dependeretque eſſentialiter ab illis in perſonari; & ex hoc ſequeretur, quod una, eademque Natura ſecundum abſolutum ſui dependeret, & non dependeret ſimul; terminaretur, & non terminaretur, quod efficaciter ſuadent rationes Scoti, maximé tertia; quodque utpote implicatorium nequit admitti.

39 Arguitur 6.: Unica Perſona Divina poteſt terminare plures Naturas, ut poſtea videbimus; ergò & eadem natura poteſt terminari pluribus Perſonalitatibus; & conſequenter tres Divinæ Perſonæ &c. Confirmatur 1.: in probabili opinione Scotiſtarum, eadem materia poteſt ſimul informari duplici forma ſubſtantiali, & adęquata, ſaltim divinitus: ergò & eadem Natura &c. Confirmatur 2.: idem accidens poteſt divinitus eſſe in duobus ſubjectis: ergò & eadem Natura in duobus ſuppoſitis. Antec. conſtat; quia duo corpora poſſunt eſſe ſimul in eodem loco; ſed tunc haberent unum *ubi*, quod eſt accidens ipſorum: ergò idem accidens &c. Confirmatur ultimó: idem corpus poteſt adęquatæ cir-

circunſcribi á duplici loco : ergò & eadem natura terminari à pluribus Perſonis. Aliquæ ex his paritatibus negantur á Thomiſtis ; unde ipſis non favent. Ad ſingulas reſpondebo.

40 Reſpondeo ad 1. conceſſo antec., negando conſeq. Diſparitas pro nunc eſt ; quia non repugnat, quod plures effectus poſsint produci ab unica cauſa, ſi in ipſa adeſt virtus ad ipſos producendos : & in ipſis virtus paſsiva ad poſſe produci, úti evenit in præſenti, ut videbimus in quęſt. ſequenti. Attamen repugnat, quod idem effectus poſsit provenire à pluribus cauſis totalibus, & adæquatis, ejuſdemque rationis, ut perſæpe dictum eſt, & propugnatur à Noſtratibus lib. 2. Phyſicorum. Ad primam confirmationem poteram cum nobiliori parte Scotiſtarum, negare antec., & conſequentiam ; ſed quia ſatis plauſibilis eſt inter Scotiſtas opinio aſſerens, materiam poſſe divinitus informari duplici forma totali, & adæquata, ideo aliter

41 Reſpondeo conceſſo antec., negando conſequentiam. Diſparitas ſtat, 1.; quia Natura dependet a Perſonalitate in linea *Metaphyſica* ; materia verò dependet à forma in linea *Phyſica*. 2. ; quia quælibet Perſonalitas eſt terminus totalis, & adæquatus cuiuslibet Naturę ; cum in ſe contineat virtualiter omnes effectus omnium Perſonalitatum; quia cum hic ſolum ſit incommunicabilitas *ut quod*, & *ut quo*, ſatis effectus communicatur Naturæ totaliter, & adæquate à qualibet Perſonalitate: non verò ſic ſe habet forma reſpectu materię ; quia licet hęc ſit terminus totalis, non verò adæquatus ; quia una forma non continet adæquatè terminum, & effectum alterius formæ.

42 Ad 2. confirmationem reſpondeo 1. negando antec. : ad cuius probationem nego min. ; quia illa corpora tunc caſus haberent diverſa *ubi* ; quia locus, in quo circunſcriberentur, haberet duas circunſcriptiones activas in eadem ſuperficie ; & conſequenter duę erunt circunſcriptiones paſsivæ in illis corporibus ; quia ſuperficies ambiens eſt fundamentum ſufficiens ad fundandas plures circunſcriptiones activas in pluribus corporibus ; ſicut una albedo ſufficit ad fundandas plures relationes ſimilitudinis in pluribus albis. Sed quia non deſunt Scotiſtæ aſſerentes, quod idem accidens poteſt eſſe divinitus in duobus ſubjectis, ideò aliter ad 3. confirmationem

43 Reſpondeo conceſſo an-

antec., negando conſeq. Diſparitas eſt ; quia non ſequitur contradictio ex eo, quod unum accidens ponatur in pluribus ſubjectis ; ſicut ex eo, quod una Natura creata ſimul terminetur à pluribus ſubſiſtentijs. Ratio eſt ; quia accidens eſſe ſimul in pluribus ſubjectis, ſolum deſignat multiplicationem præſentiæ, & informationis, quod non videtur repugnari. Cæterum unam Naturam eſſe ſimul in pluribus ſubſiſtentijs dicit dependentiam in *eſſe rei*, ſeu in eſſe per ſe ultimo *ſubſtantialiter* completo ejuſdem effectus á pluribus adæquatis ſubſiſtentijs ; in quo ſtat repugnantia, ut patet ex probationibus concluſionis. Nota tamen, quod 1. ſolutio eſt communior, & conformior menti N. S. Doctoris hic diſt. 1. quæſt. 2, §. *hic dicitur*.

44 Ad ultimam confirmationem reſpondeo ſimiliter, conceſſo antec., negando conſeq. Ratio eſt ; quia nec corpus à loco, nec locus à corpore dependeret eſſentialiter, ſicut Natura dependet à Perſonalitate dependentia eſſentiali ſuſtentati ad ſuſtentans, in quantum Natura ex ſua intrinſeca ratione exigit ſubſiſtere, vel in ſe, vél in alio. Unde corpus tantúm dependet accidentaliter à loco : & ſic corpus poteſt eſſe ſine omni loco, & locus ſine omni corpore. Quare non obeſt, quod idem corpus dependeat à pluribus locis ; quia dependentia accidentalis non impedit multiplicationem, aut deſtructionem, ut patet in homine habente plura accidentia. Econtra verò res ſe habet in dependentia eſſentiali, ut ſatis conſtat ex 3. probatione noſtræ concluſionis. De hoc agitur exprofeſſo lib. 4. Phyſicorum. Videte ibi.

45 Arguitur ultimò : idem effectus totalis poteſt procedere à duabus cauſis totalibus, & adæquatis : ergó & eadem Natura terminari á pluribus Perſonis. Prob. ant. : ſupponamus hominem in peccato, & quod juſtificetur per infuſionem 4. graduum gratiæ : tunc hi quatuor gradus ſunt cauſa totalis, & adæquata juſtificationis huius hominis ; ſed aliás unicus gradus gratiæ eſt cauſa totalis, & adæquata juſtificationis huius hominis : ergò juſtificatio huius hominis provenit totaliter, & adæquaté à quatuor gradibus gratiæ : & etiam totaliter, & adæquatè ab uno gradu gratiæ. Minor diſcurſus conſtat ; quia quilibet gradus gratiæ eſt incompoſibilis cum peccato : ergó &c. Confirma-

tur

tur : ſi duo Sacerdotes ſimul conſecrarent , aut ſimul eumdem hominem baptizarent, idem effectus conſecrationis , & baptiſmi proveniret á duplici cauſa totali , & adæquata : ergò idem effectus poteſt provenire à duplici cauſa totali : ergò & eadem Natura perſonari &c.

46 Reſpondeo ad argumentum negando antec. Ad probationem dico , quod in caſu argumenti , licet quælibet pars gratiæ ſit incompobiſilis cum peccato , & conſequenter , ſi Deus unum tantum gradum infunderet , negatio peccati , & juſtificatio ſequerentur ; tamén dum quatuor gradus gratiæ infunduntur ſimul á Deo , Deus decrevit propter illos ſimul ſumptos condonare peccatum , tamquam propter unam cauſam totalem. Undè in ſuppoſitione facta ab argumento , nego abſoluté minorem probationis. Licet verum ſit , quod ſi quilibet gradus gratiæ ſeorſim infunderetur , eſſet cauſa adæquata talis juſtificationis.

47 Ad confirmationem A. A. tenentes Sacerdotem , & Sacramenta eſſe cauſas phyſicas gratię , aliquomodo laborare tenentur ad ipſam ſolvendam. Reſpondent ergò negando antec. ; quia cum in tali ſententia ſint cauſę phyſicę ſolum inſtrumentales , non verò principales , de quibus tantùm verificatur , quod idem effectus poſſet ſimul ab illis provenire; hinc eſt , quod non repugnat, eumdem effectum ſimul provenire á pluribus cauſis phyſicis ſolùm inſtrumentalibus ; quia tunc non multiplicantur virtutes influentes ; cum inſtrumenta non agant propria virtute. Hac ſolutione in ſua probabilitate derelicta , in Scotiſtarum ſententia aſſerente , tàm Sacramenta , quàm eorum Miniſtrum eſſe ſolùm cauſas morales reſpectu gratiæ , & effectus Sacramenti

48 Reſpondeo cum Doctore in 4. diſt. 6. quæſt. 2. §. *de primo* , negando conſeq.; quia illa propoſitio : *idem effectus non poteſt provenire à duabus cauſis totalibus* , ſolùm valet de cauſa inducente formam effectivè , id eſt phyſicè cauſante effectum ; cauſa ergò reſpectu gratiæ , & effectus Sacramenti eſt ſolus Deus ; Miniſter tantúm eſt cauſa miniſterialis moralis ; & Sacramenta ipſa ſolùm ſunt moralia inſtrumenta , aut conditiones ex voluntate Divina , ſic ordinante , ut ipſis poſitis , Deus ipſe infallibiliter cauſet gratiam, & effectum Sacramenti. Undè in caſu argumenti Deus ad poſi

sitionem unius, vel plurium conditionum acceptaret, quam vellet, & causaret effectum. Ex qua doctrina sequitur, quód antecedens argumentum etiam sit falsum. Videatur S. Doctor cit., & etiam Scotistæ supra talem locum.

QUÆST. IV.

AN UNA PERSONA DIVINA potuerit simul assumere plures Naturas Humanas: & an in tali casu diceretur unus, vel plures homines?

1 CIrca primam partem quæstionis conveniunt AA. utriusque Scholę tam Angelicæ, quàm Subtilis, cum quibus dico: *una Persona Divina potest de potentia Dei absoluta assumere simul plures Naturas creatas.* Est Doctoris in 3. dist. 1. quæst. 3. Prob.: de facto Divina Persona Verbi assumpsit & Naturam Divinam, & humanam: ergò & potuit simul assumere plures Naturas creatas. Antec. est de fide. Prob. consequentia: plus inter se distant Natura Divina, & humana, quam duæ Naturę creatę: & plus adęquat Natura divina Personalitatem Verbi Divini, quam Natura creata: ergó si Natura Divina, & creata sunt simul in supposito Verbi Divini, & duę creatę poterunt esse simul. Confirmatur: una Natura creata non exhaurit potentiam, & virtutem terminandi Personę Divinæ assumentis, etsi talis Natura infinita sit: ergò nec duę Naturæ creatæ, quæ finitæ sunt, talem virtutem exhaurient; & consequenter &c.

2 Dices 1.: licet virtus generativa in Patre Æterno infinita sit, nequit terminari ad plures Filios: ergó etsi virtus terminativa cuiuslibet Divinæ Personę sit infinita, non poterit terminare plures Naturas creatas. Hoc argumentum si probat, probat contra fidem, quód Verbum Divinum de facto non terminat dependentiam Humanitatis Christi Domini. Respondeo tamen concesso antec., negando consequentiam. Disparitas est, quia virtus generativa in Patre est *ad intra*, habens in Filio terminum sibi adæquatum, & non potest habere terminum *ad extra*. At Personalitas Divina, etsi concepta ad *intra* solum possit personare unam Naturam Divinam, tamen concepta cum habitudine ad *extra*, ut terminus dependentiæ Naturæ creatæ, potest plures Naturas terminare creatas; quia una tantum

tùm non adęquat ejus virtutem terminativam ; ſicut virtus Omnipotentiæ non adæquatur terminatione dependentiæ unius creaturæ in exiſtendo ad primum efficiens.

3 Dices 2.: ſi eadem Divina Perſona ſimul aſſumeret plures Naturas creatas diverſæ ſpeciei , v. g. Angelicam , & humanam , idem ſuppoſitum diceretur genitum ſecundum Naturam Humanam , & ingenitum ſecundum Naturam Angelicam ; ſed hoc eſt inconveniens : ergó &c. Reſpondeo negando mai. ; tantùm enim ſequeretur Naturam Humanam eſſe ſimul cum Angelica , ſimultate ſuppoſiti terminantis , non verò ſimultate exiſtentię,& veluti identitatis, aut compenetrationis talium Naturarum. Sic etiam ſimiliter qualitates naturales earum eſſent in tali ſuppoſito,quod non inconvenit. Patet hoc de facto in Myſterio Incarnationis, in quo non contradicit , quòd idem ſit finitum , & infinitum: paſsibile , & impaſsibile ; quia licet dicantur de ſe invicem ratione unitatis ſuppoſiti , dicuntur tamen ſecundum reſpectum diverſarum Naturarum , & ſic *non ſunt ejuſdem , de eodem, & ſecundum idem.* Reliquę replicæ ſolventur ex dicendis in ſolutione ſecundæ partis.

4 Pro cuius ergó reſolutione , quæ etſi grammaticalis , & logicalis videatur , valdè tamen utilis eſt pro modo loquendi , & prædicandi in hoc myſterio , & ut tollantur variæ æquivocationes , ut videbimus in diſp. 5. agendo de unione hypoſtatica. Pro reſolutione ergo huius 2. partis recolendæ ſunt regulæ , quæ communiter traduntur in Logica , de multiplicatione concretorum , tám ſubſtantialium , quâm accidentalium , quę ſunt tres , quaſque hic breviter recitabimus.

5 Prima regula eſt,quod *concreta accidentalia* ; v. g. album , nigrum &c. *multiplicantur , & numerantur unicè ad multiplicationem , & numerationem ſubjectorum.* Ratio eſt; quia nomen *adjectivum* ſolúm præſtat ſuum effectum formalem ei , quod natum eſt ſui dependentiam terminare ; ſed ſolùm ſubjectum , ſive ſubſtantivum , natum eſt terminare dependentiam adjectivi : ergò ſolúm ſubſtantivo , ſeù ſubjecto præſtat adjectivum numerale ſuum effectum numerationis. Declaratur : ſi unica , & immultiplicata forma albedinis eſſet ſimul in pluribus ſubjectis , dicerentur plura alba. Econtra; ſi plures albedines eſſent in uno ſubjecto , non diceretur niſi unicum album. Se-

6 Secunda regula eſt: *concreta ſubſtantialia*, ut homo, Deus &c. *non multiplicantur, niſi multiplicentur tàm ſuppoſita, quàm formæ in illis repertæ.* Eſt dicere, quod concreta hęc non multiplicantur, ſi multiplicatio fiat, vel in ſuppoſito ſolùm, vel ſolùm in forma; ſed eſt neceſſe, quód ambo ſimul multiplicentur. Exemplificatur: tres Divinæ Perſonę non dicuntur tres Dij, ſed unus Deus; quia eſtò ſuppoſita ſint diſtincta; forma, hoc eſt, Natura Divina, eadem eſt in tribus Divinis Perſonis. Similiter: ſi in uno homine eſſent tres animæ realiter diſtinctæ, eſſet unus animatus; quia adjectivum pluralitatis tunc non haberet terminativum ultimatum, ſcilicet, plura ſuppoſita. Vide N. Maſtrium in Logica diſp. 2. de *vocibus*, quęſt. 6. articulo 2.

7 Tertia regula eſt: *ſola unitas formæ poteſt inferre unitatem concreti ſubſtantialis, etiam ſi ſuppoſita ſint multiplicata. Non verò ſola multiplicitas ſuppoſitorum poteſt inferre multiplicationem concreti ſubſtantialis, ſi tantùm eſt unica forma.* Ratio huius diſcriminis eſt; quia unitas pertinet ad Naturam, multitudo verò ad ſuppoſita; quia ſuppoſita uniuntur in Natura, ut patet in Divinis: & Natura multiplicatur in ſuppoſitis, ut patet in creatis. Et ratio totius eſt; quia juxta communem modum loquendi, adjectivum multitudinis tribuitur concreto Naturæ, ut ſupponit perſonaliter, ſeu primò intentionaliter. Adjectivum verò unitatis tribuitur concreto Naturæ, ut ſupponit ſimpliciter, & ſecundò intentionaliter, juxta illud Porphyrij: *ratione naturæ plures homines, unum hominem dici.* His ſtatutis, ſit

8 Concluſio: in caſu, quo una Divina Perſona plures aſſumeret Humanitates, dicenda eſſet unus homo, non verò plures homines. Concluſio eſt contra aliquos Scotiſtas: eſt tamen Subt. Doct. locis citandis. Et etſi ſufficienter conſtet ex regulis aſſignatis, tamen probatur 1.: regula ſecunda ex Scoto aſſignata eſt univerſaliter vera: ergò & noſtra concluſio. Antecedens conſtat ex dictis, & probatur ex Doct. in 1. diſt. 12. quæſt. 1. §. *ad* 3. ubi docet, quòd etſi Pater in divinis habeat duo principia, ſcilicet, intellectum, & voluntatem, non poteſt dici duo producentia, aut duo productores; quia etſi adſit pluralitas formę, deeſt tamen pluralitas ſuppoſi-

torum: ergò á pari in caſu, quo una Divina Perſona aſſumeret plures humanitates, non diceretur plures, ſed unus homo.

9 Probatur 2.: juxta Doctorem in 3. diſt. 7. quæſt. 1.: Homo reſpectu Divinæ Perſonæ eſt terminus adjectivus: ergò nunquam numerari poteſt comparativè ad ſuppoſitum divinum, niſi numeratis ſuppoſitis: cùm quodlibet adjectivum ultimatè dependeat, & terminetur ad ſubſtantivum, ſeu ſuppoſitum. Antec. conſtat; quia eſtó homo dicatur *ſubſtantivè* de proprio ſuppoſito, tamen reſpectu ſuppoſiti Verbi dicitur *adjectivè*, ad minus quoad modum prædicandi; poteſt enim eſſe, & abeſſe abſque corruptione Verbi: ergò ly *homo* quatenus adjectivum eſt reſpectu Divinæ Perſonę, non poteſt eſſe ratio terminandi ſignificatum alterius adjectivè per ſe, ſcilicet, *duo*, aut *multa*, niſi ſuppoſito, aut ſubſtantivo multiplicato.

10 Arguitur 1.: Doctor in 2. diſt. 1. quæſt. 6. ait: *quod quæcumque differentia ſufficiat ad diſtinguendum; non verò quæcumque identitas ad perfectam aliquorum identitatem.* Et ratio; quia plus requiritur ad identitatem aliquorum, quam ad diſtinctionem ipſorum: ergò ſi juxta nos, ut patet in 3. regula, identitas Naturæ in pluribus ſuppoſitis ſufficit, ut plura ſuppoſita dicantur unum concretum, multò magis diſtinctio naturarum ſubſtantialium in eodem ſuppoſito erit ſufficiens, ut ſint plura concreta. Confirmatur: differentiæ dividentes aliquod commune debent cadere ſupra idem diviſum; ſed unitas, & multitudo concreti hominis, dividunt hoc concretum *homo*: ergò cadunt ſupra idem: ergò cùm unitas cadat ſupra naturam, & multitudo cadere debet; conſequenterque multiplicata Natura humana, multiplicaretur homo. Argumentum ſi probat, utique probat, tres Divinas Perſonas debere dici tres Deos; cùm adſit ſuppoſitorum multiplicitas, & hæc ſufficiat, ſecundum argumentum, pro multiplicitate concretorum.

11 Reſpondeo negando conſequentiam. Senſus enim Scoticæ regulę ſolùm concludit, aliqua eſſe alterius rationis, ad quod ſufficit minima differentia alterius rationis, ut patet de ſapientia, & bonitate infinita, quę juxta Scotum formaliter differunt in Divinis; ſed ad concludendam perfectam identitatem aliquorum non ſufficit qualiſcumque iden-

identitas : & ſic plus requiritur ad perfectam identitatem, quam ad diſtinctionem. Undè propoſitio Scoti non valet pro concludenda pluralitate, & unitate concretorum : & ſic non eſt ad rem. Ad confirmationem diſtinguo mai. : differentiæ dividentes aliquod commune debent cadere ſupra diviſum, *eodem, vel diverſo modo*, concedo maiorem : ſemper *eodem modo*, nego mai., & conceſſa min., diſtinguo conſeq. eiſdem terminis. Multitudo ergò cadit ſupra Naturam, ſicut unitas ; ſed non eodem modo ; quia concretum ſubſtantiale determinari poteſt ab adjectivo unitatis prę̨ſcindendo ab ulteriori dependentia ejus ad ſuppoſitum ; non verò ab adjectivo multitudinis ; quia ſub hoc præſertim tale concretum ſuppoſita reſpicit.

12 Arguitur 2. : terminus unitatis appoſitus concreto *Naturæ* determinat Naturam, & non ſuppoſitum ; quia Naturam ſignificat explicitè, & determinatè ; compoſitum verò confusè, & indeterminatè : ergò & terminus multitudinis appoſitus concreto Naturę̨ ſignificabit Naturam, & non ſuppoſitum ; conſequenterque quando Natura eſt multiplex, etſi ſuppoſitum ſit unicum, multiplex erit concretum. Reſpondeo negando conſequentiam, & paritatem ; quia ut dictum eſt in tertia regula, adjectivum multitudinis tribuitur concreto *Naturæ*, ut ſupponit perſonaliter, ſcilicet, pro Natura, & ſuppoſitis Naturę̨ ; at verò adjectivum unitatis unicé tribuitur concreto naturæ, ut ſupponit ſimpliciter, ſcilicet, pro ſignificato immediato, & primario, quod eſt ipſa Natura, ut ſecundum ſe abſtrahit à ſignificatis mediatis : & ſic non eſt eadem ratio unius, & alterius.

13 Arguitur 3. : ſi vera eſt concluſio, caſu, quo Verbum Divinum ſucceſsivé aſſumeret plures humanitates, ſolùm eſſet unus homo propter unitatem ſuppoſiti ; ſed hoc videtur abſurdum : ergò &c. Confirmatur : ſi Verbum aſſumeret Naturam humanam, & Equinam, (ut poteſt de poſsibili) tunc ratione Naturæ humanæ diceretur unum concretum : & ratione Naturæ Equinæ, diceretur aliud ; ſed hoc proveniret ex diverſitate Naturarum : ergò hęc ſola multiplicat concreta ; & conſequenter &c. Reſpondeo negando min. ; quia ſicut ſine abſurditate dicitur de Petro acquirente ſucceſsivé plures ſcientias, quod

quód ſit *unum ſciens*, ob unitatem ſuppoſiti; ſic ſi Verbum ſucceſsivè aſſumeret plures humanitates, diceretur *unus homo* ob talem unitatem. Ad confirmationem, nego mai.; quia ſicut de facto, ex eo, quod Verbum divinum aſſumpſerit Naturam Divinam, & humanam, non ſequitur, quod ſit *duo*, ut videbimus diſp. 5. quæſt. 2.; ſic nec ex eo, quod aſſumeret Naturam humanam, & Equinam, ſequeretur, quod eſſet duo concreta.

QUÆST. VI. ET ULTIMA.

UTRUM PERSONA CREATA poſsit aſſumere alienam Naturam creatam, ſaltim divinitùs?

1 IPſemet titulus quæſtionis ſupponit perſonam creatam non poſſe naturalitér aſſumere alienam Naturam creatam: & hoc nec effectivè, hoc eſt, producendo unionem activè: nec formalitèr, & terminativè, formalitèr terminando unionem Naturæ, & communicationem ipſius ſuſtentando. Quinimo nec poterit de potentia Dei abſoluta effectivé cauſare unionem ipſius cum aliena Perſona, maximé in ſententia, quod creatura nequeat divinitus creare. Undé ſenſus difficultatis eſt: *an perſona creata poſsit divinitus aſſumere alienam Naturam creatam, eam ſuſtentando, & terminando formaliter?* In qua difficultate diverſimodè opinantur A.A. juxta diverſitatem ſententiarum de conſtitutivo *ſubſiſtentiæ*. Quare & nos, ut poſsibili claritate procedamus, difficultatem per duplicem concluſionem reſolvemus. Sit ergò

2 Prima concluſio: ſi teneatur, quod Perſonalitas creata in poſitivo conſiſtit, non repugnat quod ſuppoſit. creatum poſsit de potentia Dei abſoluta alienam terminare Naturam; eſt contra plurimos Thomiſtas; expreſſa tamen Scoti in 3. diſt. 1. quæſt. 4. Prob. ratione: ſi repugnaret quod eadem numero Perſona terminaret naturam alienam, eſſet, quia evaderet infinita; ſed hoc non ſequitur: ergò &c. Maior eſt ratio Thomiſtarum; probatur min.: juxta adverſarios, etſi locus poſſit circunſcribere duo corpora adæquata, non eſt infinitus in locando: nec ſubjectum, potens de ſe terminare dependentiam plurium accidentium eſt infinitum in terminando: ergò à pari dicendum eſt de una Perſona terminante plures Naturas, ſcilicet, propriam, & alie-

alienam. Confirmatur : juxta Thomistas, etsi Natura potens terminari per triplicem Personalitatem evaderet infinita, si hoc faceret per naturalem, & innatam potentiam ; non verò si terminaretur per potentiam obedientialem : ergò etsi Personalitas creata terminaret alienam Naturam, non esset infinita ; cùm hoc efficeret divinitus ratione potentiæ obedientialis.

3 Prob. 2. conclusio: ut suppositum creatum possit terminare dependentiam Naturæ alienæ, non requiritur, quod sit omninò, & simplicitèr independens, sed sufficit, quod sit independens independentia opposita dependentiæ Naturæ; sed quodlibet suppositum creatum est sic independens : ergò &c. Prob. mai. exemplo accidentis; quia estò subjectum non sit omninò independens, potest terminare dependentiam accidentis, ut patet in Eucharistia, in qua quantitas terminat dependentiam albedinis sibi inhærentis; sed quantitas non est simplicitèr independens, sed nata dependere à substantia corporea, ut ultimato subjecto sui : ergò ut suppositum &c.

4 Arguitur 1, contra primam probationem : talis Persona subsistens in duabus Naturis esset infinita in subsistendo; sed hoc repugnat : ergò &c. Prob. mai. : talis Persona posset subsistere in infinitis Naturis, si essent ; sed hoc ipso esset infinita in subsistendo: ergò &c. Prob. min. : talis Persona gauderet vi terminativa, & sustentativa infinita : ergò esset infinita. Prob. consq. : virtus effectiva potens de se in effectus syncathegorematicè infinitos, esset infinita in Scoti sententia : ergò à pari. Respondeo negando mai. Ad probationem nego minorem, ad cujus probationem distinguo maiorem : talis Persona gauderet vi terminativa, & sustentativa infinita *extensivè*, transeat antec. : *intensivè*, nego antec., sicut & paritatem de virtute effectiva.

5 Explicatur : ut substantia aliqua sit infinita in ratione terminandi requiritur, quod ex vi intensiva, & naturali exigat, sustentare Naturam infinitam ; quod præcisè convenit subsistentiæ Dei absolutæ. At verò subsistentia creata, etsi posset omnes Naturas creatas, & creabiles usque in infinitum sustentare ; cùm hoc non exigat ex vi sua intrinseca, & propria, sed solùm hoc faceret virtute Divina ratione potentiæ obedientialis,

lis, non evaderet infinita *intenſivè*, ſed ad ſummum *extenſivè*; & ſic extenſivè infinita evaderet. Nec paritas de virtute effectiva eſt ad rem; quia ut ait Doct. in 1. diſt. 2., ideo ex productione plurium, & plurium effectuum uſque in infinitum arguitur virtus effectiva intenſivè infinita, quia effectus producendi exigunt aliam, & aliam virtutem in cauſa; non ſic de Perſona.

6 Arguitur 2. contra ſecundam probationem: ſuppoſitum terminans Naturam alienam debet eſſe omninò independens; ſed nullum ſuppoſitum creatum eſt tale: ergò &c. Prob. mai.: ideo Verbum Divinum Naturam humanam terminat, quia eſt omnino independens: ergò ſuppoſitum terminans &c. Reſpondeo negando mai., cuius falſitas conſtat exemplo accidentis appoſito in ſecunda probatione: & ultra; quia videmus, quod ſubſtantia creata, eſtò non ſit ſimpliciter independens, cùm dependeat ab alio, tamquam á ſuppoſito, & nihilominus terminat *adæquatè* dependentiam accidentis in ratione ſubjecti: & hoc non alia ratione, niſi quia tantùm ut ſic independens exigitur ab accidenti. Ad probationem dico, quod eſtò illa ſit ratio, cur Verbum terminet Naturam humanam, non eſt tamen ratio præciſa, & formalis; ſed quia eſt independens in ratione ſuppoſiti.

7 Arguitur 3.: una Natura creata, non poteſt ſimul terminari à pluribus Perſonalitatibus: ergò neque una Perſona poteſt &c. Reſpondeo negando paritatem; quia, ut conſtat ex dictis, tales Perſonalitates eſſent cauſæ totales terminandi eamdem Naturam, & ſic idem effectus Perſonationis proveniret ab illis, quod repugnat; at verò una Perſona creata in pluribus Naturis non cauſat eamdem terminationem, ſed diverſas; quod non repugnat: ſicut non repugnat, unum efficiens per diverſas actiones diverſos producere effectus.

8 Secunda concluſio: in ſententia, quod Perſonalitas creata in negativo conſiſtat, non poteſt una Perſona, adhuc de potentia Dei abſoluta, alienam terminare Naturam. Eſt contra plures Scotiſtas, ergá quam Scotus cit. videtur problematicus. Prob. ratione: negatio nequit eſſe ratio formalis terminandi relationem realem prædicamentalem, qualis eſt unio hypoſtatica: ergò ſtando in ſententia &c. Probatur antec.; nulla relatio poteſt habe-

re

re eſſe maius, quàm eius ratio fundandi, & terminandi; ſed ſi ſuppoſitum creatum in negativo conſiſtens terminaret alienam Naturam, relatio unionis hypoſtaticę haberet maius eſſe, quàm ejus ratio formalis fundandi, & terminandi: ergò &c. Mai. conſtat; probatur min.: talis relatio eſſet mutua ob limitationem utriuſque extremi; & ſic non ſolùm daretur relatio unionis terminata ad Perſonam, ſed etiam fundata in illa; & conſequenter negatio conſtitutiva Perſonæ eſſet ratio formalis fundandi, & terminandi relationem realem prędicamentalem: ergò hæc haberet maius eſſe &c.

9 Arguitur 1. ex Doct. in 3. diſt. 1. quæſt. 1.: ut ſuppoſitum poſsit terminare dependentiam Naturæ, ſufficit, quod ſit independens independentia oppoſita Naturæ; ſed quodlibet creatum ſuppoſitum, etſi in negativo conſiſtat, eſt independens tali independentia: ergò &c. Prob. mai. exemplo quantitatis in Euchariſtia appoſito in ſecundâ probatione concluſionis antecedentis. Confirmatur: incommunicabili ſimpliciter non repugnat terminare communicationem alterius communicabilis; ſed ſuppoſitum creatum eſt ſimpliciter incommunicabile: ergò poterit terminare &c. Confirmatur 2.: Suppoſitum increatum poteſt terminare Naturam creatam: ergò & creatum, etſi in negativo conſiſtat; quia maior eſt proportio huius ad Naturam creatam, quam ſuppoſiti increati. Hoc argumentum ſicut & confirmationes unicè concludunt in ſententia de poſitivo, non verò de negativo, ut docent N. Maſtrius, & Quiroga hic. Quarè

10 Reſpondeo, negando maiorem; quia ultra requiritur, quòd dicat aliquid poſitivum, ut optimè colligitur ex ipſomet exemplo quantitatis in Euchariſtia, quæ quid poſitivum eſt. Ad primam confirmationem nego min.; quia ſolum Divinum ſuppoſitum eſt ſimpliciter incommunicabile; quia conſtituitur in eſſe tali per aliquid poſitivum; creatum verò tantúm eſt incommunicabile ſecundum *quid*, & in ſenſu compoſito, hoc eſt, quia Natura ſingularis concipitur cum illa duplici negatione. Ad ſecundam confirmationem nego conſeq.; nec illa maior proportio facit ad rem, quia illa ſolùm eſt in ratione finitatis, non verò in ratione terminandi, ſi ſuppoſitum in negativo conſiſtat; cùm ratio formalis

terminandi debeat eſſe aliquod poſitivum incommunicabile, quod unicè eſt ſuppoſitum Divinum, non verò creatum, ſi in negativo conſiſtit.

11 Arguitur 2. ex Doct. quodlib. 9. : ſi aliqua ratione probaretur, quòd (ſtando in ſententia de negativo) non poſſet una Perſona creata alienam terminare Naturam, maximè, quia relatio realis non poteſt terminari ad terminum non realem; ſed hæc ratio nulla eſt: ergò. Prob. min.: relatio realis terminari poteſt ad terminum non realem, nec actù exiſtentem; ùti evenit in relatione tranſcendentali: ergò & ad negationem. Confirmatur: carentia unitatis eſt ratio formalis terminandi relationes reales diverſitatis; ſed talis carentia eſt mera negatio: ergò &c. Reſpondeo conceſſa mai. negando min.; quia ex eo, quod relatio realis tranſcendentalis terminetur ad terminum actù non exiſtentem, non tamen ad terminum negativum; quia eſt ad terminum actù potentem exiſtere; & conſequenter in potentia quid poſitivum. Ad confirmationem nego mai.; quia ratio formalis terminandi tales relationes diverſitatis eſt quid poſitivum, ad quod ſequitur illa carentia.

12 Replicabis; etſi ratio formalis terminandi in ſuppoſito creato, conſiſtente in negativo, ſit negativum, poteſt eſſe aliquid poſitivum, ſcilicet, Natura ſingularis ipſius ſuppoſiti terminantis, & ſuppoſitum ipſum poteſt eſſe ultimatè terminans: ergò &c. Prob. antec.: ratio formalis terminandi reſpectum realem inhærentiæ ad ſuppoſitum ſubſtantiæ non eſt negatio illa importata per ſuppoſitum, ſed Natura ſingularis: & ſuppoſitum ipſum eſt id, quod ultimatè terminat, ut ſuppoſitum eſt: ergò &c. Reſpondeo negando antec., & paritatem. Ratio eſt; quia communicatio, qua naturaliter accidens communicatur ſuppoſito ſubſtantiæ, eſt diverſæ rationis à communicatione, qua natura ſubſtantialis poteſt communicari ſupernaturaliter ſuppoſito alieno, ſeu extrinſeco.

13 Communicatio ergò accidentis ad ſuppoſitum ſubſtantiæ eſt in ordine ad ſubjectum aliquod, à quo ſuſtentetur in genere cauſæ materialis per modum inhæſionis: & ſic poteſt terminari ut ad terminum formalem, ad ſubſtantiam ſingularem per ſe exiſtentem. Hoc patet in Natura Humana Chriſti Domini, in qua tantum,

tùm, & non in Persona Verbi incapaci accidentium, accidentia inhærent, non ratione suppositalitatis formaliter; estò hæc requiratur ut complementum substantiale, ad hoc ut Natura valeat illa sustentare. Communicatio verò Naturæ substantialis ad alienum suppositum non est ad illud in ratione subjecti, sed in ratione suppositi per quod sustentetur, non ut forma in subjecto, sed ut Natura in supposito, per quod incommunicabilis reddatur alteri, ut supposito. Undè ratio terminandi immediatè, & simplicitèr non potest esse Natura, quę communicabilis est; sed debet esse aliquod incommunicabile ut *quo*, quale solùm est Personalitas ipsa, quæ si in negativo consistat, nequit esse talis ratio.

14 Replicabis adhuc: in casu conclusionis, ratio formalis terminandi relationem realem unionis non esset Natura singularis absolutè sumpta, nec negatio duplicis dependentiæ, sed natura singularis ut actu existens sub illa duplici negatione, qua in se subsistit: ergò. Respondeo negando antec. Quæro enim: subsistentia illa ultra Naturam singularem dicit aliquid positivum in ratione subsistentis, vel non? Si primum; iam sumus extra casum conclusionis, scilicet, quod Personalitas creata in negativo consistat. Si secundum: ergò jam ratio terminandi erit illa negatio: quod opponitur nostræ probationi. Prob. hæc conseq.: Natura singularis, quatenus subsistens solùm addit illam duplicem negationem; aliàs secundum se non potest terminare illam unionem; cùm secundum se communicabilis sit; & terminus formalis terminandi unionem debeat esse aliquid incommunicabile, ut tale: ergó si terminat unionem, quatenus existit sub illa duplici negatione: hæc duplex negatio erit ratio formalis terminandi; quod repugnat.

15 Arguitur 3.: Natura creata, etsi in negativo consistat, communicatur propriè Personalitati: ergó unitur ipsi: ergò terminat illam unionem: ergò terminare valet alienam Naturam. Respondeo distinguendo antec.: de facto communicatur propriæ Personalitati, per unionem realem, sicut Humanitas Verbo, nego antec.: per connaturalem resultantiam negationis communicationis, concedo antec., & nego consequentias. Triplici modo potest natura communicari supposito. Primò, per identi-

titatem, ſicùt Natura Divina. Secundò, per unionem, ſicùt in Chriſto Natura Humana Verbo. Tertiò, per connaturalem reſultantiam negationis communicationis; úti in ſententia de negativo Natura creata communicatur proprio ſuppoſito.

DISPUTATIO IV.

DE NATURA CREATA ASSUMPTA.

Póſt habitum ſermonem de Perſona Divina aſſumente, conſequens eſt, ut de Natura creata aſſumpta, & aſſumptibili, tractemus: quod per varias quæſtiones claritate poſsibili exequi conabimur. Sit ergò.

QUÆST. I.

AN HUMANITAS CHRISTI DOMINI exiſtat in Verbo per huius exiſtentiam, vèl per propriam?

1 TRiplex *eſſe*, diſtingui ſolet in Natura. *Eſſe eſſentiæ*, quod idem omninò eſt cùm ipſa Eſſentia á parte rei, & ſolum diſtinctum, ùt concretum ab abſtracto. Secundò, *eſſe exiſtentiæ*; & eſt, quo unaquæque res eſt in *rerum Natura* actu formalitèr, & extrà omnes ſuas cauſas formalitèr poſita; quia à ſuis cauſis ponitur in rerum natura, & extrà potentiam objectivam. Tertiò tandém, *eſſe ſubſiſtentiæ*: & eſt, *eſſe actualis* exiſtentis in ſe ipſo, non dependêtis in ſubſiſtendo ad aliud, út ad ſup-

po-

poſitum : de quo actum eſt, diſp. antecedenti. In præſenti ergò agimus non de *eſſe eſſentiæ* ; nàm omnino certum eſt, Humanam Naturam in Verbo ſitam propriam eſſentiam habere. Loquimur ergò de *eſſe exiſtentiæ* ; & quærimus : an *Natura Humana* in Chriſto Domino habeat ſuam propriam exiſtentiam , & per eam exiſtat ; àn verò exiſtat per exiſtentiam Verbi?

2 In hac celebri controverſia duplex eſt oppoſita ſententia. Prima eſt Div. Thomæ 3. part. quæſt. 17. artic. 2. cum communi Thomiſtarum: & negat in Humanitate Chriſti Domini aliquam exiſtentiam creatam ; ſed Humanitatem aſſumptam eſſe per unionem hypoſtaticam non ſolùm ad ſubſiſtentiam Verbi , ſed etiam ad exiſtentiam. Secunda , quæ eſt negativa , defendit : Humanitatem Chriſti Domini propriam habere exiſtentiam creatam, qua de facto exiſtit : & ſic etſi aſſumpta fuerit ad ſubſiſtendum in Verbo , non tamén ad exiſtendum. Sic Subt. Doct. in 3. diſt. 6. quæſt. 1. cum omnibus Scotiſtis , & P. P. Societatis, cum quibus ſit

NOSTRA CONCLUSIO.

3 HUmanitas Chriſti Domini exiſtit formaliter per exiſtentiam creatam , & propriam ; & non per exiſtentiam Verbi. P. P. Societatis primò concluſionem probant authoritate Div. Thom. 3. part. quæſt. 4. artic. 2. in corpore , ubi ait : *illud , quod aſſumitur , oportet præintelligi aſſumptioni ; ſicut illud , quod movetur localiter , præintelligitur ipſi motui.* Núnc ſic ; ſed Natura humana eſt , quæ aſſumitur : ergò ſicut illud , quod movetur localiter præintelligitur exiſtens , ſaltèm prioritate naturæ , ipſi motui locali ; ſic & Natura humana , quæ aſſumitur à Divino Verbo, præintelligitur exiſtens , ſaltim prioritate naturę , ad aſſumptionem; & conſequenter Verbum aſſumpſit humanitatem exiſtentem propria , & creata exiſtentia pro priori naturę ad aſſumptionem. Citant etiam Divum Thomam in 3. ſententiarum diſt. 5. quęſt. 3. artic. 1, Et Anibaldum diſt. 2. quæſt. unic. artic. 4. Certé laborare, & inſudare debent Thomiſtę in hoc argumento ſolvendo; quo & nos forſam utemur , pro

eo-

eorum reſponſionibus impugnandis. Nunc verò

4 Prob. 1. Concluſio authoritate ex 7. Synodo, actione 6., tom. 3. collat. 8., ubi quidam Epiphanius Epiſcopus in hoc diſtinguit Naturam ab hypoſtaſi, quod Natura tantùm dicit humanitatem exiſtentem: hypoſtaſis verò dicit ſubſiſtentiam: ergò cùm Natura Humana Chriſti ſit realitér diſtincta á Verbo, debet dicere exiſtentiam creatam formalitér diſtinctam ab exiſtentia increata Verbi. Deindè 6. Synod. Generali in Epiſt. Agattonis; & actione 11. docetur: Verbum aſſumpſiſſe humanitatem cum omnibus ſuis partibus, proprietatibus, & perfectionibus connaturalibus; ſed de numero harum perfectionum eſt exiſtentia; cùm hæc extrahat Naturam de ſtatu imperfecto poſſibilitatis, & futuritionis ad ſtatum perfectum actualitatis: ergò &c. Tandém Damaſcenus lib. 3. de fide, cap. 11., & 12. ait: *quod nèc reverà Natura Humana in Deitatis Naturam verſa, nequè ſubſtantia, exiſtentiaquè privata.* Hoc ipſum aſſerunt frequenter Concilia, & P. P., ut videri eſt apud A. A. noſtræ ſententię.

5 Pater Gonet ex Alvarez ait, quod iſtis authoritatibus de facili ſatisfit. Reſpondet enim, quod per ly *exiſtentiam* intelligitur exiſtentia *radicalis*, id eſt, ex ſe ipſa potens exiſtere abſque adminiculo exiſtentiæ alterius Naturę; non verò exiſtentia *actualis formalis*, quæ præventa fuit ab exiſtentia Verbi. Sed videat Gonet, án hæc facilis ſatisfactio ſit vera, aùt violenta expoſitio. Si vera enim eſſet, Epiphanius per Naturam, & Humanitatem exiſtentem intellexiſſet etiàm Naturam ſubſiſtentem radicalitér, id eſt, ex ſe ipſa potente ſubſiſtere abſque adminiculo ſubſiſtentiæ alterius Naturæ; quiá propria ſibi debebatur ſubſiſtentia, niſi â ſubſiſtentia Verbi fuerit præventa; ſed hęc expoſitio eſſet ridicula: ergò & illa, quam tradit Gonet.

6 Probatur 2. concluſio ratione: Natura Humana aſſumpta à Verbo fuit verè, & realitér producta á tota Trinitate, & B. V. Maria pro priori ſaltim Naturæ ad aſſumptionem ipſius à Verbo: ergò & habuit propriam exiſtentiàm creatam, quaque pro tali priori, & nùnc exiſtit in Verbo. Antec. eſt certum; aliás Verbum non aſſumpſiſſet Humanitatem productam á Virgine, ſed ſolúm aſſumpſiſſet humanitatem in virtute productiva B. Virginis, quod

eſt

est falsum. Prob. conseq. : actio, qua Humanitas Christi fuit producta à tota Trinitate, & à Deipara, non potuit non dare ipsi *esse actuale*, & actualitatem oppositam potentiæ objectivę, & contentam antè actionem productivam in virtute prædictarum causarum ; sed huiusmodi actualitas Naturæ Humanæ non potest non esse propria existentia : ergò &c. Maior discursus est certa ; quia omne causabile per actionem productivam extrahitur ex nihilo, & extra potentiam objectivam ad actú esse in rerum natura, & extra suas causas. Min. probatur : talis existentia non est existentia Verbi ; quiâ hęc non continetur in virtute productiva Humanitatis, utpoté increata: ergo &c.

7 Confirmatur: pro priori ad unionem modo dicto, Humanitas Christi Domini fuit verè producta á B. Virgine : ergò & fuit producta ejus propria, & creata existentia. Prob. conseq. : causalitas efficientis non terminatur ad nihil, sed ad ens reale in actu ; ergô actio B. V. terminabatur ad aliquid in Natura Christi Domini reale, & in actu. Nùnc sic ; sed huiusmodi esse reale, & in actu est ens actú existens : ergò actio, seú causalitas Deiparæ terminabatur ad dandam existentiam Humanitati Christi Domini. Minor subsumpta est doctrina ipsorummet Thomistarum, qui per existentiam intelligunt actualem entitatem rei, vi cuius illud, quod ante existentiam erat in potentia objectiva, & intra suas causas, formaliter constituitur entitas actualis, & extra suas causas. Videatur Gonet tom. 4. disp. 8. art. 2. num. 30., ubi ex Div. Thoma explicat existentiam, dicendo, quód consistit in hoc, quod est, esse actum entis, in quantùm est ens, seú id, quo aliquid denominatur ens actú in rerum natura.

8 Confirmatur ultrà: unio Naturę Humanæ ad Divinitatem est realiter distincta ab actione productiva humanitatis; ità, ùt hæc præcedat pro priori naturæ actionem unitivam: quæro : vél per hanc actionem productivam Humanitatis, Humanitas fuit posita extra suas causas, vèl non ? Hoc secundum, nequit dici ; aliàs Christus Dominus non fuisset veré Filius Deiparæ, quod nequit dici. Si primum ; ergò per huiusmodi actionem productivam sic præcedentem unitivam, verè Humanitas Christi Domini fuit posita extra causas, non manendo in mera potentia objec-

jectiva ; sèd ſi verè poſita fuit extra cauſas , verè recepit exiſtentiam creatam : ergò eam recepit , & conſequénter per iſtam in Verbo ſubſiſtit. Varié reſpondent Thomiſtæ huic rationi.

9 Reſpondent 1. , quòd, etſi Humanitas pro tali priori ſit producta à B. Virgine , tamén terminus talis productionis fuit *eſſe eſſentiæ* Humanitatis ſecundúm ſe ; non verò *eſſe exiſtentiæ* , niſi ad ſummum *eſſe exiſtentiæ* per unionem eſſentiæ ad Div. Verbum. Sèd contrà: admiſſo pro nùnc , quod eſſentia ſecundúm ſe actualis realitêr diſtinguatur ab exiſtentia actuali , (quod eſt falſum ,) talis eſſentia ſecundúm ſe non potuit eſſe terminus actionis productivæ Humanitatis : ergò non tenet ſolutio. Prob. antec. : eſſentia ſecundûm ſe non eſt producibilis : ergô nequit eſſe terminus talis actionis. Deindè : actio productiva unionis ad Divinitatem , eſt realitèr diſtincta ab actione productiva Humanitatis , ût concedunt Thomiſtæ: ergò terminus huius actionis non potuit eſſe eſſentia Naturæ Humanæ , ût unienda Verbi exiſtentiæ.

10 Salmaticenſes tract. 20. de Incarnatione , diſp. 8., num. 98., concedunt , quòd Humanitas præintellecta fuit ad aſſumptionem , & quòd priùs fuit ens , quám Verbo perſonalitèr unita ; séd ex hoc non ſequitur habuiſſe exiſtentiam pro priori ad unionem ; sèd ſolùm actualitatem eſſentiæ cum ordine ad exiſtentiam in eodem inſtanti ſibi communicandam. Ratio eſt ; quia exiſtentia eſt actualitas rei ultima completè , & perfectiſsimé conſtituens rem extra cauſas ; quod non habet Humanitas pro priori ad ſubſiſtentiam. Undè , cùm hæc non ſit pro priori ad unionem cum Verbo in Humanitate , nèc in Humanitate erit exiſtentia completa , sèd ſolúm *ſecundúm quid vialitér* , *& in fieri*. Hæc reſponſio his terminis , vêl alijs eſt præcipua , & feré unica apud Thomiſtas. Séd

11 Contrá 1. : ex Div. Thoma cit. num. 3. huius : *illud, quod aſſumitur oportet præintelligi aſſumptioni , ſicùt illud , quod movetur localitèr , motui præintelligitur*; séd quod movetur localitèr neceſſariò præintelligitur exiſtens completè & ſimpliciter, & non ſolúm *ſecundum quid, vialitèr, aut in fieri* : ergo ût teneat exemplum Angelici Doct., dicendum eſt, quod illud , quod aſſumitur , ſcilicèt , Natura Humana , præintelligitur aſſumptioni completè , & perfectè exiſtens

tens, & non ſolùm &c.

12 Contrà 2.: Humanitas, juxta reſponſionem, pro priori ad aſſumptionem intelligitur producta, & conſequenter, ùt ens actuale; séd hoc ipſo præintelligitur exiſtens, nedúm *ſecundùm quid*, *vialitèr*, *& in fieri*; sèd etiam *perfectè*, *& completè*: ergò non tenet reſponſio. Prob. min.: in productionibus inſtantaneis, ûti eſt iſta, & quævis alia ſubſtantialis productio, idem eſt re, & ratione *fieri*, ac *factum eſſe*: ergò ſi pro priori ad aſſumptionem Humanitas exiſtit *in fieri*, etiàm *in facto eſſe*. Conſeq. conſtat; quiâ ſi tales productiones, néc re, nec ratione diſtinguuntur, idem erit *fieri*, ac *factum eſſe*. Prob. antec.: productio *inſtantanea*, *& ſucceſſiva* includunt modos contradictorios; ſéd in productione ſucceſsiva *fieri*, *& factum eſſe* nedúm ratione, séd etiam realitèr modalitèr diſtinguuntur: ergò in productione inſtantanea hæc nèc re, nèc ratione diſtinguuntur; & conſequènter idem eſt *fieri*, ac *factum eſſe*.

13 Contrà 3.: juxtà ſolutionem, ideò Humanitas pro priori naturæ ad aſſumptionem, etſi intelligatur producta, non intelligitur perfectè, & completé exiſtens, quiâ pro illo priori non eſt determinata per ſubſiſtentiam, quę inquavis Natura præcedere debet, út perfectè, & completè ſimplicitèr exiſtat; sèd hęc doctrina falſa eſt: ergò & reſponſio in ipſa fundata. Prob. min.: ſubſiſtentia non præcedit exiſtentia m, sèd eam ſubſequitur: ergó ſubſiſtentia non præcedit exiſtentiam completam, & perfectam. Prob. ant.: ſubſiſtentia, juxtá Thomiſtas, eſt modus poſitivus actualis Naturæ, ab ipſa realitér modalitér diſtinctus: ergò ſupponit Naturam undéquaquè actualem, & exiſtentem; & non ſolùm *vialitér*, *& in fieri*. Conſeq. infertur, & probari poteſt paritate cuiuſcumque modi poſitivi, & extrinſeci. Ex his omnibus impugnationibus, ſic brevitèr efformari poteſt ratio probativa noſtrę concluſionis.

14 Humanitas Chriſti Domini fuit veré, ſimplicitér, & perfectè producta, priùs natura, quàm á Verbo aſſumeretur; sèd hoc ipſo pro illo priori naturę talis Humanitas habuit veram, completam, & perfectam exiſtentiam, & non ſolùm eſſentiam Humanitatis *ſecundùm ſe*, ùt ajebant primi Thomiſtæ; néc tantùm exiſtentiam incompletam, & vialem, ùt cum Salmanticenſibus communior Thomiſtarum reſpondet: ergò Humanitas &c. Prob. min.: id quod per generationem ſimplicitèr,

& perfectè producitur, eſt eſſentia, cum exiſtentia; ſeù eſſentia habens exiſtentiam, juxtá Philoſoph. 5. Metaph. tex. 7.: ergò ſi Humanitas fuit verè ſimplicisèr &c.

15 Probatur 3. Conclusio: anima Chriſti Domini, pro priori ad unionem cum Verbo, fuit verè, & propriè á Deo creata: ergò pro illo priori habuit talis anima completam, & perfectam exiſtentiam; séd non divinam; cùm pro illo priori hæc non intelligatur, nèc per creationem poſsit habere eſſe: ergó creatam. Prob. 1. Conſequentia: creatio terminatur ad aliquod exiſtens perfectè, & completè, cùm per creationem tranſeat entitas creata de non eſſe *ſimplicitèr*, *ad eſſe ſimpliciter*, quod neceſſario involvit exiſtentiam perfectam, & completam: ergó &c. Confirmatur: Humanitas Chriſti ſua habuit accidentia; sèd hęc ſolùm poterant ſubjectari in entitate reali actuali Humanitatis exiſtentis exiſtentia creata; cùm Divina ſit incapax horum accidentium: ergò habuit exiſtentiam propriam creatam, perfectam, & completam.

16 Prob. 4. Conclusio: in satis communi ſententia Thomiſtarum non dantur tres exiſtentiæ relativę, ſicut nèc tres relativæ ſubsiſtentię, sèd ſolùm una exiſtentia abſoluta, communis tribus Divinis Perſonis: ergò ſi humanitas Chriſti Domini exiſtit formalitèr, & immediatè exiſtentia Verbi Divini, exiſtet formalitèr, & immediatè unita exiſtentiæ abſolutæ Dei communi toti Trinitati. Hæc conſeq. conſtat paritate ſubsiſtentiæ; quià si Humanitas non eſſet immediatè unita ſubsiſtentię Verbi Divini, non diceretur formalitèr ſubsiſtens ſubsiſtentia Verbi: ergò paritér dicendum de exiſtentia. Nùnc sic; sèd repugnat, quòd Humanitas Chriſti Domini exiſtat formalitèr, & immediatè per exiſtentiam abſolutam, increatam, communemquè toti Trinitati: ergò. Prob. hæc min.: si Humanitas sic exiſteret, totæ tres Divinæ Perſonæ, ratione unius exiſtentiæ, fuiſſent incarnatæ; sèd hoc nequit dici: ergò repugnat, quòd Humanitas Chriſti Domini exiſtat per talem exiſtentiam.

17 Nèc juvat dicere, ùt ſolent reſpondere Thomiſtæ, quòd exiſtentia abſoluta Dei, non proút eſt communis tribus Divinis Perſonis, séd proùt eſt in Filio, terminat, & complet ultimatè Naturam Humanam, & eam conſtituit formalitèr exiſtentem, & extra ſuas cauſas: admodum, quo Eſſentia Divina, etsi ſit prædicatum abſolutum, & com-

commune toti Trinitati, tamèn ſecundùm quod eſt in Patre, & non ſecundùm quod eſt in Filio, & Spiritu Sancto, eſt principium, *quo* generationis Verbi. Non juvat, inquam; quià hęc reſponsio rejecta à nobis manet Diſp. antecedenti, quæſt. 1., à num. 5. Vide ibi; ſicùt & in Noſtro Maſtrio Diſp. 1. quæſt. 6. artic. 1. videri poſſunt aliæ impugnationes, & reſponsiones Thomiſtarum.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

18 ARguitur 1. ex varijs authoritatibus S.S. P. P. Et primo ex 6. Synodo Generali action. 11., in qua approbatur Epiſtola Sophronij, in qua dicitur: *in illo itàque*, (id eſt, Verbo,) *et non in ſe ipſa habet exiſtentiam unam cum Verbo*. Leo Papa Decretali 11. ait: *Natura noſtra non ſic aſſumpta eſt, ùt priùs creata, poſteà aſſumeretur, sèd ùt ipſa, id eſt, in ipſa aſſumptione crearetur.* Div. Fulgentius libro de Incarn., cap. 3. ait: *ipſa acceptatio carnis fuit conceptio Virginalis.* Tandèm Damaſcenus lib. 3. de fide, cap. 22. ait: *Naturam humanam Chriſti Domini exiſtere per exiſtentiam Verbi*; ſed ex his, alijſquè authoritatibus S.S. P.P. claré colligitur, quód Humanitas Chriſti Domini exiſtit per exiſtentiam Verbi Divini: ergó.

19 Ante ſolutionem particularem argumenti, oportet prænotare contrà quos agebant S. S. P. P. Tractabant ènim contra Neſtorianos, Eutychetem, alioſquè Hæreticos, qui aſſerebant, Humanitatem Chriſti Domini, ejuſquè animam præceſiſſe tempore aſſumptionem ipsius à Verbo, & ante unionem in Cœlo præxtitiſſe. Hic ergo error erat ſcopus, contra quem S.S.P.P. arguebant, quemque efficacitèr refellunt præallegatis authoritatibus, quod & nos ultrò ſecundum fidem fatemur, ſcilicèt, nèc animam Chriſti Domini, nèc ejus Humanitatem per priùs prioritate temporis extitiſſe, nèc Cœlum aſcendiſſe, antequàm unitæ fuiſſent Verbo; séd quód in eodem inſtanti temporis caro fuit genita, & organizata: anima creata, unitaquè Corpori: & tandèm tota Humanitas Chriſti Domini unita Verbo in unitate Perſonæ. Non veró intendebant ſtatuere, quòd hæc Humanitas exiſtebat in Verbo, ipſamet Divini Verbi exiſtentia. Séd quia ex hac doctrina generali, ſolúm poteſt ſolutio generalis parari præallegatis authoritatibus; núnc in particulari

20 Reſpondeo: & primò ad illam Sophronij, ad quam aliqui dicunt, quòd in tali Epiſtola non legitur *cum Verbo*, sèd *in*

Vera

Verbo Dei. Sic Macedo noſter in tom. quodam ſingulari, collatione 3. differentia 2. quo ſuppoſito, clarè infertur, quòd non eſt talis authoritas contra nos; certum ènim eſt, quòd Humanitas exiſtit in Verbo, sèd non cum exiſtentia Verbi; habet énim exiſtentiam unam in Verbo, ſed hæc una exiſtentia non eſt ipſa exiſtentia Verbi, sèd propria ipſius Humanitatis. Sed hac ſolutione omiſſa, dico, quòd etſi dicat, quòd Humanitas habet exiſtentiam unam *cum Verbo*, ex hoc ſolùm ſequitur, quòd Humanitas ſemper extitit cum Verbo; ita, ùt non priùs extiterit in ſe, & poſtèa cum Verbo; quin ex hoc ſequatur, quòd exiſtat exiſtentia Verbi.

21 Explicatur hoc: aliud eſt habere exiſtentiam in Verbo Humanitatem Chriſti: & aliud eam exiſtere exiſtentia Verbi. Primum concedimus; ſecundum verò negamus; cuius falſitas patet his exemplis: anima rationalis exiſtit in corpore: & non ob hoc exiſtit per exiſtentiam corporis, sèd per ſuam propriam exiſtentiam. Forma quævis materialis exiſtit in materia, & tamèn non per exiſtentiam materiæ, ſed per ſuam propriam exiſtentiam. Tandém in probabili ſententia, eſtò accidens exiſtat in ſubjecto, non tamèn per exiſtentiam ſubjecti; quià gaudet propria exiſtentia. Sic ergò pariter; licèt Humanitas Chriſti Domini habeat exiſtentiam unam cum Verbo, non exiſtit exiſtentia Verbi. Néc terrere nos debet ly *unam*; quiá ly *una* non appellat ſupra unitatem exiſtentiæ Verbi, séd ſupra unitatem exiſtentiæ humanæ. Et quòd hęc ſit mens Sophronij, patet ex ſubſequentibus verbis, ubi ſubjungitur: itàque *in illo, & non in ſeipſa habuit exiſtentiam unam.* Ex hac ergò reſponſione tàm generali, quàm particulari ſufficiètiſsimè ſatisfit authoritatibus Div. Leonis, Sanctique Fulgentij.

22 Séd, quia authoritas Div. Damaſceni, aliquam præſeferre difficultatem videtur: reſpondeo 1. quòd talis authoritas non eſt expreſſa in Damaſceno, ùt notarunt Eximius Suarez, Macedo, & alij plurimi, sèd fuit introducta à Patre Medina. Quæ ènim ibi leguntur àpud Damaſcenum, ſunt hęc: *carnem ab ultimo ortu Deo Verbo unitam eſſe, imò potiùs in eo extitiſſe: & perſonalem cum eo identitatem habuiſſe.* Ubi obſervari debet, Sanctum Doct. non dicere: *carnem per Verbum exiſtere*, sèd *in Verbo exiſtere*, quod tàm longè abeſt, ùt faveat contrarijs; quin imó ipſis officit. Sed hoc omiſſo, reſpondeo 2. brevitér, quòd quando Damaſcen. diceret, Hu-

manitatem Chriſti exiſtere per exiſtentiam Verbi, per ly *per exiſtentiam* intelligitur *per ſubſiſtentiam*. Et quòd hæc expoſitio non ſit illegitima, & voluntaria, ſatis conſtat ex N. Macedo, qui ait, quod in græcis exemplaribus, utitur nomine *Hyparxim*, quod ſignificat ſubſiſtentiam. Et ſic verum eſt, & de fide, quòd Humanitas Chriſti exiſtit per ſubſiſtentiam Verbi.

23 Replicabis: ſi Humanitas pro priori ad unionem ad Verbum habuit exiſtentiam in ſe, ſequitur, quòd pro illo priori extitit in ſe, & non in Verbo; sèd hoc eſt contrà authoritates allegatas, & contrà Doct. hic diſt. 2. quæſt. 2.: ergò &c. Reſpondeo negando ſequelam; quià etſi Humanitas pro illo priori intelligatur habens exiſtentiam, non tamén exercité exiſtens; quià ad primum ſufficit inſtans naturæ, quod exprimitur per verba: *intelligi, concipi &c*: ad ſecundum verò exigitur inſtans temporis, quod ſignificatur per verbum *ſum, es, fui*; undè ſtat benè, quòd per prius prioritate naturæ intelligatur Humanitas habens exiſtentiam; non verò, quód ſit pro tali priori exiſtens in ſe. Ad modum, quo, licèt intelligatur priùs natura *homo*, quàm riſibilis, non ob hoc exiſtit homo priùs, quàm risibilitas.

24 Arguitur 2. ratione: ſi Chriſti Humanitas exiſteret per propriam exiſtentiam, darentur in Chriſto duæ ſubſtantiales exiſtentiæ; séd hoc repugnat ergò &c. Mai. conſtat; nàm daretur in Chriſto exiſtentia creata, & increata. Min. probatur: ſi tales exiſtentiæ darentur in Chriſto, Chriſtus non eſſet ens ſubſtantialitér unum, séd plura; sèd hoc non admittimus: ergò &c. Prob. mai.: unum *per ſe* fit ex per ſe actu, & per ſe potentia; quià *ex pluribus entibus in actu completo*, nequit fieri unum *per ſe*; ſed ex illis duabus exiſtentijs, nulla ſe haberet per modum potentiæ reſpectu alterius: ergò tùnc caſus Chriſtus non eſſet ens ſubſtantialitèr unum, sèd plura. Min. conſtat; quiá id, quod eſſetialitér eſt ultima actualitas ſubſtantialis, nequit habere rationem potentiæ ad aliam actualitatem; séd quælibet ex illis exiſtentijs eſſet ultima actualitas ſubſtantialis: ergò &c. Hoc ùt præcipuo fundamento utuntur Salmaticenſes, & ex ipsis Gonet.

25 Reſpondeo tamèn 1. negando abſolutè minorem probationis; quiá, etsi in Chriſto ſint duæ exiſtentiæ, non ob hoc debet dici abſolutè plura entia ſubſtantialitèr; nàm ad multiplicationem concreti ſubſtantialis

non

non ſufficit multiplicatio formę, ſéd ultrà requiritur multiplicatio ſuppoſiti, quod non evenit hic. Vide dicta quæſt. 4. diſp. antec. à num. 5. Reſpondeo ſecundó, & diſtinguo maiorem probationis : ſi in Chriſto darentur duæ exiſtentiæ, Chriſtus non eſſet ens ſubſtantialitèr unum *neutralitèr*, conc. mai. : *maſculinè*, nego mai.. Hæc ſolutio, & diſtinctio ad longum declarabitur diſp. ſequenti, dúm inquiratur: àn unio hypoſtatica facta fuerit in unitate Naturæ, aùt Perſonæ ? Quare hic non immoror, né eadem doctrina bis repetatur.

26 Reſpondeo 3., negando min., & minorem probationis; ad prob. diſt. mai. : unum *per ſe* naturale unitate compoſitionis ſtrictæ, & rigoroſæ; fit ex per ſe *actu* & per ſe *potentia*, conc. mai.: unum *per ſe* ſupernaturale, & ineffabile, & unitate compoſitionis non rigoroſæ, & ſtrictæ, *ùti eſt Chriſtus*, fit ex per ſe *actu*, & per ſe *potentia*, nego mai.: eiſdem terminis diſtinguitur probatio imbibita, & nego conſeq.. Hæc etiàm ſolutio conſtabit ex diſp. cit. quæſt. inquirente : àn Chriſtus Dominus verè ſit, & dicatur Perſona compoſita propria compoſitione ? Reſpondeo tandém, diſtinguendo probationem imbibitam : ex duobus entibus in actu completo tàm in linea exiſtendi, quàm ſubſiſtendi nequit fieri unum per ſe, omitto : ex duobus entibus in actu completo, in linea exiſtendi ſolùm, nequit fieri unum per ſe, ſub diſtinguo: nequit fieri unum per ſe *unitate eſſentię, & naturæ*, concedo mai. : unum per ſe *unitate ſubſiſtentię*, nego: eiſdem terminis poteſt diſtingui probatio. Ex his quatuor ſolutionibus ſufficientiſſime ſolvitur fundamentum Thomiſtarum. Verùmtamen contra iſtam ultimam ſolutionem

27 Replicabis : ſi Humanitas Chriſti habet propriam exiſtentiam, eſt ens completum in linea *exiſtendi*, & *ſubſiſtendi*: ergó cùm ex entibus completis tàm in *exiſtendo*, quàm ſubſiſtendo nequeat fieri unum *per ſe*, hoc non reſultaret ex Humanitate, & Perſonalitate Verbi. Prob. ant.: ſuſceptivum exiſtentiæ eſt ſubſiſtentia, aùt Perſonalitas: ergó ſi Humanitas Chriſti habet propriam exiſtentiam, præſupponit ſubſiſtentiam, ùt receptivam ipſius ; & conſequèntèr eſſet ens completum in utràque linea. Prob. antec. : 1. ex Philoſ. in *prædicamentis*, cap. *de ſubſtantia*, ùbi ait : *quòd prima ſubſtantia*, (ſcilicèt ſuppoſitum) *eſt primum ſubjectum ; quià ipſi per ſe primò competit exiſtere*: undè primis ſubſtantijs ablatis, nihil earum remanet : ergò ſubjectum receptivum exiſtentię eſt ſubſiſtentia. Prob. 2. idem antec.:

rer-

terminus generationis eſt ſuppoſitum; quiá ſuppoſitum eſt, quod fit, ſeù generatur *ùt quod*; sèd quod ità generatur, recipit *ùt quod* exiſtentiam: ergó ſubſiſtentia recipit exiſtentiam. Demùm: exiſtentia ex ſuo conceptu formali eſt extractio rei extrà omnes ſuas cauſas; sèd Natura, cui deèſt ſubſtantiale complementum ſubſiſtentiæ, non eſt extra omnes ſuas cauſas; cûm intelligatur ab illis dependens, quantúm ad ſubſtantiale complementum ſubſiſtentiæ: ergò &c.

28 Hæc replica certè eſt Achiles Tomiſtarum; quiá nihil magis decantatum in hac materia àpud eos, quâm quòd *ſubſiſtentia eſt prior in Natura, quàm exiſtentia.* Séd hęc maxima non sàtis probatur ab ipſis, quinimò àpud Noſtrates convincitur ùt falſa. Ratio aſsignatur; quiá priùs eſt, ſaltèm prioritate naturę, Naturam eſſe extrà cauſas productam, quod habet per exiſtentiam; quàm eſſe ſuppoſitum, ſeù Perſonam. Secundò; quiá prius eſt in Natura incommunicabilitas *ùt quod*, & per modum univerſalis, quàm incommunicabilitas *ùt quo*, per modum formæ totius; séd prior incommunicabilitas tribuitur Naturę per exiſtentiam; poſterior verò per ſubſiſtentiam: ergò prior eſt illa in Natura, quàm iſta. Tandèm; priùs eſt in Natura, quod eſt realitèr idem cum ipſa, quàm quod ab ipſa ſeparari poteſt, ùti eſt Perſonalitas, ùt de fide videmus in hoc myſterio: ergò idem, quod prius. Nèc obeſt, quòd exiſtentia ſit, & dicatur actus ultimus Naturæ; talis ènim eſt in linea per ſe eſſendi, non in linea ſubſiſtendi, ſeù per ſe eſſendi incommunicabiliter *ùt quo.* Hac ergó doctrina pro núnc ſufficientèr impugnata maxima Thomiſtarum, ad replicam in forma

29 Reſpondeo negando 1., & 2. antec.. Ad 1. probationem ex Philoſ. poteſt dici, quòd cùm non agnoverit realem diſtinctionem, & ſeparabilitatem ſubſiſtentiæ á Natura Humana Chriſti, quam nos fide fatemur, immeritò ex ipſo argumentum ſumitur. Sed reſpondeo: Philoſophum intelligi de Natura ſingulari, quæquidém eſt principium *quod* receptivum, & operativum, ac fundamentum ſecundarum ſubſtantiarum, ſcilicèt, generum, & ſpecierum; ideòque ſubjunxit ibi, quód ſublatis primis ſubſtantijs, hoc eſt, ſingularibus nihil earum remanet; quiá juxtà ipſum Naturę communes, & univerſales neque exiſtunt, neque exiſtere poſſunt, niſi in ſingularibus

30 Ad 2. probationem, diſ-

diſtinguo mai.: terminus generationis *ſecundarius*, *& concomitans*,& quod ultimó fit ſecùndum ultimam denominationem tantùm, eſt ſuppoſitum, conc. mai.: terminus *totalis*,*& primarius*, qui per generationem fit, eſt ſuppoſitum, nego mai.: & diſtinguo min.; ſed quod generatur, ùt terminus *totalis*,*& primarius*, recipit exiſtentiam,conc. min.; quod generatur tantùm, ut terminus *ſecundarius concomitans*, & ſecùndum ultimam deminationem, nego min., & conſeq.. Terminus ergo primarius generationis juxtà Doct. in 1. diſt. 12.quæſt. unica §. *ad ſecundum principale*, eſt natura ſingularis, ſeù ſingulare, & exiſtens; hoc énim eſt, quod verè per generationem efficitur. Suppoſitum verò eſt terminus ſecundarius, concomitans generationem Undè non fit propriè per generationem; cùm ſubſiſtentia formalitèr, vèl ſit pura negatio incommunicabilitatis, vél modus poſitivus conſequens naturam ſingularem exiſtentem, in ipſaque fundatus.

31 Ad ultimam probationem nego min.; maximè in ſententia conſtituente ſubſiſtentiam in negativo, quę àpud nos probabilior eſt. Sed admiſſo, quòd in poſitivo conſiſtat, adhùc minor eſt falſa;quià ſolùm ſequitur, quód ſubſiſtentia ſit perfectio ſubſtantialis, & complementum ſubſtantantiale Naturæ extrinſecum, & ſeparabile; non verò ſubſtantiale, & intrinſecum; hoc ènim ſolùm eſt, quod complet Naturam in linea eſſendi, & per ſe exiſtendi: & hoc provenit à ſingularitate, & exiſtentia. Undè cùm dicitur: *ſubſiſtere eſt maxima perfectio Naturæ*,ly *ſubſiſtere* debet ſumi per *per ſe exiſtere*; non verò per *incommunicabiliter exiſtere*, ùt exponit N. Doct. quodlib. 1.

32 Arguitur 3.: ęquè potens eſt exiſtentia Verbi ad conſtituendam humanitatem exiſtentem, ác ſubſiſtentia ad reddendam humanam Naturam ſubſiſtentem; sèd humana Natura redditur ſubſiſtens per Verbi ſubſiſtentiam: ergo & redditur exiſtens per exiſtentiam Verbi. Probatur mai.: ideò ſubſiſtentia conſtituit Humanitatem ſubſiſtentem, quia utpotè actus purus, & infinitus in linea ſubſiſtendi continet eminentèr omnem creatam ſubſiſtentiam; séd etiam divina exiſtentia propter eamdem rationem continet eminentèr omnes creatas exiſtentias: ergò ęquè potens eſt &c. Reſpondeo negando mai., & maiorem probationis;quia reddere Naturam ſubſiſtentem non ſpectat ad genus cauſę efficientis,

cu-

cùius èst continentia eminentialis, séd ad genus causæ formalis extrinsecę, & sic nullatenus requiritur, sèd impertinens est hęc continentia eminentialis Thomistarum.

33 Quod ergò requiritur est, quod sit independens, seù incommunicabile; nâm hoc quà tale potest terminare dependentiam, aùt communicabilitatem alterius communicabilis ad ipsum, quod natum est habere personam pro termino, non verô Naturam. Deindè, si hæc continentia sufficeret, sequeretur, quòd divina Natura, & essentia esset potens constituere Humanitatem in esse Naturæ, & Essentię formalitèr; cùm sit actus purus, & infinitus undéquaque, continensqué eminentialitêr omnes Naturas creatas; quod nequit concedi. Demúm, cúm Divina Personalitas sit independens, & subsistentia creata, ejusque natura sint realitér distincta, & separabilia, optimè potest Natura creata, in eo signo, in quo debebat terminari propria personalitate, terminari aliena, maximé divina; non sic potuit talis Natura habere esse actuale essentiæ, quin haberet actualem propriam existentiam; cùm in nostris principijs, hę formalitates realitér identificentur. Sed adhûc admissa distinctione reali inter ipsas, patent alię disparitates inter existentiam, & subsistentiam, út videri possunt in probatione nostrę conclusionis.

34 Arguitur 4.: si vera est nostra conclusio, B. V. Maria non fuit verè Mater Dei; séd hoc est absurdum, & contrá Concilium Ephesinum: ergò &c. Prob. mai.: út B. Virgo sit proprié Mater Dei, terminus concursus ipsius Virginis debet esse *Homo Deus*; séd talis non esset, si Humanitas haberet propriam existentiam; ergô. Prob. min.: si Humanitas habuit propriam existentiam, concursus Virginis intelligitur totalitér terminatus, antequam supposítum divinum terminaverit Humanitatem: ergò terminus ipsius concursus non esset *Homo Deus*. Hoc argumentum, si urget, premit contrarios, vèl assignent in Humanitate Christi Domini, carente propria existentia, terminum tactum â concursu B. Virginis. Si dicant, quód essentia actualis Naturæ Humanæ: præterquamquód hoc nequit dici; cùm essentię nudè sumptę non generentur, hoc idem & nos respondere possumus; & facilíùs; cùm præter essentiam actualem,

aſsignemus exiſtentiam actualem ipſius, quæ eſt, quæ propriè gignitur.

35 Reſpondeo tamén directé, negando maiorem, & minorem probationis. Eſt ergò B. V. Mater Dei; quià actio generativa ipſius habet terminum phyſicę generationis in Humanitate, propria exiſtentia exiſtente, & dependente á generatione activa B. Virginis; quęquè Humanitas ſic genita â Virgine habet ultimum terminum in ſuppoſito Verbi, quod eſt verus Deus. Undé actio generativa Virginis habuit ultimum terminum in Verbo; non quiâ aliquid Verbi, séd quia Verbum ipſum eſt ultimus terminus Humanitatis genitæ á Virgine. Et hoc ſufficit, ùt dicatur, genuiſſe Deum Hominem; quiâ genuit Naturam Humanam ſingularem, perſonatam perſonalitate Divina. De hoc latiùs forsàm in alio loco; ſi per tempus licuerit pertractare de excellentijs Deiparæ.

36 Arguitur 5.: admiſſa diſtinctione reali inter eſſentiam, & exiſtentiam (úti de facto admittitur á Noſtratibus pro núnc) Humanitas ſiné propria exiſtentia potuit uniri Verbo Divino: ergó ſic de facto factum eſt; & conſequenter non exiſtit exiſtentia propria. Prob. antec.: ideò per nos Humanitas ſine propria exiſtentia non potuit uniri hypoſtaticè Verbo, quiâ unio hypoſtatica eſt relatio realis actualis: & ſic ejus fundamentum, ſcilicêt, Humanitas, debet eſſe actû exiſtens; ſed Humanitas, admiſſa diſtinctione reali eſſentiæ ab exiſtentia, poteſt eſſe fundamentum talis realis relationis: ergó. Prob. min.: admiſſa tali reali diſtinctione, Humanitas ipſa eſt fundamentum prædictæ realis diſtinctionis; séd diſtinctio realis actualis eſt relatio realis actualis, utpoté ſpectans ad primum genus relativorum, cuius generis ſunt relationes reales actuales: ergò.

37 Reſpondeo negando negata, diſtinguendo ultimam minorem; sèd diſtinctio realis actualis eſt relatio realis actualis, vêl *prædicamentalis*, vèl *tranſcendentalis*, concedo min.: *præciſe prædicamentalis*, nego min., & diſtinguo conſequens: ergò Humanitas ſinè propria exiſtentia poteſt eſſe fundamentum relationis realis *tranſcendentalis*, concedo conſeq.: *prædicamentalis*, nego conſeq.. Admiſſa ergò diſtinctione reali inter eſſentiam, & exiſtentiam Humanitatis, Humanitas tantúm erit fundamentum relationis realis tranſcendentalis, identificatæ

tæ cum fundamento, quæ quidém non exigit extrema actù exiſtentia, ùt patet in cauſa reſpectu ad effectum poſsibilem: in potentia materiæ primę ad formam etiám poſsibilem; & in ſcientia in ordine ad ſcibile. Relatio verò realis prædicamentalis, utpotè accidens ſuperadditum extremis, neceſſariò petit extrema actû exiſtentia; quarê huius relationis non poſſet eſſe fundamentum Humanitas ab exiſtentia realitêr diſtincta.

38 Arguitur deniquè: ideò Humanitas ſinê exiſtentia non poſſet uniri Verbo immediatê, quia non poſſet eſſe terminus generationis B. Virginis; sèd hęc ratio non tenet, etiám admiſſa identitate reali inter eſſentiam, & exiſtentiam: ergò non tenet principalis ratio concluſionis. Prob. min.: per nos exiſtentia Humanitatis realitér identificata cum ejus eſſetia eſt terminus generationis B. Virginis: ergò & eſſentia Humanitatis, realitèr identificata cum exiſtentia, erit talis terminus generationis; & conſequentèr &c. Prob. conſequentia: in noſtris principiis, inter extrema realitér indentificata, & formalitèr ex natura rei diſtincta, quod phyſicè realitèr competit uni, ſimilitèr competit & alteri: ergó ſi exiſtentiæ realitér identificatæ cum eſſentia competit eſſe terminum generationis B. Virginis, hoc etiàm convenire debet eſſentiæ Humanitatis realitèr identificatæ cum exiſtentia: ergò quàmvis Humanitas exiſtat in Verbo per Verbi exiſtentiam, adhùc remanet in tali Humanitate terminus generationis B. Virginis, ſcilicèt, ipſius Humanitatis eſſentia. Hoc argumentum fallacia laborat; nám arguit ex ſenſu diviſo ad compoſitum, & ecòntra.

39 Reſpondeo tamèn, negando min., & diſtinguo antec. probationis: per nos exiſtentia Humanitatis ſecúndum ſuum *eſſe reale ſimplicitèr*, & *abſolutè* ſumptum eſt terminus phyſicus, & realis generationis, conc. antec.: exiſtentia ſecundum *eſſe formale tantùm exiſtentiæ*, eſt terminus, nego antec.: & diſtinguo conſeq. eiſdem terminis. Ad probationem diſtinguo antec. in noſtris principiis, inter extrema realitèr identificata, quod phyſicè, & realitèr competit uni, ſecúndum *eſſe reale ſimplicitèr abſolutè* ſumptum, competit ſimilitèr alteri, conc. antec.: quod phyſicè, & realitèr competit uni, tantúm ſecùndum *eſſe formale*, & *præciſum* ab eſſe formali alterius competit &

alteri, ſubdiſtinguo antec.: competit alteri *identicè*, concedo antec. : *formalitèr*, & ex ſua ratione formali, nego antec.: eiſdem terminis diſtinguitur conſequens, & negatur ultima conſequentia.

4o Eſt enim magna æquivocatio in argumento; ex una enim parte ſupponit, quòd quælibet ex his formalitatibus præciſivè ab alia, & proût ſic præciſa, ſit terminus generationis *formalitèr*; quòd tamen abſolutè falſum eſt; quià generatio, & corruptio non terminantur ad exiſtentiam *formalitèr*, ſeù ſecùndum ſuum eſſe formale inſpectum præcisè ſumptum: & multò minùs ad eſſentiam, etiàm ſecùndum ſuum eſſe formale; quiá in communi Philoſophorum ſententia, eſſentiæ rerum non ſunt generabiles; terminantur ergò generatio, & corruptio ad totam phyſicam entitatem rei; ideòque neque exiſtentiá, neque eſſentia ſecùndum ſuum eſſe formale eſt terminus generationis: séd talis terminus eſt tota res, ſeù entitas; quæ quidèm producitur ſecúndum eſſentiam, & exiſtentiam. Ex alia autém parte vult argumentum, non quòd quælibet ex his formalitatibus poſsit eſſe talis terminus, séd quòd ſit exiſtentia Humanitatis, & quòd ratione identitatis realis cum eſſentia, hoc etiàm eſſentiæ conveniat. Sèd quis non videt, quòd argumentum in hoc ſecundo ſenſu ſe ipſum interimit; quià ſi exiſtentia Naturæ humanæ Chriſti non eſt in Chriſto, quomodo identificabitur realitèr cum eſſentia talis Humanitatis; & conſequenter, quomodò communicabit eſſentiæ eſſe terminum generationis? Certé non capio: quarè & ipſi contrarii tenentur, æquivocationem tollere, argumentumque ſolvere; cuius ſolutio per diſtinctiones à nobis datas ſufficientèr explicatur.

QUÆST. II.

AN QUÆLIBET NATURA creata ſubſtantialis completa ſit aſſumptibilis à Verbo Divino?

1 IN præſenti non quærimus: àn quælibet Natura Humana diſtincta ab ea, quæ de facto à Verbo Divino aſſumpta eſt, ſit etiàm aſſumptibilis? Nám, qua ratione hæc aſſumpta fuit, & alia aſſumi poteſt; cùm omnes Humanitates ſpecificè conveniant, & quælibet ſit realitèr diſtincta, & ſeparabilis á ſua propria Perſonalitate, quidquid

quid in contrà clamet Vvicleff. Nèc loquimur de ſubſtantia incompleta, & partiali : nèc de accidenti ; de his énim in ſequentibus erit ſermo. Quæſtio ergò præſens procedit de Natura ſubſtantiali completa, tam ſpirituali, qualis eſt Natura Angelica ; quàm corporali, intellectus experte, & irrationali ; utrùm, ſcilicèt, tám Natura Angelica, quàm irrationalis, & intellectus expers potuerit de potentia Dei abſoluta uniri immediatè Verbo Divino in unitate ſuppoſiti ? Difficultatem per duas concluſiones reſolvam. Sit ergò

2 Prima concluſio : Natura Angelica potuit divinitùs aſſumi à Verbo Divino immediatè in unitate Perſonę. Eſt communis inter Theologos. Prob. 1. : non eſt repugnantia, út Natura Angelica immediatè aſſumatur á Verbo Divino, néc ex parte Perſonæ aſſumentis, nèc ex parte unionis hypoſtaticæ ; séd aliàs non eſt ex parte ipſiuſmet Naturæ Angelicæ : ergò &c. Mai. quóad utramque partem conſtat ex diſp. 1. quæſt. 1. ſect. 1., & 3. huius. Prob. min. : ſi aliqua eſſet repugnantia ex parte naturæ Angelicę, eſſet, quia ejus perſonalitas non eſſet ſeparabilis á ſua Natura ; sèd eſſet ſeparabilis : ergó & aſſumptibilis. Prob. min. : Perſonalitas humanæ Naturæ eſt ſeparabilis à ſua natura : ergò & Perſonalitas Angelica. Prob. conſeq. : Perſonalitas creata, ùt creata eſt, vèl formalitér ſtat in duplici negatione actualis, & aptitudinalis dependentiæ, ùt tenet communis Scotiſtarum : vèl formaliter ſtat in modo ſubſtantiali naturæ, poſteriori ipſa, út volunt Thomiſtæ, & aliqui Scotiſtæ ; sèd quodcumque dicatur, Perſonalitas Angelica eſt ſeparabilis à ſua Natura, ſicùt, & humana : ergò &c.

3 Probatur min. : ſi dicatur, quód conſiſtit in tali duplici negatione ; cúm talis duplex negatio contingentér conveniat naturę, quatenùs non aſſumitur ab extraneo ſuppoſito, evidenter ſequitur realis diſtinctio, & ſeparabilitas ipſius á tali natura. Si verò dicatur, quòd ſit talis modus ſubſtantialis, poſterior Natura ; infero : ergo ſaltèm realitèr modalitér diſtinguitur à Natura Angelica ; sèd ratione huius diſtinctionis ſeparata eſt, juxtà fidem, Perſonalitas Naturæ Humanæ Chriſti ab ejus Natura : ergó & ſeparabilis erit Perſonalitas Angelica. Confirmatur : ratio cùr Perſonalitas Divina non eſt realitér diſtincta, nèc

ſeparabilis à Natura Divina, eſt infinitas ipſius Naturæ; ſed nèc natura Angelica, nèc ejus ſubſiſtentia eſt infinita: ergó eſt ſeparabilis à ſua Natura.

4 Dices contrà concluſionem: Angelus eſt incorruptibilis: ergò ſi Verbum poſſet aſſumere Naturam Angelicam, vèl aſſumeret illam propria Perſonalitate perſonatam, quod juxtà nos repugnat; vél corrumperetur Perſonalitas ipſius, quod eſt inconveniens. Reſpondeo negando antec.; quiá Angelus ſolúm eſt incorruptibilis ab agente creato; à Deo autém eſt anihilabilis, ùt tenent noſtri in materia de Angelis. Vèl reſpondeo, negando conſeq. quòad 2. part.; quiá tùnc caſus Perſonalitas Angeli non corrumperetur, sèd non pullularet à natura, quià fuiſſet à Deo prę̀ventâ, ſicùt modò accidit in Natura Humana. Alia argumenta vide diſp. 2. quęſt. 2. hujus.

5 Secunda concluſio: Natura ſubſtantialis completa, intellectus expers, & irrationalis, potuit de potentia abſoluta hypoſtaticè uniri immediatè verbo in unitate ſuppoſiti. Eſt Doctoris in 3. diſt. 2. quęſt. 1. §. *ad argumentum.* Eſt & communis inter Thomiſtas, & Scotiſtas contrà aliquos antiquos. Prob. ratione: nihil eſt in natura irrationali, per quod repugnet aſſumi á Verbo, nequè ex parte ipſius Naturæ, nequé ex parte Verbi aſſumentis: ergò poteſt ſic aſſumi. Antec. quòad 2. part. conſtat.; quià vis aſſumptiva Verbi eſt per eſſentiam infinita, & ſimplicitèr independens, independentia oppoſita dependentiæ cuiuslibet naturæ dependentis; & ſic ſubſiſtit ſubſiſtentia tali, quali natura quęlibet ſubſtantialis ſuſtentari poteſt: ergó non repugnat ex parte Verbi.

6 Prob. idem antec. quóad 1. part.: Natura ſubſtantialis completa non rationalis eſt ſubſiſtens ſubſiſtentia propria ipſius naturæ, ſeparabilis ab ipſa: ergò non repugnat ex parte ipſius naturę irrationalis. Probatur conſequentia paritate naturæ intellectualis creatę, quæ (quia diſtinguitur realitér, & eſt ſeparabilis á propria Perſonalitate) non fuit repugnans tali naturę, quod eſt prę̀venta, & aſſumpta à Verbo, & incommunicabilis ſubſiſtentia Verbi: ergó & hæc ratio probat de natura irrationali. Confirmatur: Corpus Chriſti Domini fuit unitum formalitèr Verbo in triduo mortis; sèd corpus Chriſti in illo triduo fuit irrationalis natura: er-

ergò natura irrationalis capax eſt unionis ſubſtantialis cum Verbo. Mai. conſtat ; tùm ex illo axiomate : *quod ſemèl aſſumpſit nunquàm dimiſit*, quod veriſsimum eſt quoad partes principales. Tùm ; quià, juxtà fidem, Chriſtus pro nobis paſſus, mortuus, & ſepultus fuit; quod verum non eſt, niſi corpus unitum fuiſſet Verbo in triduo mortis in ſepulchro. Minor etiàm patet ; quià licét tùnç corpus eſſet natum reuniri animæ, & ordinatum ad conſtituendam Naturam rationalem ; adhùc irrationale erat, ſicùt inſenſibile, & non vivens.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

7 ARguitur 1. : Natura, quæ non eſt elevabilis per ullam potentiam ad viſionem, & fruitionem Dei, non eſt aſſumptibilis immediatè à Verbo ; sêd Natura irrationalis eſt huiuſmodi : ergó &c. Prob. mai. : ſicùt ſe habet *eſſe* naturale, ad poſſe naturale, ſic *eſſe* ſupernaturale, ad *poſſe* ſupernaturale ; séd nulla virtute fieri poteſt, quód aliqua creatura habeat *eſſe* naturale, quin habeat aliquod *poſſe* naturale: ergò nèc fieri poteſt quòd habeat *eſſe* ſupernaturale, quin habeat aliquod *poſſe* ſupernaturale. Nùnc ſic ; séd quælibet Natura per aſſumptionem à Verbo habet *eſſe* Divinum ſupernaturale : ergò debet habere aliquod *poſſe* ſupernaturale. Sèd hoc *poſſe*, eſt ad viſionem, & fruitionem : ergó Natura, quę non eſt elevabilis &c. Confirmatur : cui non poteſt communicari minùs, nèc maius communicari poteſt ; sêd minùs eſt videre Deum, & Deo frui, quâm aſſumi ad unitatem ſuppoſiti : ergó Natura &c.

8 Reſpondeo negando mai. : ad probationem diſtinguo mai. : ſicùt ſe habet *eſſe* naturale, ad *poſſe* naturale, non repugnans, ſic *eſſe* ſupernaturale, ad *poſſe* ſupernaturale non repugnans, conc. mai. : repugnans, nego mai. ; & conceſſa min. in ſenſu diſtinctionis, diſtinguo ſimiliter conſequens. Et conceſſa ſubſumpta, nego ultimam conſeq. Explicatur ſolutio : Deus per illapſum generalem illabitur cuilibet creaturę ad *eſſe* naturale, & ad operationem ſibi convenientem, non verò ad operationem creaturæ repugnantem. Sic ergò natura elevata ad *eſſe* divinum per aſſumptionem, non oportet, út elevetur ad operationem ſupernaturalem repugnantem Naturę, qualis eſt *intelli-*

ligere, & *velle* reſpectu Naturæ irrationalis. Deindè: natura ex vi aſſumptionis non elevatur ad aliquod *eſſe* ſibi intrinſecum, quod ſit ipſi, quàſi forma ad operationem exercendam; sèd ſolùm ad *eſſe* ſuppoſitale, quod non eſt ratio agendi, nèc pertinet ad principium *quo*; undè vi talis aſſumptionis non elevantur pótentię Naturæ ad aliquam operationem.

9 Ad confirmationem diſtinguo mai.: cui non poteſt communicari minùs, néc maius poteſt, ſi minùs, & maius ſunt eiuſdem rationis, aút *minùs* ſit incluſum in *maiori*, concedo mai.: ſi ſint diverſæ rationis, nego mai.: & diſtincta min. inverſis terminis, nego conſeq.. Minùs ènim eſt volare, quàm intelligere; & tamèn homo, qui poteſt intelligere, non poteſt volare. Elevatio ergò potentię ad viſionem, & fruitionem Dei; & elevatio naturæ ad unitatem divini ſuppoſiti, non ſunt ejuſdem rationis, út ex ſe patet; nèc unum includitur in alio, ùt videbimus diſp. ſequenti.

10 Arguitur 2.: ſi Natura irrationalis aſſumeretur á Verbo, perfectiús ſibi uniretur, quàm rationalis, quod eſt abſurdum: ergò. Prob. ſequela: uniatur natura lapidis: tùnc non ſolúm lapis, sèd quælibet pars lapidis eſſet Deus; sèd non quælibet pars naturæ humanæ aſſumptę, ùt caput, manus &c. dicitur Deus, séd ſolùm Homo: ergò. Reſpondeo, negando ſequelam, & maiorem probationis; quià licèt quælibet pars lapidis recipiat denominationem lapidis in communi, ſicùt pars homogenea, vèl ſubjectiva in ſuo toto; non tamén recipit prædicationem illius, cuius eſt pars integralis: non énim dicimus, quód *paries eſt domus*: *caput eſt homo*. Sic ergò ſi Verbum aſſumeret lapidem, diceretur: *Verbúm eſt lapis*, non in communi, sèd: *eſt hic lapis*, út eſt aliquod totum integrale; ideoquè nulla pars lapidis eſſet Verbum.

11 Arguitur 3.: ſi Verbum aſſumeret Naturam Leonis, diceretur Leo; sèd hoc indecoroſum eſt: ergò. Reſpondeo diſtinguendo min.; séd hoc indecoroſum eſt Deo, indecentia *negativa*, conc. min.: indecentia *poſitiva*, nego minorem, & conſeq. Alia eſt indecentia *negativa*, quæ eſt non decentia; hoc eſt, inter denominationes, quę ab extrinſeco poſſunt convenire Deo, tùnc caſus non conveniret ipſi nobiliori, & ſuperior denomina-

tio;

tio; quod nullam imperfectionem, aút indecentiam ponit in Deo. Alia est *positiva* imperfectiò, quamquè Deus non haveret in prædicta hypotesi.

12 Arguitur 4.: tres sunt divini illapsus inter se ordinati circà Creaturam: primus est generalis, scilicét, per essentiam, præsentiam, & potentiam: secundus per gratiam, qui est specialis: & tertius, tandèm, per unionem hypostaticam, qui est specialior; sèd Deus non illabi potest creaturæ irrationali secundo illapsu, scilicèt, per gratiam: ergò nequè tertio. Consequentia constat, quia in essentialitèr ordinatis tertium nequit esse sinè secundo. Confirmatur: quod est incapax effectus formalis formæ, est incapax ipsius formæ; sèd sanctitas est effectus formalis unionis hypostaticæ; maximè in sententia asserentium, unionem hypostaticam sanctificare formaliter: ergò cùm Natura irrationalis sit incapax sanctitatis, erit etiàm unionis hypostaticæ, & consequénter &c.

13 Respondeo negando mai. propter ly *inter se ordinati*; tales ènim illapsus non sunt subordinati, ità ut oporteat ponere illapsum per gratiam, ùbi ponitur, & quando ponitur, illapsus per unionem hypostaticam; nám de facto priùs fuit illapsus per unionem in Natura humana, quàm per gratiam; quia gratia non fuit media in assumptione, licét comitata fuerit. Imo Deus potuit assumere Naturam rationalem, non fruentem ipso: & sic non haberet illapsum per gratiam consummatam; undé separaretur â tali illapsu: & consequènter esset tertius sinè secundo. Ad confirmationem admisso pro rùnc, quod unio hypostatica sit forma sanctificans, de quo tract. sequenti, distinguo majorem; quod est incapax effectus formalis *primarij* formæ, conc. mai.: effectus formalis *secundarij*, est incapax ipsius formæ, nego mai.; inversis terminis distinguo min., & nego consequentiam. Unio ergo hypostatica, adhuc in illa sententia, non habet pro effectu formali primario constituere Naturam sanctam, & Deo gratam; sèd solùm illam reddere subsistentem. De hoc dùm de sanctitate Christi.

14 Arguitur ultimò: illa Natura non est assumptibilis à Deo ad unitatem suppositi, quæ non est personabilis; cùm suppositum, & Persona idem formalitèr sint à parte rei; sèd Natura irrationalis non est personabilis, imò repugnat sibi esse Personam; cùm Persona sit *naturæ intellectualis incommunicabilis existentia*: ergò néc est assumptibilis à Ver-

bo Divino. Circa hanc difficultatem ſolvendam, variant inter ſe Scotiſtæ; etſi, meo videri, multum de nomine laborent; undè, ùt omnis æquivocatio tollatur,

15 Dubitabis hìc: *àn caſu quo Verbum naturam irrationalem aſſumeret, illam perſonaret?* Pro ſolutione nota 1. in Metaphyſica, quòd hæc tria nomina: *ſubſiſtentia, ſuppoſitalitas, & Perſonalitas* in idem coincidunt, & ſolùm diſtinguuntur penès diverſitatem Naturarum, quas afficiunt. Si ſubſiſtentia afficit Naturam ſubſtantialem, ſive iſta ſit intellectualis, ùt divina, Angelica, & humana, ſivé non intellectualis, ùt natura Leonis, & Agni, tùnc dicitur *ſuppoſitalitas*, & etiam ſubſiſtentia: & totum ſubſtantiale completum reſultans dicitur *ſubſiſtens, & ſuppoſitum.* Si verò ſubſiſtentia afficit Naturam præcisè intellectualem, tùnc non ſolùm dicitur *ſubſiſtentia, & ſuppoſitalitas*, ſèd etiam *Perſonalitas*: & totum completum ex natura, & Perſonalitate, non ſolùm dicitur *ſubſiſtens, & ſuppoſitum*, ſèd etiam *Perſona*; quia denominatio Perſonæ ſolùm convenit Naturæ intellectuali. Ex quo infertur, quòd hæc tria nomina ſe habent, tanquam ſuperius, & inferius. Undè valet, *eſt ſuppoſitum: ergò ſubſiſtens: eſt Perſona: ergò ſuppoſitum*; non tamèn ecòntra: *eſt ſuppoſitum: ergò Perſona.*

16 Noto 2. ex Doct. in 3. diſt. 2. quæſt. 1., quòd perſonari non ſolùm dicit uniri *hypoſtaticè*; séd etiàm *ſic uniri*, hoc eſt, modum unionis; qui modus reſpicit fundamentum unitum, ſeù Naturam aſſumptam; præſcindendo pro nûnc, ân modus iſte ſit intrinſecus, ſivè materialitèr ſe habeat ad unionem illam. Et ſi quæras, in quo conſiſtat iſte modus? reſpondeo cum ipſo Doctore, quòd iſte modus ſtat in hoc, quod fundamentum, ſeù Natura nata ſit in ſe perſonari, caſu quo non aſſumeretur ab alio. Undè étſi natura humana, & natura lapidis conveniant in ratione dependentiæ ad hypoſtaſim; non tamèn ambæ poſſunt perſonari; quia non conveniunt in ratione talis modi dependentiæ, quem habet unio à fundamento. His ergò ſuppoſitis, facilis eſt reſolutio tàm difficultatis, quàm dubij.

17 Dico ergò, quòd ſi Natura irrationalis aſſumeretur à Verbo non perſonaretur ab eo, séd unicè ſuppositaretur. Eſt Doctoris loc. cit.. Probatur: ad perſonari, ex Scoto, non ſolùm requiritur unio ad unitatem Perſonæ; ſèd etiam *ſic uniri*; hoc eſt, quòd illa Natura, quæ unitur,

tur, nata sit, personari in se, si sibi dimitteretur; séd natura irrationalis non est sic nata, in se personari, si sibi dimittatur: ergò nèc nata est personari â Verbo. Undé si à Verbo assumeretur, non personaretur, séd suppositaretur. Dixi jàm, non deêsse Scotistas tenentes, quòd, si Verbum divinum assumeret naturam irrationalem, illam personaret saltèm extrinsecè, sèd non intrinsecè; consequénterqué deberet dici persona extrinsecè: & sic reconciliant varias authoritates Doctoris.

18 Verùm, ùt verum fatear, diversitas stat in modo loquendi; si ènim Scotistæ vellint, quòd si natura irrationalis uniretur Personæ Verbi diceretur personata extrinsecé, quatenús unio terminaretur ad Personam; in hoc sensu ultrò cum his Scotistis convenimus. Si verò vellint, quòd intelligatur talis natura personata ex aliquo intrinseco personationi, vél unioni, quià talis unio fundatur in tali natura, quę nata est causare in tali unione modum illum, quomodocúmque illa unio terminetur, sivé ad Personam, sivè ad suppositum; túnc casus ab illis discordamus: & dicimus, quòd in tali casu unio illa intrinsecé diceretur *suppositatio*, non *personatio*; propter rationem Subt. Doctoris citat. in 2. notabili. Ex quo ad argumentum, négo absolutè maiorem. Qui plura circa hoc desideraverit, videat N. Mastrium hic, disp. 1. quæst. 7. art. 1. per totum; nàm nobis dicta sufficiunt.

QUÆST. III.

AN ACCIDENS POSSIT IMmediatè uniri Verbo?

1 EX ipsomet titulo constat, quæstionem non procedere de unione mediata; nàm extrà controversiam est Verbum Divinum, mediante Humanitate, assumpsisse accidentia absoluta propria ipsius corporis, & animę; ut figuram, colorem, intellectiones, & volitiones. Nèc difficultas est de accidenti relativo, quod essentialitèr pendet à subjecto, & termino in esse, & conservari. Undè videtur repugnare, posse sustentari per suppositum extraneum. Quarè difficultas est de accidenti absoluto, & separabili, saltèm de potentia absoluta Dei, à suo subjecto. Et quærimus: an tale accidens de potentia Dei absoluta possit *hypostaticè* uniri Verbo unione per modum simplicis sustentationis, sic, ùt Verbum sit terminus immediatus, immediatè terminans dependentiam, quam dicit accidens in ratione

sustentati, ad sustentans, absque imperfectione actus, & potentię; quare non quærimus: ân possit uniri *inhæsivè*, seu informativè; hoc enim repugnat Personæ Divinę, ob summam ejus simplicitatem, & immutabilitatem.

2 Sed ût hoc planè percipiatur, prænotandum est, quòd accidens habet duos respectus ad subjectum: primus inhæsionis, seù informationis: secundus sustentationis, in quantum dependet â subjecto in *esse*, & conservari. Hi respectus sunt, vèl *actuales*, ut quando accidens actù subjectum informat, & ab eo sustentatur: vel *aptitudinales*, quatenùs accidens est aptum inhærere subjecto, & ab eo sustentari; licèt actu nèc inhæreat, nèc sustentetur. Isti respectus *actuales* sunt ex natura rei separabiles, tùm ab accidente, túm inter se; quià accidens potest existere, & conservari extrà subjectum sinè actuali informatione, & per consequens sinè actuali sustentatione, ût patet in Eucharistia. Sunt inter se separabiles; quià potest esse informatio sinè sustentatione; nàm anima rationalis recipitur in corpore, & ab eo non sustentatur. Potest esse sustentatio sinè informatione; ût casu, quo accidens absolutum separaretur â Deo â proprio subjecto, & sustentaretur ab extraneo. Hoc ergò notato,

3 Quæritur nùnc: ân accidens absolutum separatum â subjecto posset immediatè uniri Personæ Verbi; ità ût Verbum nullatenùs esset subjectum accidentis, ipsum recipiendo; sèd solùm, quod in tali casu Verbum terminaret accidens per modum puri termini? Clariùs; ân sustentaret accidens sustentatione subjectiva, vèl purè terminativa. In qua difficultate Thomistæ ût in plurimum partem negativam tenent; sèd eorum argumenta procedunt ex intelligentia, quòd Scotistæ teneant, Verbum Divinum posse uniri immediatè accidenti absoluto unione inhæsiva, & subjectiva: quæ est mala intelligentia. Thomistis adhærent aliqui Scotistæ; sèd communior est pars affirmativa. Cum qua sit

4 Conclusio: accidens absolutum potest immediatè uniri Verbo *hypostaticè*, seù terminativè. Probatur 1. conclusio ratione: nulla est repugnantia ad hoc, ût accidens immediatè uniatur Verbo hypostaticè terminativè, nequè ex parte verbi, nequé ex parte accidentis: ergò potest sic uniri: Prob. ant. quoad 1. partem: Verbum ex se habet independentiam oppositam illi dependentiæ accidentis ad *sustentari*; sèd hoc ipso potest Verbum terminare istam dependen-

dentiam accidentis, & illud ſuſtentare, eo modo, quo ſuſtentabile eſt: ergò poteſt illud ſibi unire *terminativè*. Prob. antec: quòad 2. part.: dependentia, ſeú ſuſtentatio actualis, quam habet accidens ad ſubjectum eſt ſeparabilis ab ipſo, non minus âc inhærentia actualis, ût patet in Myſterio Euchariſtiæ, ùbi accidentia conſervantur extra ſubjectum ſubſtantiale, cui nèc inhærent, nèc ab eo ſuſtentantur: ergó caſu, quo talis dependentia, & ſuſtentatio actualis accidentis â proprio ſubjecto ſepararetur ab ipſo, non eſſet repugnantia in hoc, quod Verbum Divinum ſibi uniret *hypoſtaticè* terminativè, & ſuſtentativè tale accidens.

5 Confirmatur: accidens quo ad hanc unionem terminativam, & ſuſtentativam â Perſona Verbi non minús eſt in potentia obedientiali in ordine ad Deum, quàm Natura ſubſtantialis; sèd Natura ſubſtantialis eſt in huiuſmodi potentia obedientiali ad aſſumi immediatè â Verbo: ergò & accidens; conſequènterque poteſt ab ipſo aſſumi. Urgetur: Natura Humana eſt immediatè â Verbo aſſumpta, quin Verbum informet, & quin in Verbo recipiatur: ergò paritér accidens poterit eſſe in tali potentia, quin Verbo inhæreat, ab ipſoqué ſuſtentetur. Diſparitas, quę â contrarijs ſolet hìc aſsignari, ſufficientèr refellitur, & rejicietur ex ſolutione argumentorum.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

6 ARguitur 1. ex Gonet: quod non eſt capax ſubſiſtentiæ propriæ, nequit immediatè aſſumi ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia divina; sèd accidens non eſt per ſe capax ſubſiſtentiæ propriæ: ergò nèc ſubſiſtentiæ Verbi. Mai. patet; nám ſi Creatura aſſumitur â Verbo, eſt ad hoc, ùt loco ſubſiſtentiæ propriæ, ſubſtituatur divina. Prob. min.: ſubſiſtentia ſubſtantialis, ſeù modus eſſendi per ſe, eſt itá proprius ſubſtantiæ, ſicùt modus eſſendi per inhærentiam in alio eſt proprius accidentis; ergó ſicût hic modus inhærentiæ nequit communicari ſubſtantiæ, ità nèc modus per ſe exiſtendi poteſt communicari accidenti. Deindé: ſubſiſtentia eſt ultimum complementum ſubſtantiæ in genere ſubſtantię: ergò accidens non eſt capax huiuſmodi ultimi complementi; & conſequènter néc ſubſiſtentiæ propriæ.

7 Confirmatur: aſſumi ad ſubſiſtendum divinâ ſubſiſtentiâ eſt, fieri ultimó completum in genere ſubſtantiæ per divinam ſub-

ſubſiſtentiam ; sèd accidens nequit eſſe ultimò completum in genere ſubſtantiæ: ergò nec aſſumi à Verbo. Mai. conſtat ; quià ſubſiſtentia nihil aliud eſt quàm ultimum complementum rei in genere ſubſtantiæ. Prob. min.: aliquod eſſe completum in genere ſubſtantiæ, neceſſariò ſupponit, quòd illud, quod eſt ſic completum, ſit ſubſtantia ; ſicút aliquod eſſe ultimò completum in genere entis, aùt accidentis, neceſſarió dicit, quód illud ſic completum ſit ens, aút accidens; sèd implicat, accidens eſſe ſubſtantiam : ergó & eſſe ultimò completum in ratione ſubſtantiæ.

8 Reſpondeo diſtinguendo maiorem ; quod non eſt capax ſubſiſtentiæ propriæ, nèc ſub ratione ſubſiſtentiæ, nèc ſub ratione ſuſtentantis, aùt terminantis, nequit aſſumi ad ſubſiſtendum immediatè ſubſiſtentiâ divinâ, concedo mai. ; quod non eſt capax ſubſiſtentiæ in primo ſenſu, benè veró in ſecundo, nequit aſſumi &c. ſubdiſtinguo mai. : nequit aſſumi in ratione ſubſiſtentiæ, conc. mai. : in ratione ſuſtentantis, aùt purè terminantis, nego maiorem ; inverſis terminis diſtinguo minorem, & nego conſeq. Et diſtinguo antec. : ſubſiſtentia ſubſtantialis, ſeù modus exiſtendi per ſe in ratione ſubſiſtentiæ eſt proprius ſubſtantiæ, conc. antec. : in ratione ſuſtentantis, & purè terminantis, nego antec. : & eiſdem terminis diſtinguitur conſequens. Etiàm diſtingui poteſt ſecunda pars antecedentis : ſicùt modus inhærentię aptitudinalis, & radicalis eſt propriùs accidentis, conc. : modus inhærentiæ actualis, nego, imó & ſuppoſitum; quià, ex dictis in Logica, inhærentia actualis non eſt eſſentia, ſed accidens ipſiusmet accidentis, út patet in Euchariſtia.

9 Itaquè accidens non eſt capax ſubſiſtentiæ propriæ ſub ratione ſubſiſtentis, aút ſuppoſitantis, hoc enim eſt proprium ſubſtantiæ completę ; eſt tamén capax ſubſiſtentiæ ſub ratione ſuſtentantis, vèl terminantis; ſubſiſtere ènim duo dicit, ſuſtentare, & ſuppoſitare; hoc ſecundum repugnat accidenti ; primum verò eſt commune accidenti, & ſubſtantiæ incompletæ. Undè proprium ſubſtantiæ in communi, út contradiſtinctę ab accidenti, eſt ſubſiſtere, proùt excludit inhęrere tàm actualitér, quàm aptitudinalitèr. Undè ſi accidens aſſumeretur à Verbo non haberet aliquod, conveniens ſubſtantię út ſic, sèd ſolùm quod eſt ſibi proprium, ſcilicèt,

cèt, ſubſiſtere, & ſuſtentari in alio, non ùt in ſubjecto, ſed ùt in termino ſuæ dependentię.

10 Ad 2. probationem minoris diſtinguo antec.: ſubſiſtentia in ratione ſubſiſtentiæ eſt ultimum complementum &c., conc. antec.: in ratione termini, & ſuſtentantis, nego antec., & conſequentiam; ad confirmationem diſtinguo maiorem: aſſumi ad ſubſiſtendum divinâ ſubſiſtentiâ in ratione ſubſiſtentię eſt fieri &c., conc. mai.: in ratione puri termini, vèl ſuſtentantis eſt fieri &c., nego mai.: & conceſſa min. nego conſeq.. Caſu quo accidens immediatè aſſumeretur á Verbo non ſubſiſteret ſubſiſtentia Verbi, ſicùt modò Natura humana Chriſti ſubſiſtit; néc prędicta ſubſiſtentia compleret accidens, quatenus ſubſiſtentia eſt, & modus ſubſtantialis completivus ſubſtantiæ; sèd ſolùm tùnc talis ſubſiſtentia divina ſuſtentaret accidens ſicùt ſubſtantia illud ſuſtentat (ſecluſa inhęrentia); & illud compleret, in quantum eſt ſuſtentativa, & terminativa dependentię.

11 Arguitur 2., & eſt replica: Verbum Divinum nequit ſupplere vices cauſæ materialis; sèd ſi aſſumeret accidens immediatè, ſuppleret tales vices: ergó. Prob. min.: Verbum Divinum túnc caſus eſſet ſubjectum accidentis: ergò ſuppleret &c. Reſpondeo negando min., & antec. probationis; quià falſum eſt, quod ſuſtentare accidens per modum puri termini ſit fungi vice cauſæ materialis; hoc enim verum eſt, quando ſuſtentare conjungitur cúm informatione, & receptione, ùt regularitèr evenit in creatis. Verbum verò in illo caſu ſolùm ſuppleret vices ſubſtantiæ quoad ſuſtentare; quià tantùm fungeretur munere ſuppoſiti terminantis dependentiam accidentis; non verò ſuppleret vices ſubſtantiæ quòad recipere; quiá hoc repugnat Verbo.

12 Arguitur 3.: ſuſtentare accidens, & eſſe ſubjectum inhæſionis illius ſunt inſeparabilia: ergò ſi Verbum nequit eſſe ſubjectum inhæſionis accidentis, nec poteſt ſuſtentare illud. Reſpondeo diſtinguendo antec.: ſuſtentare accidens ſuſtentatione *ſubjectiva*, & eſſe ſubjectum inhæſionis &c., conc. antec.: ſuſtentare ſuſtentatione *purè terminativa*, & eſſe &c. nego antec.: & eiſdem terminis diſtinguo conſequens. Eſtò ergò, regularitér loquendo, ſuſtentare, & inhærere conjungantur, tamèn ſunt modi realitèr diſ-

diſtincti, & ſeparabiles. Hoc patet de facto in forma ſubſtantiali, quæ regulariter non terminatur à proprio ſuppoſito, niſi informet materiam : & tamèn in triduo mortis Chriſti Domini terminata fuit á Verbo, & non informabat materiam. Vidé dicta in notabilibus.

13 Arguitur 4. : non poteſt accidens uniri ſubſtantiæ ad conſtituendum unum per ſe: ergò néc cum Verbo ad conſtituendam unam Perſonam : ergó eſt incapax unionis *hypoſtaticę*, quæ ad talem conſtitutionem ordinatur. Reſpondeo concedendo totum argumentum, ex quo nihil contrà nos. Gratis enim concedimus, non poſſe accidens aſſumi à Verbo ad conſtituendam unam Perſonam, vèl *hypoſtaſim*, quod eſt proprium ſolius naturę ſubſtantialis. Aſſumeretur ergò ad per ſe exiſtendum, & terminaretur ad independentiam Perſonæ, non ſub ratione Perſonę, cuius eſt incapax ; séd ſub ratione ſuſtentantis : & hoc non ùt ſubjectum, nec ùt terminus intrinſecus complens accidens, ùt exiſtat, sèd ùt terminus extrinſecé terminans, vèl ſuſtentans illud.

14 Arguitur deniquè: ſi Verbum immediatè aſſumeret accidens, hoc prędicaretur de Verbo ; sèd hoc eſt falſum : ergò. Prob. min. : ſi accidens prædicaretur de Verbo, vèl eſſet in *concreto*, vèl in *abſtracto* ; séd neutro modo poteſt prædicari : ergò. Prob. min. : non in concreto ; quià concreta accidentalia prædicantur de ſubjecto ratione informationis, & inhæſionis : & ſic ex communi modo loquendi : *parietem eſſe album*, importat, albedinem inhærere, & informare parietem ; quod repugnat accidenti reſpectu Verbi. Non in abſtracto ; quia huiuſmodi prædicatio verificari nequit, niſi propter identitatem prædicati cum ſubjecto : ideò hæc propoſitio eſt falſa : *Verbum eſt Humanitas* ; sèd inter Verbum, & accidens nulla datur identitas : ergò nèc prædicatio in abſtracto. Reſpondeo negando maiorem ; quiá in tali caſu certum eſt, quód accidens néc in concreto, nèc in abſtracto prędicaretur de Verbo ; sèd ſolúm in obliquo denominaret Verbum. Non enim diceretur Verbum, *quantum*, vèl *album*, sèd habens quantitatem, vél albedinem.

*** ***
***

QUÆST.

QUÆST. IV.

AN VERBUM DIVINUM IMmediatè aſſumpſerit partes eſſentiales Hominis: quoquè ordine?

1 VErbum Divinum aſſumpſiſſe partes eſſentiales Hominis, ùt corpus, & Animam, extrà controverſiam eſt: difficultas ſolùm procedit; àn eas aſſumpſerit immediatè, vèl mediante humanitate: & ultrà, quo ordine eas aſſumpſerit: án prius corpus, poſteà animam, & tandém Humanitatem? Ut hæ difficultates clarè, & brevitèr reſolvantur,

2 Notandum eſt 1.: (& deſervit pro quæſtionibus antecedentibus) quòd unio, ſeù aſſumptio ad Perſonam eſt triplex: una per modum *perſonationis*, quando aſſumitur natura in ſe apta nata perſonari, qualis eſt intellectualis. Alia per modum *ſuppoſitationis*, vèl *hypoſtaſeitatis*, út quando ſumitur natura irrationalis ſubſtantialis completa. Alia demúm per modum *ſimplicis ſuſtentationis*: & eſt quando aſſumitur aliquod, quod in ſe non eſt natum perſonari, néc ſuppoſitari. Nota 2.; quod cùm Perſona Divina habeat & rationem Perſonæ, ſubſiſtentiæ, aùt ſuppoſitalitatis, & rationem termini ſuſtentantis; poterit perſonare naturam perſonabilem: ſuppoſitare ſuppoſitabilem, & ſuſtentare naturam, quæ petit terminum extrinſecum, ùt ſuſtentetur.

3 Nota 3. ex Metaph., quòd ſubſiſtentia, aùt ens per ſe exiſtens triplicitèr poteſt accipi: primò, *communiſsimè*, quatenús idem eſt ens ſubſiſtens, aút per ſe exiſtens, àc ens ſolitarie exiſtens. In hoc ſenſu ſubſiſtentia poteſt convenire accidenti ſeparato à ſubjecto, ût patet in Euchariſtia. 2. ſumitur *minus communitèr*, prout ens ſubſiſtens idem eſt, ac alteri non inhærere, nèc habet aptitudinem ad inhærendum. Quo in ſenſu omnis ſubſtantia tàm completa, quàm incompleta dicitur ſubſiſtens; cùm inhærere ſit proprium accidentis. 3. ens ſubſiſtens ſumitur *propriè*, *& ſtrictiſsimè*: & eſt idem ac ens, quod eſt in ultima actualitate, ùt non ſit ulteriùs ordinabile ad aliquem actum ſimplicitèr, qui quidèm poſsit eſſe actus eius per ſe. In hoc ſenſu ens ſubſiſtens, idem eſt, ac Natura completa incommunicabilis alteri ùt ſuppoſito. Ex his ergò

subsistentijs prima convenit accidenti ; secunda subsantijs incompletis ; tertia tandèm subsantiæ completæ ultima completione.

4 His notatis , in hac difficultate varié inter se discordant Scotistę , estò eorum diversitas, ùt notat N. P. Quiroga hic, proveniat ex eo, quod obliti sunt de triplici unione, vèl assumptione ad personam divinam , tradita à Subr. Doct. in 3. dist. 2. quæst. 1. , & à nobis explicata num. 2. Undè dicunt , partes essentiales non fuisse unitas immediatè Verbo, sèd mediante Humanitate. Sic quàm plures Scotistę citati hic à N. Mastrio cúm communi Thomistarum , etsi isti alia via procedant. Communior verò Scotistarum defendit , Verbum Divinum immediatè assumpsisse partes essentiales hominis per modum simplicis sustentationis , licèt non per modum Personationis. Quid nobis per sequentes constabit conclusiones. Sit ergò

5 Prima conclusio : Verbum Divinum immediatè assumpsit partes essentiales hominis per modum simplicis sustentationis. Hæc conclusio absdubio est N. Doctoris in 3. dist. 2. quæst. 2. , & dist. 16. quæst. 2., alijsquè in locis. Prob. 1. ex ipso dist. 2. quæst. 2., ùbi arguens contrà Varronem assumpsisse corpus mediante anima , ùt medium *quod* ; hoc deducit inconveniens : *quòd tùnc in morte fuisset nova assumptio ; quià tùnc corpus immediatè fuit Verbo unitum, & non per animam* : ergò juxtà Scotum assumptio corporis, & animæ , quæ fuit in triduo, non fuit nova , sèd facta immediatè à principio incarnationis per unionem simplicis sustentationis. Deindè : dist. 16. quæst. 2. explicans dictum Damasceni , scilicèt : *quod Verbum semèl assumpsit , nunquàm dimisit* ; docet Doctor , partes principales semper fuisse unitas Verbo , licèt dimiserit totum , & partes minùs principales.

6 Probatur 2. conclusio ratione : si Verbum Divinum immediatè non assumpsisset partes essentiales Hominis assumptione dicta , non teneret dictum Damasceni citatum; séd hoc nequit dici : ergò &c. Prob. mai. : si Verbum immediatè sic non assumpsisset tales partes , istæ partes in triduo mortis essent dissolutæ à Verbo ; séd hoc ipso non teneret dictum Damasceni ; quod secundum Scotum proximé citat. maximé intelligitur de parti-

tibus principalibus ; quoquè ſenſu etiám explicatur ab adverſarijs communiter : ergò &c. Prob. mai. : juxtá A. A. nobis contrarios , in triduo mortis Chriſti Domini , duæ novæ uniones fuerunt exortæ , quibus corpus , & anima fuerunt Verbo unitæ immediatè : ergó unio mediata , qua antè Chriſti Domini mortem partes iſtæ erant unitæ , ceſſavit, & diſſoluta fuit. Antecedens eſt ſententia adverſariorum. Conſequentia infertur.

7 Confirmatur , & urgetur ampliùs hęc ratio : juxtà adverſarios , partes iſtæ eſſentiales hominis in triduo mortis Chriſti Domini tranſierunt de unione mediata ad Divinam Perſonam , ad immediatam unionem cum ipſa ; sèd hoc non potuit fieri , quin pro aliqua morula temporis Verbum non fuerit illis unitum, quod eſt contrá Damaſcenum: ergò &c. Prob. min. : Verbum non poteſt pro eodem temporis inſtanti diſſolvi á partibus, & eſſe illis unitum ; cúm ad hoc requirantur diverſa inſtantia ex dictis in Phyſica juxtà Phyloſ. 6. Phyſic. : ergó út Verbum acquireret immediatam unionem ad partes , & dimitteret mediatam , erat neceſſe , quód pro aliquo inſtanti temporis dimitteret tales partes ; & conſequénter &c.

8 Arguitur 1. : juxtà Scotum in 3. diſtinct. 2. quęſt. 2. §. *idèo quantum* : *Verbum primò aſſumpſit totum , & non partes ; alioquin non fuiſſet primò Homo* ; sèd ſi præter unionem immediatam ad totum eſſent uniones immediatæ ad partes , Verbum priùs fuiſſet unitum partibus , quàm toti ; & conſequènter non fuiſſet primò Homo , quod eſt contrà Scotum : ergò quià partes non fuerunt immediatè unitæ Verbo. Min. conſtat ; quiá partes ſunt toto priores. Plena ſolutio huius argumenti conſtabit ex dicendis in 3. concluſione. Loquitur ènim contrà Varronem aſſerentem , Verbum aſſumpſiſſe corpus , & naturam mediante anima, út medio *quod*; itá út unio ad ſolam animam terminata fuerit , ex qua doctrina optimè ſequitur inconveniens adductum á Scoto in argumento. Et ultrà loquitur Scotus de aſſumptione per modum perſonationis. Undé non eſt contrá iſtam concluſionem.

9 Arguitur 2. : partes eſſentiales hominis non ſunt capaces propriæ ſubſiſtentiæ: ergò non poſſunt immediatè uniri Perſonæ Verbi. Conſequentia patet ; quià quod non

eſt capax ſubſiſtentiæ propriæ, nec eſt alienæ. Probatur antec.: juxtà Scotum, id tantum eſt capax ſubſiſtentiæ propriè, quod eſt capax duplicis negationis actualis, & aptitudinalis dependentiæ; séd partes eſſentiales non ſunt ſic capaces talis duplicis negationis, cùm adhùc ſeparatæ retineant aptitudinalem dependentiam ad invicèm, & dicant communicabilitatem alteri: ergò &c. Hoc argumentum facilè ſolvitur ex dictis num. 3., & notabili 3. huius. Ex quo diſtinguo antec.: partes eſſentiales non ſunt capaces ſubſiſtentiæ *propriè, & ſtrictè* ſumptæ, conc. antec.: ſubſiſtentiæ *communitèr* captæ, nego antec.: eiſdem terminis diſtinguuntur reliquæ propoſitiones argumenti. Vide dicta in tali notabili.

10 Ex his habes non repugnare, nèc materiam primam, néc formam aliquam ſubſtantialem, etſi corruptibilem, & materialem, aſſumi àd divinam ſubſiſtentiam, & eſſe unibilem Deo unione immediata per modum ſimplicis ſuſtentationis. Ratio eſt; quià quod habet in aliquo genere propriam ſubſiſtentiam, poteſt loco ipſius terminare dependentiam ejus per ſubſiſtentiam Verbi; séd materia prima independentèr à forma ſubſtantiali, & quæcumque forma ſubſtantialis, etiàm corruptibilis, & materialis habent ſuam propriam ſubſiſtentiam ſecundo modo ſumptam in 5. notabili: ergó. Minor conſtat; tùm, quiá omnis ſubſiſtentia realitér diſtinguitur à natura; tùm, quiá Divina ſubſiſtentia continet virtutem omnis ſubſiſtentiæ creatæ. Hæc doctrina à fortiori venit intelligenda de anima rationali.

11 Secunda concluſio: Verbum Divinum non aſſumpſit immediatè partes eſſentiales hominis aſſumptione per modum *perſonationis*, vèl *hypoſtaſeitatis*, sèd ſic immediatè aſſumpſit naturam, & partes mediatè. Concluſio eſt Scoti citat. in 3. Prob. 1.: loquendo de unione per modum perſonationis, partes eſſentiales hominis, ùt corpus, & anima, nequeunt per ſe immediatè perſonari perſonalitate propria, & creata: ergò nèc à divina aſſumi poſſunt per modum perſonationis. Conſequentia ex dictis conſtat: probatur antec.: nèc corpus, néc anima ſunt apta nata eſſe perſona: ergò nequeunt perſonari perſonalitate propria. Prob. antec.: quod non eſt incommunicabile út *quo*, séd eſt per ſe ordinabile,

&

& communicabile suo composito, aút alteri út comparti, non est aptum natum esse Persona; sèd quælibet ex partibus essentialibus hominis est per se sic ordinabilis, & communicabilis: ergó &c.

12 Probatur de unione per modum *hypostaseitatis*, seù *subsistentiæ*, & 1. discursu suprà posito. 2.; quià suppositari est immediatè quidditatis substantialis completæ, juxtà Scotum quodlibet. 9.. 3.; quià subsistentia est ultimum complementum substantiale; sèd nulla par essentialis sivè in toto, sivè extrà totum ratione sui habet ultimum complementum substantiale; cùm omnis sit ex se incompleta, & ordinabilis ad completionem alterius: ergò &c. Tandèm: subsistentia est incommunicabilitas út *quo* per modum formę totius alteri, út actui per se substantialitèr completivo; sèd nulli parti essentiali per se hoc convenit; quià nulla pars essentialis est forma totius; imò ordinatur ad constituendum totum: ergò &c. Ex his sequitur, quòd, cùm natura humana sit, quę immediatè personatur personalitate creata, & mediante ipsa, partes essentiales ipsius, sic etiam Natura Humana fuit immediatè assumpta assumptione *Personalitatis*, & *hypostaseitatis* a Verbo, & mediante ipsa, ejus partes essentiales.

13 Arguitur: Anima rationalis, & similitèr corpus Christi Domini, mansit in triduo mortis cum Verbo Divino immediatè unita: ergó & subsistens per subsistentiam divinam. Confirmatur: Verbum Divinum in triduo mortis supplevit vices subsistentiæ creatę in partibus separatis: ergó quià istæ fuerunt unitæ Verbo immediatè per modum subsistentiæ. Respondeo distinguendo antec.: anima rationalis &c. mansit in triduo immediatè unita cum Verbo per modum *simplicis sustentationis*, conc. antec.: per modum *personationis*, aùt *hypostaseitatis*, nego antec., & distinguo conseq.: ergó & subsistens per subsistentiam Divinam, *communitèr captam*, concedo consequentiam: *strictè* sumptam, nego conseq. His terminis distinguitur etiàm antec., & conseq. confirmationis. Solutio abundè constat ex dictis in 3. notab. huius quæstionis.

14 Tertia conclusio: partes essentiales humanitatis *ordine executionis* priùs naturâ unitæ fuerunt Verbo, unione per modum sustentationis; at-

attamèn unione per modum perſonationis, prius naturâ fuit unita humanitas, quàm partes eius : & hoc tàm ordine intentionis, quàm executionis. Prob. 1. pars : partes eſſentiales ſunt naturâ priores toto ordine executionis ; ſiquidem hic ordo ab imperfectioribus incipit : & primum in intentione eſt ultimum in executione: ergò partes priùs naturâ fuerunt aſſumptæ immediatè à Verbo, quàm totum, aſſumptione eis poſsibili, qualis eſt per modum ſuſtentationis, ex dictis concluſione prima. Prob. conſeq. : aſſumptio per modum ſimplicis ſuſtentationis non dependet ab aſſumptione per modum perſonationis, ùt conſtat in triduo mortis in partibus ab invicèm ſeparatis, quę fuerunt unitę prima aſſumptione ; non verò ſecunda : ergò partes eſſentiales priùs naturâ, quàm totum, fuerunt executivè aſſumptæ tali aſſumptione à Verbo.

15 Probatur 2. pars concluſionis : & 1. de ordine intentivo : aſſumptio totius eſt priùs intenta, quàm aſſumptio partium ; nàm agens priùs intendit totum, quàm partes, quas ordinat ad conſtitutionem totius : ergò ordine intentionis priùs fuit unita Verbo humanitas unione perſonationis quàm partes. De ordine executivo probatur : quod eſt primò perſonabile in ſe, eſt primò perſonabile in Verbo ; sèd Natura humana eſt, quæ eſt primò, & immediatè perſonabilis ; partes verò ſolùm ſecundariò, participativè, & mediatè ſunt perſonabiles à Verbo, út ſatis conſtat ex concluſione antec., & habetur expræſsè ex Subt. Doct. quodlib. 9. : ergò ordine executionis priùs naturâ fuit unita Verbo unione per modum perſonationis, quàm ejus partes eſſentiales.

16 Arguitur 1. : ſi partes priùs naturâ fuerunt aſſumptæ in ordine executionis, quàm totum, aſſumptione per modum ſuſtentationis, etiàm aſſumptione per modum perſonationis : séd hoc eſt falſum: ergò & illud. Prob. mai. : ratio primi eſt, quià partes ordine executionis ſunt naturâ priores toto ; sèd hęc ratio militat de ſecunda aſſumptione; hoc eſt per modum perſonationis : ergò &c. Reſpondeo negando mai. : ad probationem diſtinguo mai. : ratio primi eſt, quià partes ordine executionis ſunt naturâ priores toto, quòad *eſſe*, & *ſuſtentari*, concedo mai. : quòad *eſſe præcisè*, nego mai. ; & diſtinguo min.

eiſ-

eisdem terminis ; vèl ipsam absolutè nego.

17 Partes, ergò, sunt priores toto in *esse*, seù ordine generationis ; quià cùm totum ex partibus componatur, debet illas supponere ; pro illoquè priori sunt tales partes immediatè assumptibiles à Verbo assumptione explicata conclusione prima ; ex hoc verò minimè sequitur, quòd pro tali priori sint assumptibiles immediatè à Verbo assumptione sibi repugnante immediatè; hoc est, assumptione personationis, vèl hypostaseitatis : hæc enim, etsi tales partes præexsistent ordine executionis totum, pro aliquo instanti temporis nunquàm assumi possent immediatè à Verbo Divino ; cùm ex dictis conclusione secunda, talibus partibus repugnet, & personari, & subsistere subsistentia rigorosè sumpta.

18 Arguitur 2. : hæc causalis est vera : ideò partes fuerunt unitæ, quià totus homo fuit unitus : ergò priùs humanitas, quàm partes, fuit assumpta, & unita Verbo ordine executionis. Respondeo distinguendo antec. : ideò partes fuerunt unitæ per modum personationis, quià totus &c. conc. antec. : per modum simplicis sustentationis, nego antec., & conseq. ; nàm in hoc genere assumptionis causalis opposita est, quæ est vera; nam in hoc genere unio partium est dispositio ad totum.

19 Ex distinctione harum conclusionum habetur explicatio huius difficultatis, & reconciliatio variarum authoritatum N. S. Doctoris. Ubicumquè ènim docet, quòd Verbum primò, & immediatè assumpsit totum ; partes verò mediatè, loquitur de assumptione per modum personationis. Et ecòntra, dùm ait, quòd Verbum immediatè assumpsit partes loquitur de assumptione per modum simplicis sustentationis. Vidè N. Mastrium hic.

QUÆST. V.

AN VERBUM DIVINUM IMmediatè assumpserit omnes partes integrales Hominis?

CErtè indubitatum est apùd Doctores, Verbum Divinum immediatè assumpsisse omnes partes integrales, quæ formaliter, & intrinsecè sunt de constitutione integri corporis humani, ùt sunt omnia membra, út caro, ossa, nervi &c. Ratio est ; quiá aliás Christus non esset integer, & perfectus homo. Simili-

litèr ſupponunt communitèr Theologi, dentes à Verbo immediatè aſſumptos ; quià hi veré vivunt, & àb animâ informantur ; cùm de his eadem ratio militet, àc de alijs oſsibus, ût veré vivant, & anima informentur. Difficultas, ergò, ſi quę eſt in prę ſenti, maximè procedit de unguibus, & capillis : án hę partes fuerint immediatè aſſumptę à Verbo Divino ? Sed nota, quód hic, ſicùt in quęſtionibus antecedentibus, agimus de aſſumptione per modum ſimplicis ſuſtentationis ; non verò per modum perſonationis, vél hypoſtaſeitatis ; quód ſic ènim, non fuerint immediatè aſſumptæ, certiſsimum eſt. Hoc notato

2 Dico brevitèr : ungues, & capilli fuerunt immediatè aſſumpti à Verbo. Eſt contrà Vazquez, & noſtrum Vulpium. Eſt tamèn N. Doctoris in 3. diſt. 6. quæſt. 1., ubi de his partibus loquitur, ſicùt de carne ; sèd hæc, juxtà dicta quæſt. antec., fuit immediatè aſſumpta à Verbo : ergò & ungues, & capilli. Probatur ratione : ungues, & capilli veré vivunt, & animâ informantur, ùt communitèr tenent Animaſtici, de quo videri poteſt N. Maſtrius in libris de Anima quæſt. 2. artic. 1.; cuius ratio eſt, quià augentur per *intuſumptionem*, quod eſt proprium viventium: ergò ſi animâ informantur, & vivunt, immediatè fuerunt aſſumpti à Verbo. Confirmatur: admiſſo pro nùnc, quòd non vivant, certum eſt, quòd ſunt partes expectantes ad integritatem, & perfectionem corporis humani : undè in communi Theologorum ſententia, homines reſurrecturi ſunt cùm capillis, & unguibus : ergò fuerunt immediatè aſſumpti. Urgetur : hę partes pertinent ad ornatum, & complementum corporis humani ; & etiàm habent ſpecialia munera in corpore, & ad debitam pulchritudinem aliarum partium requiruntur : ergò cùm Chriſtus ſit perfectus homo, tales partes immediatè aſſumpſit. Si aliqua eſt difficultas contrà iſtam concluſionem, quęſt. ſequenti proponetur, & diſſolvetur. Sit

QUÆST. VI.

AN VERBUM DIVINUM Immediatè aſſumpſerit quatuor Humores?

3 HI ſunt cholera, phlegma, melancolia, & ſanguis ; qui omnes fue-

fuerunt in corpore Chriſti Domini ; & quæritur nùnc : àn eos immediatè aſſumpſerit ad ſui ſubſiſtentiam , ſicùt aſſumpſit carnem , & animam. Et ratio dubitandi eſt ; quià huiuſmodi partes fluidæ non informantur anima. Circà quàm difficultatem triplex eſt ſententia. Prima eſt abſolutè negativa. Sic Durandus , Gabriel, & ex noſtris Gallus, Poncius , Vulpes , & alij citati à N. Maſtrio hìc diſp. 1. quæſt. 5. num.172.. Secunda abſolutè affirmat, Chriſtum Dominum immediatè aſſumpſiſſe omnes prefatos humores. Sic Maſtrius , communis Scotiſtarum , & Jeſuitarum. Tertia ſententia aſſerit de tribus humoribus ; de ſanguine verò diſtinguit , unum ſolùm nutrimentalem dicit : alium verò naturalem : & de iſto dicunt , quòd immediatè fuit aſſumptus à Verbo ; ſecùs verò ille ; ſic communiter Thomiſtæ. Etiàm inter Theologos acritér controvertitur : an ſanguis immediaté unitus Verbo ſempér , & pro ſempèr permanſerit unitus : àn verò aliquándo ab ipſo diſſolutus ? sèd de hoc quæſt. ſequenti. Pro præſenti verò ſit

2 Prima concluſio : Verbum Divinum immediaté aſſumpſit choleram, phlegmam, & melancoliam. Eſt contrà A. A. primæ ſententiæ relatos numero antec.. Probatur tamèn : tales humores ſunt de integritate hominis , & ad veritatem corporis humani pertinent; ſuntquè per ſe requiſiti ad convenientem ſtatum corporis humani ; ideoqué , juxtá communem Theologorum , in corporibus reſurgentium permanebunt : ergò immediatè fuerunt aſſumpti à Verbo. Prima pars antecedentis eſt Damaſceni lib. 2. de fide cap. 12. dicentis : *corpora animalium ex quatuor humoribus conſtare.* Et Aug. Epiſt. 146. ait : *quatuor humoribus naturam carnis temperari , etiàm medicinæ diſciplina teſtatur* : ergó. Secunda pars antecedentis etiàm patet ; quià hi humores ſunt per ſe neceſſarij ad debitum temperamentum ipſius corporis , & út ſanguis ſit liquidus, fluens , & humidus. Reliquæ probationes huius concluſionis , ſicùt & argumenta patebunt ex concluſione ſequenti. Sit ergó

3 Secunda concluſio: totus Sanguis Chriſti Domini fuit immediaté Verbo unitus. Hæc concluſio eſt contrá primam ſententiam , & ex parte contrà Thomiſtas , diſtinguentes de ſanguine vero , & proprio ; quiquè habet veram

formam ſanguinis, & dicitur ſanguis vitalis, ſeù naturalis: & iſtum, dicunt, verè, & immediatè fuiſſe unitum Verbo. Alium vocant, *nutrimentalem*, qui nondùm habet talem formam, sèd eſt in via ad illam, & in principio tranſmutationis: & de iſto aſſerunt, non fuiſſe immediatè aſſumptum à Verbo. Primum dicunt animatum, non verò ſecundum. Hic modus dicendi, & explicandi ſanguinem ex profeſſo refellitur á Noſtratibus in Animaſtica. Videatur Maſtrius diſputatione prima, quæſt. 9. art. 2. á num. 116. Quarè pro nùnc non eſt neceſſe, ùt in his impugnandis immoremur ſpecialitèr. Séd tranſeamus ad probandam abſolutè concluſionem.

4 Probari ſolet primò hæc concluſio ex pluribus Sac. Scripturæ locis, in quibus noſtra redemptio tribuitur Sanguini Chriſti, tamquàm condigno pretio. Hęc ad longum videri poſſunt, in Suarez diſp. 15. ſect. 6. At, quiá adverſarij communitèr reſpondent, tales authoritates unicè probare, Perſonam Chriſti Domini effundentem eum ſanguinem pro noſtra ſalute fuiſſe divinam, ex quo ſanguis ille habuit talem efficaciam non ex ſui unione ad Verbum, sèd quiá effuſus, & oblatus fuit à Chriſto, qui eſt verus Deus; ideó N. Maſtrius cum alijs A. A. noſtræ ſententiæ hanc probationem ex Scripturæ locis, parum efficacem judicant. Videatur Pater Suarez tom. 1. in 3. part. diſp. 15. ſect. 6.. Quarè

5 Prob. 1. concluſio efficacitèr pluribus textibus P. P., & Conciliorum, aſſerentium, Verbum aſſumpſiſſe ſimùl carnem, & ſanguinem; sèd carnem aſſumpſit immediatè: ergò & ſanguinem. Prob. mai.: Concilium Epheſinum canon. 5. ait: *Verbum æquè ac nos communicaſſe carni, & ſanguini.* Secundò in Epiſt. Cyrilli approbata in Epheſino tom. 1. cap. 14. dicitur: *verum, naturalemquè Deum, carnem, & ſanguinem aſſumpſiſſe.* Tertiò in 5. Synod. gener. act. 6.: & in Concilio Chalcedonenſi act. 1. refertur, & approbatur illa explicatio Cyrilli: *Verbum caro factum eſt, id eſt, carnem, & ſanguinem ſumpſit.* Tandèm in decreto Clementis VI. in extravag. *unigenitus*, ait Pontifex: *unam guttam ſanguinis ſufficiſſe ad Redemptionem totius generis humani, propter unionem ad Verbum.* Ubi ſupponit Pontifex, omnem, & quamlibet guttam ſanguinis fuiſſe ſic Verbo unitam: ergò totus ſan-

ſanguis Chriſti Domini fuit immediatè unitus Verbo.

6 Probatur 2. concluſio ex Concilio Trident. ſeſ. 13. cap. 13. ubi tenet: „ ſub ſpeciebus vini reperitur ſanguis „ per ſe primò ex vi verborum, „ & concomitantèr divinitas: ergò ſanguis eſt Verbo immediatè unitus. Conſeq. infertur; aliàs ſub ſpeciebus vini nullo modo eſſet divinitas. Nec valet dicere ſub ſpeciebus vini reperiri tantùm concomitantér divinitatem ob immediatam unionem ejus cum corpore, & anima, quæ ibi concomitantèr adſunt, ùt ibi explicat Concilium docens: *Divinitatem porrò propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima hypoſtaticam unionem.* Non valet; quiá Concilium eodem modo loquitur de continentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis, ác de continentia ſanguinis ſub ſpeciebus vini; sèd ſub ſpeciebus panis eſt Verbum concomitantér, proptér immediatam ejus unionem cum corpore: ergó & ſub ſpeciebus vini eſt etiam concomitantèr proptèr immediatam ejus unionem cum ſanguine; aliás non eodem modo ex vi conſecrationis eſſet Verbum concomitantér ſub ſpeciebus vini, ác panis; nàm ſub iſtis eſſet ob immediatam unionem corporis cum Verbo: & ſub illis non eſſet, niſi ob unionem mediatam Verbi cum ſanguine, quatenús Verbum eſt immediatè unitum corpori, quod ibi concomitantèr adeſt.

7 Deindè, & ſupponamus cum N. Doct. in Reportatis in 4. diſt. 10. quęſt. 4. num. 3., quód totus ſanguis Chriſti Domini fuit ſeparatus ab ejus corpore in triduo mortis; quod certè ùt probabile tenet Scotus. Hoc ſuppoſito, ſic argumentor: ſi in triduo mortis conſecraretur, ſub ſpeciebus vini fuiſſet res eadem ex vi Verborum, quæ nùnc eſt, ſcilicét, ſanguis cum concomitantia Divinitatis; sèd hæc concomitantia non eſſet ratione unionis immediatè ſanguinis cum corpore; quiá facta tali ſuppoſitione, ſanguis non eſſet corpori unitus: ergò eſſet ratione unionis immediatæ Verbi cum ſanguine.

8 Probatur tandém concluſio ratione generali: Verbum Divinum aſſumpſit immediatè perfectum, & integrum corpus humanum: ergò aſſumpſit immediatè ſanguinem. Antecedens ex dictis conſtat. Prob. conſeq.: ſanguis ſpectat ad conſtitutionem, integritatem, & perfectam conſiſtentiam humani Corporis; sèd ex dictis

quæſtione antec., Verbum immediatè aſſumpſit partes ad hoc ſpectantes : ergò &c. Mai. probatur : tùm, quià ſanguine remoto, corpus humanum non eſt eſſentialitér ſubſtantialitèr perfectum. Tùm, quià ſanguis non ſolùm inſervit corpori ùt nutrimentum, sèd etiam ùt principium multarum operationum, eſtquè inſtrumentum vitale neceſſarium ad functiones vitæ, quæ ad veritatem Naturæ humanæ ſunt neceſſariæ: ergò ſanguis ſpectat &c.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

9 ARguitur 1. contrà utramque concluſionem : ſi Verbum immediatè aſſumpſit ſanguinem, & alios humores, verum eſſet dicere per communicationem idiomatum : *Verbum eſt ſanguis*: *Verbum effunditur*, & ſimilia; sèd hæc non ſunt concedenda: ergò &c. Urgetur ex N. Poncio : ſanguis, (idem dic de alijs humoribus) eſt ſubſtantia phyſicè completa, non minùs, quàm aqua, aùt aër ; sèd ſi hæc aſſumerentur à Verbo, Verbum diceretur aqua, aút aër: ergò ſi ſanguis &c. Mai. conſtat ; quià ſanguis conſtat ex materia, & forma ſubſtantiali, quæ non poteſt conſiſtere cum alia forma ſubſtantiali, ſicùt ſtat forma corporeitatis cum anima. Aliqui reſpondent, negando maiorem ; quia communicatio idiomatum ſtat inter naturas integras ; & ſanguis eſt pars, & ſempèr ùt pars ſignificatur. Sèd certè hæc ſolutio non ſolvit urgentiam, quæ probat, ſanguinem eſſe ſubſtantiam completam. Alij negant minorem argumenti ; quià illæ denominationes ſunt veræ juxtà illud Pſalm. : *effuſus ſum velùt aqua.*

10 Reſpondeo tamén ex Doct. in 3. diſt. 22. §. *ad tertium principale*, tàm ad argumentum, quàm urgentiam, has denominationes pendere ex communi acceptione, & uſu loquentium : undè licét illæ denominationes ſint veræ, non admittuntur à Doctoribus ; quià ipſis non placuit. Addit tamén ibi Doct., quód quàndo aliquid non eſt natum denominare niſi totum, cuius eſt pars, non poteſt denominare illud, in quo ſubſiſtit, niſi actú ſit pars compoſiti nati denominari ab ipſa. Sic anima non denominat, niſi actú ſit pars hominis ; tùnc ènim dicitur, corpus animatum, quándo anima actú illud informat : & dicitur homo animatus, quàndo ani-

anima actù eſt pars hominis. Ità paritèr in propoſito diceretur de ſanguine, quòd Verbum ab eo non denominatur, niſi quándo actù eſt pars integralis humanitatis aſſumptæ.

11 Arguitur 2.: Verbum Divinum, ſeù ejus ſubſiſtentia ſupplet humanam ſubſiſtentiam: ergò ſolúm immediatè terminat partes illas, quę ſubſiſtentiâ humanâ ſubſiſtunt; séd partes non animatę, ùt ſunt ſanguis, & alij humores ſubſiſtentiâ humanâ non ſubſiſtunt: ergó Verbum Divinum ipſos immediatè non aſſumpſit. Reſpondeo conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, & nego minorem ſubſumptam; quià eadem eſt ratio de partibus animatis, & inanimatis, ſi iſtæ pertinent ad integritatem hominis. Undé quándo dicitur: Verbi ſubſiſtentia poſita eſt loco totius humanæ ſubſiſtentiæ, ſub hac totalitate non ſolúm comprehenditur animę ſubſiſtentia, sèd etiàm omnium partium humani corporis, ſivè ſint animatæ, ſivé inanimatæ; nàm hoc de materiali ſe habet ad aſſumptionem immediatam.

12 Arguitur 3.: ſi ſanguis eſſet de integritate hominis maximè, quia eſt quid neceſſarium humanę vitæ; séd non quodlibet neceſſarium humanæ vitæ eſt de integritate hominis; aliàs aer eſſet de hominis integritate: ergó ſanguis non eſt de integritate hominis; & conſequentèr non eſt immediatè unitus Verbo. Reſpondeo, negando paritatem; quià licet aer ſit neceſſarius ad humanam vitam, non eſt naturalitér ordinatus ad componendum corpus humanum, ùt pars ejus intrinſeca, ûti eſt ſanguis. Nèc eſt quid uni potiùs viventi additum, quàm alteri; nam eodem aëre omnes viventes utuntur: ideoqué eſt quid viventi extrinſecum. Deindé, corpora glorioſa in Cœlo aërem non habebunt; benè verò ſanguinem: ergò quiá ſanguis eſt verè, & intrinſecé pars corporis organici, non verò aër.

13 Arguitur ultimò: ſi omnes humores fuerunt immediatè aſſumpti à Verbo, pari ratione ſpiritus vitales, & animales fuiſſent ſic aſſumpti; séd hoc non: ergó nèc humores &c. Mai. conſtat; quiá ſpiritus vitales, & animales ſpectant ad veritatem humanę naturæ, & ſunt neceſſarii ad operationes vitæ, & ad naturalem ſtatum, & conſtitutionem corporis humani. Confirmatur: partes non animatæ facillimè variantur: ergò non eſt decens, út immediatè uniantur Verbo,

cui

cui non eſt decens tanta variatio. Urgetur : alij humores à ſanguine vocantur à Philoſ. excrementa : ergò iſti, ad minùs, non uniuntur immediatè Verbo. Aliqui reſpondent ad argumentum, negando paritatem ſpirituum vitalium, & animalium reſpectu quatuor humorum ; iſti ènim habent ſubſtantiam màgis ſtabilem, & conſiſtentem. Spiritus verò ſunt quáſi in continua ſucceſsione, & facillimè tranſmutantur. Sèd hac ſolutione omiſſa,

14 Reſpondeo conformiùs Doctori in 4. diſt. 8. concedendo mai. propter rationem aſsignatam ; quia veritas, & integritas humani corporis hos ſpiritus vitales, & animales requirit, maximè pro ſui conſiſtentia. Ad confirmationem nego conſeq. ; quia ſi non eſt indecens in unione hypoſtatica admittere variationem quóad partem animatam, ſcilicèt, carnem, quæ progreſſu humanæ vitæ variatur, & continuó fluit, & refluit ; nequè erit quoàd inanimatas. Ad urgentiam dico, quód ſi alij humores à ſanguine vocantur à Philoſ. aliquandò excrementa, non eſt, quia in rei veritate ſint talia, nèc quiá per ſe non ſint neceſſarij tales humores corpori humano ; sèd quià non per ſe ordinantur ad nutritionem, ſicùt ſanguis. Vèl quiá magna ex parte ſuperfluunt.

15 Dubitabis hìc : án aliquæ reliquiæ veri ſanguinis Chriſti Domini ſint nùnc in terra : & an retineant unionem cum Verbo ? Dico 1. : aliquæ reliquiæ veri ſanguinis Chriſti Domini ſunt núnc in terra. Eſt contrà Angelicum Præceptorem, & communem Thomiſtarum. Prob. tamén 1. ex Pio II., qui in quadam Bulla ad Abbatem Diœceſis Xantonenſis ait : *veritati fidei nullatenùs repugnare, dicere : Redemptorem Noſtrum in ſui paſsionis memoriam aliquam partem effuſi ſanguinis in terra reliquiſſe :: ùt dictus ſanguis cultui publico exhibeatur.* Hoc & approbavit Leo X. de ſanguine exiſtente Mantuæ in Abbatia Sancti Benedicti, quemquè attulliſſe Longinum, vox publica eſt. Eamdem veritatem Baronius confirmat anno 804. dicens : hoc ùt verum conſtare ex ſacris diplomatibus variorum Pontificum.

16 Nèc valet reſpondere, hunc ſanguinem, qui in quibuſdam Eccleſijs veneratur, non eſſe verum ſanguinem Chriſti Domini in Paſsione effuſum ; sèd qui miraculosè effluxit de quadam Imagine Chriſti à Judæis flagellata. Non va-

valet ; quià hoc non est consonum testimonijs prædictorum Pontificum. Deindè : hęc solutio non habet locum in maculis sanguineis , quæ tàm in sacra sindone , sudario , quàm in clavis , spinis , & aliis instrumentis passim cernuntur, multò antèa , quàm sanguis ille miraculosus ex præfata Imagine emanasset.

17 Probatur etiàm paritate hęc prima pars : præputium in Circunciſione abscissum manet in terra , & approbatione Ecclesiæ adoratur in Basilica Lateranensi , ùt testatur Innocentius III. lib. 4. de mysterio Missæ , & est generalis traditio. Imò ex hoc manifestè apparet , quód etiàm sanguis in Circunciſione effusus cum prępucio adoratur ; quia ùt refert Ven. Mater Maria à Jesu de Agreda tom. 2. num. 521. , 534. , 549. , utrumque simùl inclusum est : ergó similitèr potest esse in terris aliqua pars sanguinis in Passione effusæ.

18 Probatur ratione: si aliqua esset repugnantia in hoc , quod pòst Resurrectionem Christi Domini aliquæ reliquię sanguinis ipsius mansissent in terra , esset , quiá Christus Dominus tùne casus non resurrexisset integer , & perfectus; sèd hoc est falsum : ergò. Prob. min. ex Div. Bonaventura in 4. dist. 12. úbi exponens litteram Magistri ait : túnc aliquis homo dicitur integer , quandó totum sanguinem retinet , vèl ejus maximam partem : vèl illum sanguinem , qui est de veritate humanę naturæ , & spectat ad essentiam ipsius ; séd quandò Christus Dominus reliquisset aliquas guttas sanguinis in terris reassumpsit totum illum , qui est de veritate Naturæ : ergò non sequeretur ex hoc , quòd resurrexisset imperfectus. Videatur circà hoc Suarez tom. 2. in 3. partem Div. Thomæ , disp. 47. sect. 1.

19 Dico 2. : illę reliquię sanguinis , quę manserunt in terra póst Resurrectionem Christi Domini , & núnc sunt in terris non retinent unionem cum Verbo. Est contrá Valentiam , Centinum nostrum , & alios. Prob. : illæ guttæ sanguinis jàm non sunt pars corporis Christi Domini : ergó Verbum Divinum non retinet unionem ad illàs. Prob. ant. : vél illę guttæ sanguinis reuniendæ sunt corpori Christi in fine mundi , ùt ejus partes, vèl non ? Si hoc secundum , habetur intentum , scilicèt , quòd jàm non sunt partes corporis Christi. Si primum : ergò Chris-

tus

tus Dominus non reſurrexit in ea integritate, & perfectione, qua eſt futurus poſt diem judicij; quod videtur abſurdum: ergò nè hoc dicatur, dicendum erit, quòd guttæ illæ non ſunt partes Corporis Chriſti. Deindè: ſi tales guttę eſſent partes corporis Chriſti deberent poni in Euchariſtia ex vi Verborum, quod nemo dixit. Si autem quęras: quo tempore, & quandò huiuſmodi guttæ ſanguinis dimiſerunt unionem cum Verbo? Ad hoc reſpondet N. Maſtrius hîc diſp. 1. quæſt. 5. num. 188., quòd nequit reſolvi, niſi divinando. Undé & nos cum ipſo meritò abſtinemus à reſolutione huius difficultatis. Videatur Maſtrius citat. in dubio incidentali.

QUÆST. VII. ET ULtima.

AN TOTUS SANGUIS CHRISti Domini fuerit in triduo mortis à Verbo Divino ſeparatus?

1 SI hæc difficultas eſſet tàm latè diſcutienda, ac acritér propugnata fuit inter noſtros Fratres Dominicanos ex una parte, & ex alia Franciſcanos, nèc volumen integrum eſſet ſufficiens pro ejus certamine. Nos verò brevitati conſulentes, & quiâ jàm penè extincta eſt acrimonia, qua ſæculis retrò actis agitata fuit, ſolùm, quæ pro ſtudentium notitia ſcitu digna ſunt, dicemus. Qui plura deſideraverit, conſulat N. R. Quirog. in ſuo libello: *bellum de ſanguine Chriſti*: Demethrium Thadæum in ſua Nitella Franciſcana: N. Uvadingo tom. 6. ad annum 1462.

2 Hoc bellum ortum duxit anno Domini 1351. in Civitate Barcinonenſi, in qua R. Franciſcus Bajuli Guardianus Noſtri Conventus ibi, Feria 6. Paraſceves concionando Populo hanc protulit propoſitionem: *Sanguinem Chriſti Domini effuſum, non fuiſſe in triduo mortis Verbo Divino unitum.* Hac audita à Nicolao Roſelo Dominicano, Inquiſitore in Regno Aragoniæ, ſtàtim delata fuit ad Cardinalem Dominicanum Morlandinum. Séd quid de hac delatione evenit? Videndi ſunt authores cit. num. antec. Obdormivit hæc lis uſque ad annum 1462., in quo, die 18. Aprilis, Domini Reſurrectionis, (qua ratione, & motivo, neſcio) eam etiàm concionando protulit Sanctus Iacobus de Marchia. Illicò Iacobus de Brixia Inquiſitor ſpecialis ad-

mo-

monitus a Fr. Baptiſta Dominicano, citavit prę fatum Sanctum Iacobum de Marchia; sèd hinc indè diſputata propoſitione apùd Epiſcopum Brixienſem, & coràm doctiſsimis viris, prę fatus Epiſcopus decrevit, ùt quilibet Prædicator ſuam ſententiam prædicaret, ùt probabilem, nulliquê ex ipſis nota hæreſis, aùt erroneæ imponeretur, uſqué dùm per Summum Pontificem aliquid ſtatueretur.

3 Haùd acquievit præfatus Inquiſitor, Iacobus de Brixia, huic decreto Illuſtriſſimi Brixienſis; qua propter rem ad curiam Romanam attulit, regnante pro tùnc Sum. Pontifice Pio II. Hic varijs rebus intentus dubium examinandum dedit Eminentiſsimis Dominis Cardinalibus Abinionenſi, Protectori Ordinis S. P. N. Dominici, & Niceno, Ordinis Minorum Protectori. Iſti candidati, auditis hinc indè oppoſitis, & reſponſis, prædictum Iacobum Brixienſem convictum de Calumniatore declararunt, & aſpera correctione ipſum mulctavit Eminentiſſimus Abinionenſis. Sèd reverà, étſi correctus ex hoc Tribunali exivit ore tenùs, non tamén ſincero corde; nàm illicò miſit Barcinonem pro quodam proceſſu ibi clandeſtinò efformato (non ènim erat manu alicuius Notarij publici ſigillatus) contrà N. Franciſcum Bajuli; ipſumquè præſentavit, ùt clàm regiſtraretur in regiſtro Curię Romanæ, ùt de facto factum eſt. Hoc executioni mandato, iterùm recurſum fecit ad præfatum Sum. Pontif. Pium II. Hic ùt bonus Paſtor flagrans corde finem controverſiæ imponere, ipſo præſente inter Fratres Prędicatores, & Minores tribus diebus hęc quæſtio acerrimé ventilata eſt, aſiſtentibus Curiæ Romanæ Condecoratis Magiſtris, & omnium Religionum Prælatis.

4 Hac diſcuſsione facta, Sum. Pontifex, præpeditus varijs curis, deſideratum finem imponere non valuit; attamèn aliquod remedium adhibuit decernens per ſuum breve incipiens: *ineffabilis ſumma providentia Patris*, quod videri poteſt in Bullario N. Laerci Cherubini, & eſt undecimum inter decreta Sum. Pontificis: decernens, inquam, quód utraque pars in ſua opinione permaneret tutó; præcipiens ultrà ſub excommunicationis pœna ipſi, & Sedi Apoſtolicæ reſervata, nullam ex præfatis opinionibus, ùt hæreticam, aùt erroneam inurendam fore. Inſupér reſcripſit Sancto Iacobo

bo de Marchia, (qui pro túnc valdé anxius erat, conſiderans, quòd ex hac controverſia munus ſuæ Apoſtolicæ Prædicationis non ſortiebatur deſideratum effectum in Chriſti fidelibus, apúd quos pervenerat ſermo, quód præfatus Sanctus tamquám hęreticus in Curia Romana erat damnatus:) reſcripſit, ergò, ipſi prefatus Pontifex pro ſuo ſolamine Paternalem Epiſtolam, in qua, inter alia ait: *nos enim materiam ipſam hùc uſquè non determinavimus.* Hæc data fuit die 28. Aprilis anno Domini 1464., & ſui Pontificatus 6.

5 In hoc ſtatu, & ſub hac quiete manſit pro tùnc hęc concertatio. Et ex tùnc pro núnc ad aures meas non pervenit, quòd ſuprà hac quæſtione, & difficultate aliquod decretum ex Sede Apoſtolica, aùt ex alio inferiori tribunali emanaverit. Solùm ſcio, quòd etſi Sanctus Iacobus de Marchia prædicaverit, propugnaverit, àc pro viribus defenſaverit, ſanguinem totum Chriſti Domini é corpore effuſum non manſiſſe unitum Divino Verbo in triduo mortis; hoc non obſtante, paucis ab hinc annis fuit Catalogo Sanctorum adſcriptus à Sanctiſsimo Domino N. Benedicto XIII. ex Religione Sancti Patris N. Dominici, ad Sum. Pontificatum evect.); quod ſanè valdè notandum eſt. His ergò brevitér hiſtorialitèr adductis; relinquendo ampliora videnda in A.A. num. 1. citatis, ſi ſcire deſiderat Lector, quid in hoc puncto ſentiamus per duplicem concluſionem brevitér expendam. Sit ergo

6 Prima concluſio: opinio aſſerens: *ſanguinem Chriſti effuſum non fuiſſe in triduo mortis Verbo Divino unitum*, probabilis eſt, non erronea, aùt temeritatis nota inurenda. Hęc concluſio eſt contrà Vazquium, Suarez, Eymericum, Sylveſtrum, & alios. Prob. 1. quód ſit probabilis: opinio illa, quæ habet pro ſe Patronos, & ex alia parte non opponitur alicui loco Sac. Scripturæ, probabilis eſt; ſèd talis eſt opinio appoſita in concluſione: ergò noſtra concluſio probabilis eſt. Maior à nemine cordato negabitur. Minor probatur, adducendo Patronos ipſius. Primò Seraph. Doct. citat. à Sancto Iacobo de Marchia. Franciſcus Mairon in 4. diſt. 43. q. 1. Ricardus in 3. Abulenſis. Franciſcus Rubere, aùt de Saona, totiùs N. Ordinis Generalis Miniſter; pòſt Cardinalis Sancti Petri Advincula; & tan-

tandèm Sum. Pontifex, Sixtus IV. appellatus. Hic hanc opinionem publicè Romę defenſavit, aſsiſtente Summo Pontifice Pio II.; & poſtea typis dedit tractatum ſpecialem *de Sanguine Chriſti*, quem Summo Pontifici Paulo II. oſtendit. Sic tandèm alij plurimi Doctores cit. apùd Lugo, diſp. 14. *de Incarnatione*, ſect. 1. num. 5.: ergò noſtra opinio eſt quam plurium gravium Doctorum: ergò probabilis eſt. Ex his

7 Prob. evidentèr 2. pars ipſius; ſi aliquis ènim eſſet locus Scripturæ, alicuius Concilij, Sum. Pontificis, aùt authoritas S.S.P.P., quibus opponeretur noſtra concluſio diametralitèr, ad hoc, ùt cenſuram aliquam, ſeù temeritatis notam mereretur, utiqué in lucem proferretur ab adverſarijs, aùt notaretur á Sectatoribus noſtræ concluſionis; séd hoc non ſic fit; nàm ſi aliqua adducitur, de facili ſolvitur: ergò &c. Maior eſt certa; min. videatur probata ad longum in N. R. A. P. Quiroga in ſuo libello: *de Sanguine Chriſti.*

8 Sèd probatur poſitivè 2. pars concluſionis ex hiſtorialitèr dictis. Sum. Pontifex Pius II., èt ſi non definitivè, tamèn authoritativè, authoritate tanto Doctore debita, aſſerit, quòd utraque pars, tàm Prædicatorum, quam Minorum probabilitate gaudet, ita ùt nulli liceat, quamlibet determinatè cenſurare út erroneam, aút temerariam: & hoc pòſt diſcuſsionem iſtius controverſiæ á peritiſsimis viris factam, quorum maior pars, nè totam dicam, improbabilitatem utriuſque partis inſpiravit; séd ſtante huiuſmodi authoritate, nequit dici, quòd concluſio noſtra erronea, aùt temeraria ſit: ergò &c. Deindé: ipſe Sum. Pontifex in Epiſt. directa àd S. Iacobum de Marchia, fatetur: *nos ènim materiam ipſam hùc uſquè non determinavimus*: ergo non benè facit Doctor particularis, qui eam ùt erroneam, aùt temerariam cenſurat; cum huiuſmodi cenſura non ſit lata ab ullo Sum. Pontifice, quinimò prohibita.

9 Dices: à Clemente VI. emanavit quoddam oraculum vivæ vocis, in quo Sum. Pontifex Eminentiſsimo Cardinali Joanni Merlandino aſſeruit; *quòd qui talem propoſitionem prædicaverat* (ſcilicèt appoſitam in noſtra concluſione) *cogeretur ad Palinodiam.* Ex qua authoritate motus fuit Inquiſitor Barcinonenſis, Nico-

laus Roſelus Dominicanus, ad damnandum N. Franciſcum Baiuli: ergò noſtra concluſio damnata eſt à Sum. Pontif. Clemente VI. Certè ſicùt proceſſus huiuſmodi Inquiſitoris ſubſilentio factus eſt, ſub tali manere debebat. Videatur circá hoc N. Demethrius Thadæus in Nitella Franciſcana ad annum 1352. Núnc verò reſpondeant adverſarij, quomodò cum hoc vivæ vocis oraculo Clementis VI. definitivo huius materiæ; compatiatur dictum Pij II., qui poſt ſæculum Clementis VI. regnavit, ùbi aſſerit: *nos enim materiam ipſam hùc uſquè non determinavimus.* Et in conſtitutione citat.: *donèc ſupèr dubietatis huiuſmodi deciſione, quid tenendum ſit, fuerit per nos, vèl per Sedem Apoſtolicam definitum.* Hæc pauca inſinuaſſe pro brevitate huius curſus ſufficiat. Reliqua in A. A. cit. videnda. Nùnc verò ſit

10 Secunda concluſio: communior opinio Theologorum tenet, ſanguinem effuſum è corpore Chriſti manſiſſe unitum Verbo in triduo mortis: undé valdè probabilis eſt hæc ſententia. Antè probationem nota 1., quòd, cùm N. Subt. Doct. de hac re nullibi ex inſtituto tractaverit, hinc Scotiſtæ diviſi ſunt inter ſe; eſtò omnes conentur adducere Doctorem pro ſua opinione in illis locis, in quibus de hoc incidentaliter egit. Similitér 2. nota, quòd etſi aliqui ad hanc concluſionem probandam ſe muniant varijs authoritatibus S. S. P. P., Conciliorum, Summorumquè Pontificum, tamèn ex his omnibus authoritatibus ad ſummum deducitur: Verbum Divinum aſſumpſiſſe immediatè ſanguinem, quod & nos ex ipſis probavimus quæſt. antecedenti. Undè ipſis immorandum non eſt pro nùnc, etſi aliter fieret, ſi hæc controverſia pro dignitate tractaretur. Quod forsàn, ſi Deus faxerit. Sèd út hoc notabile notum fiat, apponamus exemplum.

11 Plurimi ex A. A. utuntur authoritate Clementis Sexti in extravagante, *unigenitus*, úbi ait: *unam guttam ſanguinis ſuffeciſſe ad redemptionem totius generis humani propter unionem ad Verbum*: ex hac ergó authoritate deducunt (inter quos & N. Maſtrius hic quæſt. 5. art. 1. num. 174.) quòd omnis ſanguis, & quælibet gutta ipſius ſempèr, & pro ſempèr manſit unita Divino Verbo. Séd neſcio ſanè, qua conſequentia; ipſe namquè Maſtrius ex profeſſo num. 185. & ex intentu probat, quòd ali-

aliquę reliquæ veri sanguinis Christi in terra remanserunt post ejus Resurrectionem, & non unitæ Verbo : igitur ipse, & sic sentientes tenentur solvere verba extravagantis. Sensus ergò Sum. Pontificis est, quòd quælibet gutta sanguinis Christi Domini, quandiù fuit actù in corpore, actú fuit unita Verbo, non verò post effusionem ; licèt quandò effundebatur sufficiens esset ad redemptionem totius mundi ex dignitate Personę eam effundentis. Verumtamèn, né conclusio improbata maneat,

12 Probatur ex doctrina Concilij Tridentini sess. 13. cap. 3. : sub speciebus vini reperitur sanguis per se primó ex vi Verborum, concomitantér verò divinitas ; hoc dato supponamus, quòd in triduo mortis consecrata fuisset Eucharistia, ùt posse fieri, probabilitèr tenet N. Doct. in 4. dist. 8. quęst. 1. tunc casus sub speciebus vini fuisset res eadem ex vi Verborum, quæ nùnc est, nempé, sanguis cum concomitantia Divinitatis ; sèd hęc concomitantia non esset ratione corporis ; nàm supponimus, quod totus sanguis è corpore effluxisset : ergo adesset Divinitas sub speciebus vini ex immediata unione ipsius cum sanguine : ergò quià mansit unitus Verbo immediatè. Confirmatur : si species vini consecrati in Sacra Cœna fuissent reservatæ pro triduo, fuisset ibi sanguis Christi ex vi Verborum : sèd non esset concomitantér ratione corporis, & animæ ; cùm hæ partes ibi non adessent : ergò esset ratione unionis immediatę ipsius cum Verbo. Fateor, quód hæc ratio aliqualitèr premit adversarios ; estó solutionem adhibeant. Vide N. Quirogam perfæpè cit. in bello : *de sanguine Christi.*

13 Probatur 2. hæc eadem conclusio ex variis locis N. Doctoris, qui exponens, & explicans illam authoritatem Damasceni : *quòd semel assumpsit, nunquàm dimisit*, docet, quòd hoc dictum S. Doctoris intelligendum est de partibus essentialibus, integralibus, & principalioribus corporis Christi Domini ; non autèm de alijs, quæ sunt minoris momenti ; nùnc sic ; séd juxtà Doctorem, & nos quęst. antec., sanguis, étsi non sit pars essentialis, & integralis ętherogenea, est tamen homogenea, & principalis corporis Christi Domini : ergó si semèl assumptus fuit, sempèr permansit unitus : ergó & in triduo mortis manùt sic.

Di-

14 Dices contrà iſtam concluſionem : in communi Theologorum ſententia à corpore Chriſti Domini effluxerunt variæ reliquiæ ipſius ſanguinis, quæquè nùnc conſervantur in terris : adeſt & præputium ipſius ; sèd ſi tenet dictum Damaſceni , non debemus hoc aſſerere adhùc ſtante explicatione N. Doctoris : ergó. Prob. min. : omnes hę partes collectivè captę ſunt partes principales corporis Chriſti Domini: ergò ſi dictum Damaſceni juxtà expoſitionem N. Doctoris intelligitur de iſtis partibus etiàm ; vèl dicendum eſt, quòd nullam partem dimiſit, ità út inunita Verbo maneret ; vèl dicendum eſt , quód totum ſanguinem dimiſit inunitum pro triduo mortis. Confirmatur: nulla eſt pars principalior in Natura humana , quàm ipſum totum , ſeù tertia entitas reſultans ex Corpore , & Anima unitis ; sèd hæc pars in triduo mortis non manſit unita immediatè Verbo Divino: ergò non ſequitur inconveniens ex eo , quod totus ſanguis effuſus in ejus ſacratiſsima paſſione, non manſerit unitus immediatè Div. Verbo.

15 Reſpondeo ad replicam , quòd eſt magna diſparitas, inter reliquias ſanguinis Chriſti Domini manentes in terra , ejuſquè præputium , aliquaſquè partes carnis , quæ ſucceſſu temporis amittebantur in Chriſto ex vi nutritionis , & totum ſanguinem ipſius ; iſte ènim reaſſumendus erat à Chriſto Domino in ejus Reſurrectione ; quapropter adhùc effuſus retinebat actú ordinem ad Verbum Divinum , ùt reuniendus ipſi , & ſic conſervare debebat unionem cum ipſo; reliquæ vero partes in replica aſsignatæ non erant reaſſumendę à Chriſto Domino , nèc ipſi reuniendę póſt reſurrectionem ipſius ; quapropter non manſerunt unitę pòſt earum effuſionem. Undè non currit paritas. Ad confirmationem conceſſa mai. nego ſuppoſitum min. ; ſupponit namquè , quód in triduò mortis manſerit tertia entitas reſultans ex corpore , & anima unitis , quod eſt falſum ; nàm diſſoluta unione inter corpus , & animam , conſequens erat , ùt diſſolveretur, & deſineret eſſe tertia entitas. Hæc dicta ſufficiant de hac perdifficili materia , quę totiès retrò actis ſæculis ad palęſtram deſcendit , & ſempér cum victoria probabilitatis exivit. Sit modò....

DIS

DISP. V.

DE UNIONE HYPOSTATICA: UNITIONE, ET COMMUNICATIONE idiomatum.

Recta doctrinæ methodus expoſcit, ût poſtquàm de partibus ſigillatim ſumptis, extremiſquè unionis hypoſtaticæ tractavimus, ſcilicèt, Perſona aſſumente, & natura aſſumpta, loquamur nùnc in hac diſp. de ipſa unione hypoſtatica, & de actione unitiva prædictorum extremorum; & quià vi huius unionis oritur mutua prædicatio proprietatum naturæ humanę, & proprietatum divinę naturę de Deo, & homine in Chriſto, nùllibi oportuniùs agi debet de communicatione idiomatum, quàm hic. Sic ergò

QUÆST. I.

QUID SIT UNIO HYPOSTATICA?

1 SUB hoc breui titulo tria diſcutienda veniunt. Primum eſt: àn unio hypoſtatica ſit aliquid reale creatum àb humanitate, & Verbo Div. realitèr diſtinctum? Secundum: àn ſit quid ſubſtantiale, vèl accidentale: idque vèl abſolutum, vèl reſpectivum? Tertium: ex ſuppoſitione, quòd ſit reſpectivum, quænam relatio ſit? Hæc omnia per varias concluſiones reſolvenda ſunt; ſed antè reſolutionem

No-

2 Noto 1.: unionem humananitatis cum Verbo dupliciter ſumi poſſe: primò *activè*, quo in ſenſu potiùs dicitur *unitio*, ſeù actio unitiva, quàm unio; nám ab illa extrema dicuntur efficienter unita. Secundo modo ſumitur *paſsivè*, quo ſenſu eſt effectus *unitionis*, ſeú actionis unitivæ. Noto 2., quód actio unitiva triplicitèr poteſt extrema ſociare. 1. producendo totum compoſitum, & ſimùl cum illo utramque partem compoſiti. Talis eſt creatio Cœlorum in ſententia, quòd formæ illorum non educuntur de potentia materiæ; nám tùnc tàm materia, quàm forma creantur, & inter ſe uniuntur unica actione. 2.; producendo tantùm unum extremum, & illud uniendo alteri præexiſtenti. Talis eſt actio eductiva formæ materialis ex potentia materiæ, quæ ſimùl eſt eductiva, & unitiva formæ cum materia. 3. actio poteſt eſſe tantùm unitiva, & non productiva extremorum, séd ſoliùs compoſiti reſultantis ex unione extremorum; ûti erit actio unitiva animæ cum corpore in reſurrectione.

3 Ex his certum eſt, Incarnationem non eſſe unionem productivam utriuſquè extremi; nam Verbum æternum, quà æternum, non producitur temporalitèr. Nèc eſt productiva Humanitatis; quià, út poſtéa dicemus, actio productiva humanitatis diverſa eſt ab unitiva ejuſdem cum Verbo Divino. Quarè difficultas eſt: àn actio illa, qua Verbum unitur humanitati, ſit productiva alicuius termini formalis realitér diſtincti à Verbo, & Humanitate, quo mediante, Humanitas unitur Verbo: & ex ſuppoſitione, quód ſit terminus formalis ſic diſtinctus, quid ſit huiuſmodi terminus? Circa hanc difficultatem variant A.A.. Aliqui docent: per actionem unitivam nihil fuiſſe productum diſtinctum in Humanitate, sèd Humanitatem ſe ipſa uniri Verbo, & Verbum Humanitati. Sic Gonet hìc cum alijs, quos citat. Alij tenent, per talem unitionem fuiſſe productam in Humanitate Chriſti quamdam qualitatem abſolutam, quam vocant gratiam unionis. Alij cum Suarez ſuſtinent, produci modum ſubſtantialem, non realitèr diſtinctum ab Humanitate, sèd ſolúm modalitèr. Quid nobis inter tot modos dicendi, conſtabit ex ſequentibus concluſionibus. Sit

4 Prima concluſio: unio hypoſtatica eſt ens reale creatum, realitèr diſtinctum ab humá-

manitate, & à Verbo Divino, productum per actionem unitivam. Eſt contrà A. A. primę ſententiæ ; communis tamén inter Scotiſtas, cum Doct. in 3. diſt. 1. q. 1. §. *de Primo*. Prob. 1. pars : illud eſt ens reale, per quod Humanitas à Verbo aſſumpta realitèr diſtinguitur ab alijs humanitatibus non aſſumptis ; sèd per unionem hypoſtaticam humanitas aſſumpta realitér diſtinguitur à non aſſumptis, néc terminantibus dependentiam á Verbo realitèr perſonalitèr: ergò unio hypoſtatica eſt ens reale. Prob., quod ſit creatum: illud eſt ens creatum, quod cœpit in tempore ; séd unio hypoſtatica, ſicùt & ipſa humanitas, cœpit in tempore: ergò eſt quid creatum.

5 Probatur 3. pars, in qua eſt difficultas : ſignum realis diſtinctionis eſt realis ſeparatio juxtà omnes ; séd unio Humanitatis ad Verbum realitèr ſeparabilis eſt ab Humanitate : ergò realitér ab illa diſtinguitur. Probatur min. : poſſet exiſtere humanitas, non exiſtente unione ejus ad Verbum; quià potuit de potentia abſoluta dimitti á Verbo, aút Verbo non uniri ; sèd in his caſibus exiſteret humanitas, & non exiſteret unio ipſius ad Verbum : ergò realitèr diſtinguitur ab unione. Confirmatur: Humanitas per incarnationem fit de novo realitèr ſubſtantialitèr unita Verbo, & formalitèr dependens à ſuppoſito Verbi ; séd hoc nequit fieri abſque aliqua nova forma realitèr diſtincta àb humanitate: ergó datur.

6 Nùnc ſic : hæc nova forma nequit eſſe ipſamet humanitas ſe ſola ; nèc poteſt eſſe ſolùm Divinum Verbum; néc, tandèm, humanitas, & Verbum ſimùl ſumpta : ergo erit unio hypoſtatica realitèr diſtincta àb Humanitate, & Verbo. Minor ſubſumpta, quòad 1. partem conſtat ; quià idem manens idem, ſemper natum eſt facere idem ; séd humanitas manet eadem : ergò &c. Hæc eadem ratione probatur, quòd nequeat eſſe Verbum talis ratio. Deindè probatur, quód nèc Verbum, & humanitas ſimùl ſumpta ſint talis ratio : ſi humanitas haberet de novo illam denominationem ab ipſa, & Verbo ſimùl exiſtentibus, & præſentibus, actualis unitio humanitatis cum Verbo, vèl diceret ſolam indiſtantiam Verbi ab humanitate, vèl ultrá diceret aliquod aliud receptum de novo in humanitate : ſi hoc ſecundum, habemus intentum

ſi primum, hoc non ſufficit: ergò dicendum eſt, quòd eſt neceſſaria nova forma realitèr diſtincta à Verbo, & humanitate.

7 Probatur hæc min.: Verbum Divinum non eſt magis indiſtans á ſua Humanitate, quàm ab alijs; cùm Deus Cœlum, & Terram impleat ſua immenſitate; ergò actualis unitio nequit eſſe talis indiſtantia. Deindè: indiſtantia eſt communis tribus Divinis Perſonis; cùm fundetur in attributo immenſitatis: ergò ſi indiſtantia eſſet ratio formalis, cùr Verbum eſſet immediatè unitum Humanitati, cùm tres Divinæ Perſonæ eſſent ſic indiſtantes, eſſent etiám unitæ immediatè Naturæ humanæ, quod nequit dici. Confirmatur: ſi Deus impediret, né propria ſubſiſtentia reſultaret à mea natura ſingulari, quantúmvis indiſtans foret Verbum á me, non propterèa diceretur, quòd mea natura ſubſiſteret ſubſiſtentia Verbi, út patet: ergò út humanitas Chriſti talis dicatur, ultrà indiſtantiam debet habere aliquid de novo receptum, quod anteà non habebat: ergò cúm hoc ſit ratio formalis uniendi, ſeú unio ipſa, hæc eſt realitèr diſtincta ab humanitate.

8 Prob. 2. concluſio: humanitas Chriſti priùs prioritate naturæ, quàm referretur ad Verbum Divinum, per ſui aſſumptionem mutata fuit; séd hoc nequit ſalvari, niſi admittatur in humanitate modus ſubſtantialis unionis, per quem formalitèr conjungatur Verbo Divino: ergò. Minor videtur certa ex doctrina Div. Thomæ, qui varijs in locis docet, relationem prædicamentalem, qua humanitas conſequèntèr ad ſui aſſumptionem refertur ád Verbum, cauſari, non ex mutatione ipſius Verbi, sèd Humanitatis, quę ad illud aſſumitur. Probatur tamèn ultrà: implicat, naturam aliquam mutari, niſi pro priori ad huiuſmodi relationem, vèl aliquid de ſe de novo recipiat, vèl aliquid ex his, quæ pro illo priori habebat, deperdat; sèd humanitas per aſſumptionem ſui à Verbo Divino nihil amiſit ex his, quæ pro illo priori naturæ habebat: ergò ſi verè priús prioritate naturæ, quam referretur ad Verbum, per ſui aſſumptionem mutata fuit, aliquid fuit in ea receptum antecedenter ad ſui relationem ad Verbum; sèd hoc aliquid nequit eſſe aliud, quàm unio hypoſtatica: ergò &c.

Reſ

9 Reſpondet Gonet: quòd pro illo priori naturæ, quo referretur humanitas ad Verbum, per ſui aſſumptionem fuit ſolùm mutata extrinſece, & impropriè; quià cùm haberet naturalem inclinationem ad propriam ſubſiſtentiam, fuit per alienam terminata; séd non fuit mutata proprié; quiá pro túnc non præintelligitur exiſtens humanitas anté quàm terminetur à Verbo. Nèc terminatio eſt proprié receptio alicuius formæ, quæ requiritur ad rigoroſam mutationem. Parificat hoc Gonet in materia, & forma: ùt ergò anima rationalis de non unita corpori, fiat ipſi unita, & ad illud referatur, non requiritur mutatio propria, sèd impropria, ſcilicét, connotatio extrinſeca, qua connotet materiam, út potentiam recipientem, quam anteà non connotabat. Sic Gonet; sèd ſi res eſt adeò vera, ác exemplum, totum eſt falſum, ùt videre eſt in phyſica agendo de unione inter materiam, & formam. Séd hoc omiſſo,

10 Contrà 1.: de Humanitate Chriſti verificantur duo contradictoria vera, & propria: ergò quià verè, & proprié eſt mutata. Conſequentia patet; nàm contradictoria vera, & propria nequeunt verificari de eodem ſubjecto abſque mutatione vera, & propria in ipſo. Probatur antec.: pro priori naturę ad aſſumptionem verè, & proprié verificatur de Humanitate, quòd non ſit unita Verbo: è contra verò poſt aſſumptionem; sèd hæc ſunt contradictoria vera, & propria: ergó &c. Minor cùm conſequentia tenet; maior prob.: pro illo priori naturæ, ſolúm verificatur, quòd ſit Humanitas, non verò quòd ſit unita: poſt aſſumptionem verificatur, quòd ſit humanitas, & quòd ſit unita: ergò &c. Urgetur: ſi antè Incarnationem exiſteret Humanitas, ùti exiſtebat Verbum, non poſſet humanitas tranſire ad unionem cum Verbo, niſi media mutatione propria: ergó néc nùnc tranſivit ſinè ipſa. Prob. conſeq.: ideò antec. eſt verum, quiá tranſiret de non eſſe realitèr ſubſtantialitèr unita, ad ſic eſſe; sèd etiám nùnc tranſit: ergò &c.

11 Contrà 2.: actio unitiva eſt realitèr productiva alicuius termini per illam realitèr producti; cùm omnis actio realis formalitèr, aút virtualitèr tranſiens, ſit realitèr productiva; sèd hic terminus de novo productus nequit eſſe, néc ipſa unitio activa, quiá hęc eſt actio totius Sanctiſsimæ Trinitatis: néc ſubſiſtentia Verbi; quià

hæc eſt increata, & ab æterno: nec tandèm humanitas; quià hæc producitur per generationem diſtinctam ab actione aſſumptiva; ergò eſt productiva unionis realitèr in humanitate receptæ.

12 Inſtat Gonet, quód ad hoc ſufficit actio unitiva Dei, quæ cúm efficaciſsima ſit, poteſt unire ea, quę longiſsimè diſtant: & licét talis actio ſecundúm ſe ſit extrinſeca Humanitati, & tranſeat facta unione, tamèn eſt intriſeca ratione ſui termini formalis, ſcilicét, ſubſiſtentiæ Verbi Divini, ùt communicatę humanitati, quæ eſt terminus formalis actionis unitivæ Dei; cúm ratione huius actionis producatur Chriſtus, ùt homo, qui eſt terminus totalis illius; quià in tali termino manet ſempèr virtualitér. Hoc parificat in generatione humana, cuius terminus eſt ipſum ſuppoſitum humanum; quin aliquid aliud per ipſam producatur. Sèd etiám hoc exemplum eſt falſum; quiâ per generationem producitur terminus partialis, ſcilicèt, corpus ſubſtantiale, út docetur in phyſica. Núnc verò

13 Contrà inſtantiam 1. ſic: ètſi ex vi actionis unitivæ Dei, humanitas Verbo uniatur, non tamèn formalitèr, séd effectivé; sêd humanitas eſt formaliter unita Verbo: ergò ex vi illius actionis producitur in Humanitate unio, qua formalitèr ſit unita Verbo. Prob. mai.: eſtò actio Dei ſit efficaciſsima ad unienda extrema diſtantia, non poteſt eſſe forma, qua humanitas conſtituatur formalitér unita Verbo; aliás eſſet intrinſecé recepta in ipſa, quod repugnat: ergò. Contrà 2.: hęc actio unitiva Dei, juxtà Gonet, eſt extrinſeca humanitati, & tranſit, facta unione, ètſi virtualitèr maneat ratione ſubſiſtentiæ Verbi: ergô neceſſario exigitur, quod in humanitate, quæ eſt unita formalitér, ſit aliquid, quód gerat vices actionis unitivæ, quæ tranſivit: nûnc ſic; séd hoc nequit eſſe perſona Verbi, nèc humanitas ex ſe ſola, ùt dictum eſt in prima probatione concluſionis: ergò eſt aliquid per ipſam actionem unitivam productum, & in humanitate receptum, quod eſt noſtrum aſſertum.

14 Contrà 3.: omnis actio productiva termini totalis, exigit terminum partialem, medio quo terminum totalem attingat; sêd licét Chriſtus Dominus ſit terminus *qui*, & totalis actionis unitivæ, non tamén eſt terminus formalis *ût quo*: ergó datur terminus formalis *ût quo* productus per actionem uniti-

tivam distinctus à termino totali, seú *qui*. Nùnc sic; sèd hic terminus nequit esse aliquid, quám unio: ergò actio unitiva humanitatis ad Verbum non solúm producit Christum, sèd etiám unionem. Maior primi discursus constat; quià generatio æterna Verbi Divini non potest intelligi, quòd Verbum producat tamquám terminum totalem, nisi relationem producat tamquám terminum partialem, seú formalem, & *quo*. Contrà 4. humanitas priús naturâ, quám Christus Dominus sit productus, est unita subsistentiæ Verbi; quià Christus includit essentialitèr Divinitatem, & Humanitatem unitas, ûtpoté terminus totalis: ergò priús, quám actio unitiva producat Christum, producit aliquid, quo humanitas sit, & denominetur intrinsecè unita Verbo. Argumenta aliqua proponunt hîc contrarij ex dictis in Physica, loquendo de unione inter materiam, & formam; quare non est necesse ût hîc repetantur. Núnc verò specialia

SOLVUNTUR ARGUmenta.

15 ARguitur 1.: per id Verbum unitur actú, & formaliter humanitati, per quod exercet in ea rationem termini, & ultimi complementi; sèd hoc facit per suam Personalitatem absque aliquo intermedio: ergó &c. Maior constat; quià cúm Verbum uniatur humanæ naturæ per modum termini ultimi, & complementi, necesse est, ût id, per quod illi unitur, sit ipsum actuale exercitium terminandi; sicût, quià formà unitur materiæ per modum actus informantis, illud, per quod illi unitur, est exercitium actuale informandi. Prob. min.: nihil creatum potest esse actuale exercitium, seû actus secundus virtutis terminativæ personalitatis Verbi ad *extrà*: ergò est sola Personalitas. Prob. ant.: non minûs est infinitum Verbum in ratione terminandi, quám Deus in ratione principij productivi; séd Deus ratione infinitatis productivæ ità ad extrá producit, út non producat aliquo alio intermedio: ergó & Verbum in ratione personandi, seù terminandi, cúm sit infinitum, immediatè, & non medio aliquo, terminat humanam naturam. Hoc est fundamentum Gonet.

16 Respondeo tamén distinguendo mai.: per id Verbum unitur humanitati, per quod exercet in ea rationem termini, & ultimi complementi, ût *quo*, conc.

conc. mai. : ùt *quod*, nego mai.: & diſtinguo min. ; séd hoc facit per ſuam perſonalitatem, hoc eſt, út ratio termini *quod* terminans, conc. min. : ùt ratio termini *quo* formalitér uniens, nego min., & conſeq.; quiâ unio diſtincta ab extremis non eſt quid utrimquè unitum, sêd quid uniens ; nêc eſt ratio unita, séd ratio uniendi ; nequé mediat út *quod*, ſicùt brachium mediat inter collum, & manum, sèd ût *quo* ; eſt ènim unio non terminus formalitèr, séd ratio, qua mediante, Verbum terminat communicationem naturæ humanæ.

17 Ad probationem minoris nego ſuppoſitum ; quiâ unio ètſi diſtincta ab extremis, non eſt exercitium actuale, ſeù actus ſecundus virtutis terminativæ perſonalitatis Verbi ad extrà ; sèd tantùm conditio *ſine qua non* actualis exercitij; cùm non ſit pars eſſentialis compoſiti, ùt patet in compoſito phyſico. Nequè hoc inconvenit perſonalitati Divinæ ; cùm compoſitum Theandricum exigat unionem illam diſtinctam, ùt natura humana, & divina actû, & formalitèr uniantur. Ad probationem antecedentis, conceſsis præmiſsis, nego paritatem; quiâ Deus in producendo ad *extrà* agit juxtà ſuam virtutem; & ſic non eget actione á ſua virtute virtualitér diſtincta ; át in Incarnatione Verbum Divinum non agit activè, juxtâ ſuam virtutem, ſed merè paſsivè ſe habet terminando juxtà exigentiam naturæ aſſumptę ; & cûm incarnatio ſit quoddam compoſitum, Verbum in terminando ſervat conditiones compoſiti, & conſequénter exigit unionem, vêl medium, quo extrema conjungantur.

18 Arguitur 2. : ſubſiſtentia creata immediatê per ſe ipſam unitur naturæ creatę : ergô & ſubſiſtentia Divina. Conſequentia infertur ; quia divina ſubſiſtentia eſt ſimpliciter infinita in ratione terminandi. Prob. antec. : ſubſiſtentia creata nullam caſualitatem exercet formalitèr in natura, sèd puram rationem termini ; sêd terminus immediatè ſe ipſo terminat : ergò &c. Confirmatur : ſi exigitur modus ſubſtantialis, quo ſubſiſtentia conjungatur naturæ, etiàm exigitur alius modus ſubſtantialis unionis inter exiſtentiàm, & ſuppoſitum ; sèd hoc non ; aliàs *modorum non eſſet modus* : ergò &c.

19 Reſpondeo in ſententia conſtituente ſubſiſtentiam creatam in negativo, conceſſo antec., negando conſeq. ; quiâ ſemêl, àc ſit negatio, ſe ipſa fuit

fluit à ſua natura ; ſubſiſtentia Verbi verò , cùm ſit quid poſitivum , naturam poſitivè perficiens , requirit unionem , ût naturæ conjungatur. In ſententia verò de poſitivo nego antec. argumenti ; quià in hac ſententia , ſubſiſtentia creata eſt modus poſitivus ſeparabilis , & realitèr diſtinctus à natura, non dimanans âb ea , ût paſsio, vèl ût modus ſubſecutus , & ſic indiget unione realitér diſtincta, út uniatur naturæ creatæ ; & falſum eſt , quôd non exerceat aliquam cauſalitatem in natura; cùm eam conſtituat formalitèr ſubſiſtentem. Ad confirmationem nego ſuppoſitum ; quià, cúm natura priùs ſit exiſtens, quàm ſuppoſitata , unio ipſiſſima , qua natura unitur ſuppoſito , eſt , qua exiſtentia unitur naturæ.

20 Dices : quià unio eſt modus naturæ , ſe ipſa immediatè unitur extremo , quod unit ; sèd etiam ſubſiſtentia eſt modus naturæ : ergò ſe ipſa unitur naturæ ſinè aliquo addito. Reſpondeo diſtinguendo antec. ; quià unio eſt modus naturæ in linea uniendi , ſe ipſa &c., conc. mai. , in alia linea, nego mai. : & diſtinguo min. ; séd etiám ſubſiſtentia creata eſt modus naturæ , in linea perſonandi , conc. min. ; in linea uniendi , nego min., & conſeq. Subſiſtentia , ergó , non eſt modus naturæ , qui ſit ratio formalis uniendi ; undè in hac linea indiget alio modo ſuperaddito. Eſt enim ſolus modus naturæ , qui ſit ratio formalis ſubſiſtendi , & ſic in hac linea non indiget alio , qui ſit illi ratio formalis ſubſiſtendi ; sèd per ſe ipſam ſubſiſtit.

21 Arguitur 3. , & eſt replica : idèo eſſet neceſſaria unio inter humanitatem , & Verbum , quià extrema realitér diſtincta nequeunt actú uniri ſinè tali medio ab ipſis diſtincto ; sèd hæc ratio nulla eſt; quià licèt unio ſit realitér diſtincta ab humanitate , & Verbo , unitur ipſis ſiné alia unione realitér diſtincta : ergó &c. Reſpondeo negando abſolutè maiorem ; quiâ nos non loquimur de realitér diſtinctis utcumqué , sèd de realitér diſtinctis , quorum neutrum , aùt unum ex illis non habet pro ratione eſſentiali eſſe alteri conjunctum. Unioni , ergó , pro ſua ratione eſſentiali convenit, eſſe extremorum nexus , & connecti alteri ût *quo* : undé non exigit copulari extremis per aliud vinculum â ſe diſtinctum; quià quod eſt eſſentialitèr tale, nequit fieri tale per aliud à ſe diſtinctum , út patet in luce,

qua

quæ, quiâ eſt coloribus ratio formalis, ùt videantur, non eget alio à ſe diſtincto, út ipſa videatur: & ſic in alijs rationibus formalibus.

22 Arguitur 4.: ſi Pater, & Spiritus Sanctus unirentur humanitati aſſumptæ à Verbo, unirentur ſinè modo ſuperaddito: ergò ſimiliter Verbum unitur. Prob. ant.: ſi eſſet neceſſaria talis unio, vèl eſſet ejuſdem, aùt diverſæ rationis cum unione, qua Verbum de facto unitur humanitati; séd non poteſt dici primum; quià cùm modus unionis debeat ſpecificari à termino, modi illi haberent terminos diverſæ rationis, ſcilicét, divinas Perſonas, relativis proprietatibus conſtitutas, quæ ſunt diverſę rationis. Nèc poteſt dici ſecundum; quiâ in entibus abſolutis exceſſus, aùt defectus diverſæ ſpeciei datur ſecundum perfectionem ſpecificam: & cùm tám perfectus ſit unus, quám alius modus unionis, eſſent æquales in perfectione: ergó neutrum dici poteſt: ergó dicendum eſt, quòd non daretur talis modus ſuperadditus. Reſpondeo negando ant. c.: ad probationem dico, quód eſſent ejuſdem rationis cum unione, qua de facto Verbum unitur humanitati; quià licèt tres divinæ Perſonæ in ratione Perſonę ſint quaſi diverſæ ſpeciei, non tamèn in ratione terminandi unionem; ſic ènim eſſent ejuſdem rationis; cùm terminent ſub ratione ſubſiſtentiæ.

23 Arguitur ultimó: út humanitas uniatur Verbo ſufficit ſimultanea exiſtentia Verbi, humanitatis, & actionis unitivę. ergó non requiritur unio. Prob. ant.: poſita actione unitiva humanitatis ad Verbum, nequit non humanitas eſſe Verbo unita: ergó &c. Reſpondeo negando antec.; & diſtinguo antec. probationis: poſita actione &c., nequit non humanitas eſſe Verbo unita *efficientèr*, conc. antec.: *formaliter*, nego antec., & conſeq. Verum; ergò, eſt; quód poſita actione unitiva nequit non humanitas eſſe unita Verbo; ſicut poſita actione calefactiva, ſubjectum neceſſariò fit călidum; sèd hoc ſolùm eſt in genere cauſæ efficientis, non formalis; quia in hoc genere fit per formam productam per actionem unitivam; ſicùt ſubjectum conſtituitur calidum per formam diſtinctam, & productam per actionem calefactivam.

24 Secunda concluſio: unio humanitatis ad Verbum non eſt modus entitativè ſubſtan-

tantialis. Eſt contrà Thomiſtas, & alios extrà noſtram Scholam. Probatur: ideò, juxtà adverſarios, eſt entitas ſubſtantialis, vél quià ponitur ad fundandam relationem novam prædicamentalem unionis; vèl quià terminat actionem unitivam, quę eſt actio ſubſtantialis: vèl quià ſubſtantialitèr unit extrema; sèd nullum ex his capitibus probat, quòd unio hypoſtatica ſit modus entitativè ſubſtantialis: ergò non eſt. Probatur min. quoàd primam partem: unio inter materiam, & formam ſubſtantialem non fundat relationem prædicamentalem unionis: ergó nèc unio hypoſtatica. Prob. antec.: ratio proxima fundandi unionem relativam inter materiam, & formam ſubſtantialem, eſt ex parte materię ratio *per ſe potentiæ*, & ex parte formæ eſt ratio *per ſe actus*: ergò ratio proxima fundandi unionem relativam inter naturam, & Verbum, eſt capacitas naturæ, út aſſumatur à Verbo; non veró aliquid realitèr ab ipſa natura diſtinctum.

25 Prob. eadem min. quóad 2. partem: actio unitiva non producit terminum ſubſtantialem inter materiam, & formam ſubſtantialem: ergò nèc inter naturam, & Verbum. Prob. antec.: ſi actio unitiva inter materiam, & formam eſſet productiva talis termini, materia mutaretur ſubſtantialitèr per unionem, & forma eſſet ſubjectum mutationis ſubſtantialis; sèd hoc eſt falſum apúd Philoſophos: ergó &c. Mai. conſtat; nám cúm actio productiva materiæ, & formæ ſit diſtincta ábactione unitiva, & unio priùs intelligatur recepta in materia, & in forma, quàm materia recipiat formam, materia priùs ſubſtantialitér mutabitur per unionem, quám per formam.

26 Probatur eadem minor quóad ultimam partem: ideò unio hypoſtatica eſſet quid ſubſtantiale, quià uniret extrema ſubſtantialia; sèd hęc ratio nulla eſt: ergò &c. Prob. min.: étſi unio in ſua entitate non ſit ſubſtantia, poteſt unire extrema ſubſtantialia: ergò &c. Prob. antec.: èt ſi actio productiva extremorum ſubſtantialium non ſit entitativé ſubſtantia, poteſt ea producere: ergò à pari, étſi unio non ſit ſubſtantia, poteſt unire extrema ſubſtantialia. Idem patet in relatione identitatis, & diſtinctionis, quæ identificat extrema ſubſtantialia, quin ſit ſubſtantia.

27 Arguitur 1.: in Con-

cilio Epheſino canon. 2. determinatum fuit, unionem hypoſtaticam non eſſe unionem accidentalem, sèd ſubſtantialem: ergò noſtra concluſio eſt contrà tale Concilium. Reſpondeo conceſſo antec., negando conſeq.; quia juxtà Concilium unio hypoſtatica appellatur *ſubſtantialis*, non quià in ſe accidens non ſit; séd quià eſt ſubſtantialis, & intrinſeca conjunctio Perſonæ Verbi cum Natura humana, ità, ùt unio illa non fiat, dumtaxàt per affectum, & gratiam ſanctificantem, ùt aſſerebat Neſtorius; séd fiat ſubſtantialitèr, ex eo quod Perſonalitas Verbi ſe ipſa reddat ſubſtantialitèr humanitatem Chriſti ſubſiſtentem; non ênim ibi aliud intendit Concilium.

28 Arguitur 2.: nullum compoſitum poteſt ſinè unione conſtitui: ergò omnis unio compoſiti ſubſtantialis, qualis eſt Chriſtus, eſt entitativè ſubſtantia; & conſequénter &c. Confirmatur: quod eſt accidens, poſt adeſſe, & abeſſe abſquè ſubjecti corruptione; sèd unio hypoſtatica non poteſt adeſſe, & abeſſe abſqué ſubjecti corruptione; nam ceſſante unione inter Humanitatem, & Verbum, Chriſtus ceſſaret eſſe: ergò &c. Reſpondeo diſtinguendo antec.: nullum compoſitum poteſt ſinè unione conſtitui; ſinè unione, velùt conditione, & medio requiſito ad conſtitutionem compoſiti, conc. antec.: velùt parte eſſentiali conſtitutiva, nego antecedens, & conſequentiam. Solutio conſtat ex Phyſica. Ad confirmationem diſtinguo min.; séd unio hypoſtatica non poteſt adeſſe, & abeſſe abſquè ſubjecti corruptione *in ſenſu compoſito*, concedo min.: *in ſenſu diviſo*, nego min.. Poteſt ènim Verbum, & humanitas exiſtere ſeó ſim, quin exiſtat unio; licét Chriſtus, qui unionem includit, útpotè compoſitum, non poſsit exiſtere ſiné unione.

29 Arguitur 3.: unio hypoſtatica eſt nexus intimior omnium ſubſtantiarum, ſcilicèt, naturæ, & ſubſiſtentiæ Verbi, cum quibus conſtituit unum per ſe, & manet intrà tale compoſitum ſubſtantiale: ergò nequit eſſe accidens; cùm compoſitum ſubſtantiale nequeat conſtitui ex accidenti. Reſpondeo diſtinguendo ultimam partem antecedentis: manet intrà tale compoſitum, ut conditio applicans partes ejus, ùt conſtituant, & componant, conc. ant., ùt pars compoſiti, nego antec., & conſeq..

Cer-

Certè, qualitates disponentes materiam ad receptionem formæ manent in composito ad ejus conservationem : & non ob hoc desinunt esse accidentia, & compositum esse substantia : ergò similitèr hîc, étsi unio hypostatica maneat in Christo, & ejus partes sint substantiæ, tamén ipsa unio entitativè accidens erit. Quarè in hoc puncto, aliud est, quod substantialitér uniat, aliud verò, quod uniens sit substantia. Primum provenit ex natura extremorum; secundum verò ex eo, quod vinculum uniens sit ex sua natura entitas substantialis; hoc énim est, quod absolutè in præsenti negamus. Vidè alia in loc. cit. Physicæ.

30 Tertia conclusio: Unio humanitatis ad Verbum, non est respectus transcendentalis, séd prædicamentalis, scilicèt, relatio extrinsecùs adveniens. Est communis intèr Nostrates. Prob. 1. pars: relatio transcendentalis est realitèr identificata cum suo fundamento; incipit, & desinit cum ipso, & nequit adesse, & abesse absquè subjecti corruptione, ùt patet in relatione dependentiæ creaturæ ad Deum: é contrá relatio prædicamentalis; sèd unio humanitatis ad Verbum non est realitér identificata cum humanitate, ùt pàtet ex prima conclusione; & potest adesse, & abesse absquè humanitatis corruptione: & si incœpit esse cum ipsa pro eodem instanti durationis, hoc non fit necessariò, sèd contingentèr : ergò non est relatio transcendentalis.

31 Probatur 2. pars; talis unio non est accidens absolutum : ergò est relativum. Prob. antec. : in tantum esset absolutum, in quantum esset qualitas disponens naturam humanam, út uniretur cum Verbo; sèd hęc dispositio est frustranea; cùm Natura humana sit in potentia obedientiali ad talem unionem; & consequèntèr ex se unibilis : ergò &c. Confirmatur : illa entitas, cujus totum suum esse est ad aliud se habere, est quid relativum; séd totum esse unionis hypostaticæ est referre humanitatem Christi ad Verbum, nèc alitèr concipi potest, quin sic concipiatur : ergò &c.

32 Probatur tandém quóad 3. partem : relatio intrinsecùs adveniens est, quæ necessariò resultat intèr extrema, ipsis positis, & ad illam non datur motus, ùt patet in similitudine intér duo alba : é contrá relatio extrinsecùs adveniens; nam causatur per

actionem, & motum, ùt patet in actione ignis ad paſſum, quæ non reſultat, niſi poſita approximatione, ſeù applicatione ignis ad paſſum; sèd unio humanitatis ad Verbum non reſultat, poſitis in rerum natura Verbo, & humanitate, niſi Deus impediat in Humanitate reſultantiam propriæ ſubſiſtentiæ per actionem, qua vult illam deperdere, & ſuſtentari á Verbo: ergò eſt relatio extrinſecùs adveniens.

33 Arguitur 1. contrá 1. partem: relatio tranſcendentalis non reſpicit terminum, ùt purum terminum, sèd ùt cauſam, vèl effectum: è contrà relatio prædicamentalis; sèd unio humanitatis ad Verbum reſpicit Verbum, út cauſam, & humanitatem, ùt effectum: ergò eſt relatio tranſcendentalis. Prob. min.: humanitas mediante unione dependet á Verbo, ùt á ſuſtentante, & à quo in exiſtendo dependet: ergò &c. Reſpondeo diſtinguendo mai.: relatio tranſcendentalis reſpicit terminum, ùt cauſam, vél effectum cum quo realitèr identificatur, conc. mai.: realitèr diſtinguitur, nego mai.; & ſic diſtincta minori, nego conſeq. Licèt unio humanitatis ad Verbum ipſum reſpiciat, út cauſam formalem terminantem dependentiam humanitatis ad illum, hoc eſt media unione realitér diſtincta à Verbo, & humanitate, út manet probatum. Quaré nequit eſſe relatio tranſcendentalis, séd prædicamentalis, út conſtat ex dictis.

34 Arguitur 2. contrá 2. partem; unio eſt terminus formalis actionis incarnativæ; ergò non eſt relatio prædicamentalis. Prob. conſeq.: actio incarnativa eſt á tota Trinitate uniente Verbum, & Humanitatem; sèd actio Trinitatis non terminatur ad puram relationem: ergò &c. Deindè: relatio prædicamentalis non producitur; sèd reſultat, ergó unio nequit eſſe terminus actionis incarnativæ. Reſpondeo conceſſo antec., negando conſeq. Ad 1. probationem conceſſa mai., diſtinguo min.; séd actio totius Trinitatis non terminatur ad puram relationem, út terminum *quod*, conc. min.; hic énim eſt Chriſtus: ad puram relationem, út terminum *quo*, nego min.; hic ènim eſt unio, media qua reſultat totum compoſitum, ſcilicèt, Chriſtus. Similitèr diſtinguo 2. probationem: relatio prædicamentalis intrinſecùs adveniens non producitur, concedo antec.: relatio prædicamentalis extrinſe-

ſecùs adveniens, qualis eſt unio hypoſtatica, nego antec., & conſeq.. Solutio conſtat ex Logica.

35 Arguitur 3.: Verbum, & humanitas non ſunt relativa: ergò non uniuntur per ſimplicem relationem; aliás ſe mutuò reſpicerent, ùt unita. Reſpondeo diſtinguendo antec.: non ſunt relativa per mutuam relationem ejuſdem ordinis, conc. antec.: diverſi ordinis, nego antec., & conſeq., cum imbibita probatione. Humanitas ergò reſpicit Verbum per realem dependentiam, & unionem ad ipſum, tamquàm ad ſuſtentans. Verbum verò reſpicit Humanitatem per eamdem relationem, non in ſe ſubjectatam, séd ad ſe terminatam; & ſic in Verbo non eſt relatio ſecundùm *eſſe*, séd ſecundùm *dici*, ùt eſt in Deo creatore ad creaturam.

36 Arguitur 4.: Unio hypoſtatica meliùs explicatur per hoc, quod ſit gratia aliqua de genere qualitatis producta à Deo in Humanitate, quàm per hoc, quod ſit relatio: ergò &c. Prob. ant.: de facto à S. S. P. P. vocatur hæc unio *ſumma gratia*, & non minùs eſt donum Dei, quàm unio, quæ fit per gratiam Sanctificantem, & lumen gloriæ; sèd iſtæ uniones fiunt per qualitates abſolutas inhærentes, à Deo productas: ergò & unio hypoſtatica. Reſpondeo negando antec.: ad probationem conceſſa maiori, & min., negò conſeq. Aliud ènim eſt, quod unio hypoſtatica ſit gratia, & donum Dei, ùt poſteà dicemus; aliùd verò quod ſit gratia habitualis, & qualitas in ſua entitate, ſicùt ſunt unio per gratiam, & lumen gloriæ; iſtæ ènim habent activitatem cum potentijs reſpectu ſuarum operationum, & ſic egent inhærere ipſis; unio verò, cùm nullam activitatem tribuat *per ſe* humanitati, niſi ad ſummum exigitivè, ideò non eget tali inhærentia, & conſequèntèr néc eſt qualitas.

37 Si quæras hîc: quænam relatio extrinſecùs adveniens ſit? Aliqui dicunt, quòd reducitur ad habitum; quiá per illam humanitas eſt habens ſubſiſtentiam Verbi, & Verbum ipſum. Sèd conformiùs cum communi Scotiſtarum dico, quòd reducitur ad prædicamentum *Paſſionis*. Ratio; quià per actionem unitivam humanitas quáſi tranſmutatur, dùm recipit unionem ſui cum Verbo: ergó unio eſt in humanitate per modum termini relationis tranſmutati ad tranſmutans; sèd

in

in hac relatione conſiſtit ratio prædicamenti *paſsionis*, ex dictis in Logica: ergò. Nèc obſtat, quòd tale prædicamentum non ſit terminus actionis, qualis eſt unio, sèd tranſmutationis.

38 Non obſtat; quià in Perſona Chriſti conſtante duabus naturis eſt duplex relatio. Una *producti ad producens*, quam dicit unio per ordinem ad totam Trinitatem: & hæc eſt tranſcendentalis, ſimilis illi, quam quælibet entitas creata in ratione effectus dicit ad Deum. Alia eſt *tranſmutati ad tranſmutans*, & eſt per quam Humanitas, quæ eſt vèluti ſubjectum, refertur ad Trinitatem unientem, & ad Verbum, út extremum, & terminum unionis, & hæc eſt, quæ eſt relatio extrinſecùs adveniens prædicamenti *Paſsionis*.

39 Quarta Concluſio: unio hypoſtatica propriè ſumpta non eſt relatio mutua, séd diſquiparantiæ. Eſt expreſſa Doctoris in 3. diſt. 1. quæſt. 1. Prob. 1. pars: unio hypoſtatica, etſi ſit realis ex parte humanitatis, utpotè capacis mutationis, non tamén ex parte Verbi Divini, quod ob ſuam immutabilitatem, & ſimplicitatem infinitam eſt incapax abſolutè omnis novæ entitatis; sèd hoc ipſo non eſt relatio mutua: ergò non eſt mutua, séd diſquiparantiæ. Confirmatur: omne relativum reale in relationibus mutuis dependet à ſuo correlativo: ergò, cùm Verbum Divinum ſit ſummè independens, nullam poteſt habere correlationem realem, & rationem relationis dependentis; & conſequentèr, &c.

40 Probatur 2. pars concluſionis: relatio illa eſt diſquiparantiæ, quæ non eſt ejuſdem rationis in extremis; ſed ità eſt relatio unionis hypoſtaticæ: ergó &c. Prob. min.: talis relatio in Natura humana eſt dependentis, & perſonati; in Verbo verò Divino eſt relatio independentis, & perſonantis; sèd hæ denominationes, & relationes ſunt diverſæ rationis, út conſtat: ergò &c. Mai. patet; quià natura humana media unione dependet à Verbo, tamquam á proprio ſuſtentante; Verbum autém nullo modo dependet à Natura humana. Argumenta contrà iſtam concluſionem ſoluta manent diſp. 1. quæſt. 1. ſect. 3. hujus tract.

QUÆST.

QUÆST. II.

An Unio hypoſtatica facta fuerit in unitate Naturæ, aut Perſonę?

1 DUplex diametralitèr oppoſitus error fuit olím in hoc puncto. Primus Neſtorii, Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui ſuſcitavit Pauli Samoſetani, & Fotini deliria; aſſerebant enim in Chriſto Domino fuiſſe duas Perſonas, ſicùt & Naturas. Undé fuit purus homo, cui Perſona Divini Verbi unita fuit accidentalitér, ſcilicèt, vél per inhabitationem, & prę ſentiam; vél per conformitatem voluntatum, & affectuúm; vèl ſecundùm operationem, in quantum humanitas Chriſti erat veluti inſtrumentum, quo utebatur Verbum Divinum ad ſua mira opera elicienda: vèl tandèm ſecundùm quamdam participationem honorificę dignitatis; quia honor exhibitus Verbo Divino redundabat in honorem naturę humanæ perſonatę proptér has uniones cum Verbo. Ex conſequenti aſſerebat Neſtorius, Beatiſsimam Virginem non fuiſſe Deiparam, ſed *Chriſtiparam*. Hic error damnatus eſt in Concilio Epheſino circà annum 431.

2 Secundus errror capitalis fuit Euthychis, Monachi Conſtantinopolitani dicentis, quòd êtſi antè unionem fuerint duę diſtinctæ Naturæ, humana, ſcilicèt, & Divina; tamèn per unionem hypoſtaticam coierunt in unam Naturam: & hoc, vèl per converſionem humanitatis in divinitatem; vel per converſionem divinitatis in humanitatem; vél tandem, per compoſitionem, ità, quòd ex duabus naturis in ſuo integro eſſe remanentibus reſultaſſet una natura; ſicút ex anima, & corpore una fit Natura. Hic error damnatus fuit in Concilio Chalcedonenſi anno 451.; quiquè antéa fuit Apollinaris, & partim Arrij, Valentini, & aliorum. Videatur Noſter Caſtro de hæreſibus, *hæreſi quarta, Verbo, Chriſtus*. Contra hos ergò capitales errores agimus in prę ſenti inquirendo: án unio hypoſtatica facta fuerit in unitate Perſonę, ità, út tantùm una Perſona fuerit in Chriſto Domino: vél duplex, quod aſſerebant Neſtoriani. Similitèr: án facta fuerit in unitate Naturæ, ità, ùt ſolúm ſit una natura in Chriſto Domino, út

vo-

volunt Euthychiani? Sed antè reſolutionem

3 Nota 1.: quòd, proùt ad præſens attinet, triplici modo poſſunt aliqua invicèm adunari. Primò. per *compoſitionem*: & eſt quandò partes unitæ ſe habent ùt actus, & potentia, út perfectibile, & perfectivum, ex duobus extremis reſultat quoddam tertium perfectius utròque extremo ſeòrſim ſumpto. Secundò poſſunt adunari per *miſtionem*: & fit quandò aliquod tertium conſtituitur ex partibus deficientibus ſecundùm ſubſtantiam, & naturam, & ſolùm remanentibus ſecundùm ſuam virtutem, ùt quando miſtum fit ex elementis, quæ ſolùm virtualitèr manent in miſto. Deniquè unio poteſt fieri per *tranſubſtantiationem*, quæ tùnc fit, quandò tota aliqua ſubſtantia deſinit eſſe, & tranſit in aliam.

4 Noto 2., quód unum ſubſtantivum duarum formarum, aùt Naturarum, non poteſt cum vera, & reali prędicatione dici abſolutè *duo*. Ratio eſt; quià non poteſt multiplicari, & numerari concretum aliquod abſquè multiplicatione ſuppoſiti. Undè unum ſuppoſitum, homo *v. g.* habens plures ſcientias, non dicitur *plures ſcientes*, sèd *unus ſciens*. Sed circà hoc notabile, & pro dicendis in prima Concluſione, præ oculis habenda ſunt, quæ diximus diſp. 3. quæſt. 4. à num. 6. & hìc ad litteram transferenda ſunt. His ſuppotis, ſit

5 Prima Concluſio: unio hypoſtatica facta eſt in unitate perſonę, àc proindé Chriſtus Dominus, habens duas naturas, non eſt aliqua duo *maſculinè*, ſeù duę perſonæ. Eſt contrà Neſtorianos. Prob. 1. ex Symbolo Div. Athanaſii, ubi dicitur: *Unus omninò non confuſione ſubſtantiæ, sèd unitate perſonę.* Et in ſymbolo Apoſtolorum: *Filius Dei unicus, qui conceptus de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.* Etiàm perſępè in Evangelio Chriſtus Dominus de ſe fatetur, quód ſit unus in ſingulari; ùt in 1. Joannis: *Verbum caro factum eſt.* Joannis 6.: *Ego ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi*: & in eodem Joanne 8.: *Antequàm Abraham fieret, ego ſum*; sed omnes hæ authoritates non poſſunt in rigore ſumi, niſi de unitate perſonæ: ergó quià in unitate perſonæ facta fuit Incarnatio.

6 Probatur 2., evertendo modos dicendi Neſtorii, & ſuorum: unio Naturæ Divinæ cum humana ità eſt propria hujus naturæ humanæ, ut nequeat competere cæteris hominibus: &

& ità peculiaris Verbi, ut non congruat aliis Perſonis Divinis; sèd modi unionis excogitati à Neſtorianis non ſunt peculiares humanitatis aſſumptæ, néc Verbi: ergò non ſunt admittendi. Prob. min. quoàd 1. part.: unio *inhabitationis* convenit omnibus juſtis; nàm Paulus 1. ad Corinth. cap. 3. ait: *Neſcitis, quià templum Dei eſtis vos, & Spiritus Dei inhabitat in vobis.* Et 2. ad Chorint. 6.: *Vos eſtis templum Dei vivi, ſicùt dicit Deus; quoniàm inhabitabo in illis & ambulabo intèr eos*: ergò, juxtà Scripturam, hæc unio *inhabitationis* non eſt peculiaris humanitatis Chriſti.

7 Deindè: unio *operationis* etiàm competit omnibus juſtis. Tùm; quià Joan. 14. dicitur: *Qui credit in me, opera quę ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet*: ergò operari miracula non eſt proprium humanitatis Chriſti, ità ùt aliis non conveniat; & conſequentèr nèc unio *operationis*. Tandém: unio *affectus dignitatis, & excellentiæ*, etiam viris ſanctiſsimis tribuitur, juxtà illud Pſal. 80.: *Ego dixi: Dii eſtis vos, & Filii excelſi omnes.* Núnc ſic; séd hi modi unionis ſunt, qui ſunt excogitati à Neſtorio, ſuiſqué ſequacibus pro explicatione ſuæ ineffabilis unionis: ergò, cùm non ſint peculiares humanitatis Chriſti præ cæteris humanitatibus, non debent admitti út ſufficientes.

8 Probatur 1. min. quoàd 2. partem, ſcilicèt, quòd modi unionis excogitati à Neſtorianis non ſint proprii Verbi Divini: tales modi tribuuntur tribus divinis Perſonis: ergò non ſunt peculiares Verbi. Prob. antecedens: Joannis 14. dicitur: *Si quis diligit me, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & manſionem apùd eum faciemus.* Ubi unio per affectum, & gratiam expreſsè tribuitur Patri: & unio per inhabitationem tribus divinis Perſonis. Deindè: ſi illa inhabitatio ſufficeret ad rationem Incarnationis, Spiritus Sanctus fuiſſet incarnatus; cùm pleniſsimè fuerit in homine Chriſto, juxtà illud Lucæ 4.: *Jeſus plenus Spiritu Sancto, egreſſus eſt à Jordane*; séd hoc non concedit Neſtorius: ergò, quià unio per *inhabitationem* non ſufficit ad incarnationem. Tandèm: noſtra concluſio conſtantér traditur á S.S. P. P. Audiatur, pro omnibus, Auguſtinus in Enchirid. cap. 39.: *In unitatem Perſonæ acceſsit Verbo anima rationalis, & caro.*

9 Probatur tandèm Concluſio ratione: ex vi unionis

hypoſtaticæ, iſtę propoſitiones ſunt veriſimæ: *Deus eſt homo: Homo eſt Deus*; ſed, ùt aliqua prædicatio ſit vera, debet eſſe aliqua identitas ſubjecti, & prædicati intér ſe, vél in aliquo tertio: ergò præfatæ prædicationes ſunt veræ, vèl propter identitatem divinitatis cum humanitate, quod nequit dici; cùm in Chriſto ſint duæ Naturæ, ût conſtabit concluſione ſequenti: vel propter unitatem, ſeù identitatem Perſonę, in qua ſubſiſtunt, & conveniunt. Declarantur: hæ propoſitiones ſunt veræ: *Album eſt dulcę: dulce eſt album*: & hoc propter identitatem ſubjecti, in quo albedo, & dulcedo inexiſtunt: ergó à pari iſtę: *Deus eſt homo: homo eſt Deus*, ſunt verę, propter identitatem Perſonæ, habentis Deitatem, & humanitatem.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

10 Arguitur 1. pro Neſtorianis: Chriſti Domini humanitas dicitur templum Divinitatis, juxta illud Joannis 2.: *Solvite templum hoc:: hoc autèm dicebat de templo corporis ſui*: per quod, juxta communem ſenſum PP. humanitas Chriſti denotatur. Nùnc ſic; séd non eſt idem templum, & quod inhabitat illud: ergo in Chriſto aliud eſt ſuppoſitum Dei, & aliud ſuppoſitum hominis; & conſequentér ſunt duę Perſonæ. Confirmatur ex 1. ad Chorinth. 6.: *qui adhæret Deo, unus Spiritus eſt*: ergò, licèt Filius Dei, & Virginis ſint duæ Perſonę, poſſunt dici una ratione unionis affectus. Reſpondeo, diſtinguendo mai.: Humanitas Chriſti dicitur templum Dei *metaphoricè*, con. mai.: *propriè, & rigorosè*, negó mai., & conſeq. Non ſolùm Chriſtus, séd & quilibet juſtus dicitur templum Dei, ùt conſtat ex authoritatibus adductis ex Div. Paul. num. 6.

11 Deindè: èrſi humanitas Chriſti magis proprié, quàm juſtus, dicatur Templum Dei, hoc non eſt ratione Verbi, cui eſt hypoſtaticè unita, séd ratione Deitatis, quę habitat in ipſa Humanitate, non ſolúm per gratiam, & efficientiam, út dicebat Neſtorius; sèd habitat veré, & realitèr ſubſtantialitér, ùt explicat Auguſtinus Epiſt. 55.: *in ipſo habitat plenitudo Divinitatis corporalitèr, id eſt verè, & ſubſtantialitèr*. Ad confirmationem nego conſeq.; quià textus ille loquitur univerſalitér de omnibus juſtis adhæreñti-

tibus Deo per gratiam ; quiquè effectivè unus ſpiritus cum ipſo ; de Chriſto autém longè alia unio nobilior, & peculiaris debet aſſeri, ùt conſtat ex probationibus.

12 Replicabis: Patres dum explicant hoc myſterium non debent loqui metaphoricè ; aliàs non veré ipſum explicarent ; sèd dúm hoc myſterium explicant, denotant in Chriſto duplex ſuppoſitum : ergó. Prob. min. : Div. Baſilius Chriſtum vocat *hominem Deiferum*. Div. Aug., & Ambroſ. in hymno, *Te Deum*, dicunt: *tu ad liberandum ſuſcepturus hominem*, quod ſignificat ſuppoſitum humanum. Tandém: Div. Leo ait : *aliud coruſcat miraculis* (ſcilicèt Deus, ſeù Verbum) : *& aliud ſuccumbit miſerijs* (ſcilicèt homo) ; sèd ubi eſt aliud, & aliud denotatur diſtinctio ſuppoſitorum : ergò juxtá P. P. explicantes &c. Reſpondeo diſtinguendo mai. : P. P. dùm explicant hoc myſterium prçcisè *doctrinalitèr*, non loquuntur &c., conc. mai.: dùm explicant *concionativè*, nego mai.

13 Itaquè regula generalis eſt, pro intelligentia dictorum S. S. P. P., quomodò loquantur ; ſi énim dogmaticè, & doctrinalitèr aliquod myſterium explicant, aút errores ortos contrá ipſum impugnant ; túnc certè exactiſſimé loquuntur, nè in nobis erroribus locum præſtent. Tamèn in concionibus ergà tale myſterium liberiùs, & non adeò ſcrupulosè loqui ſolent, imitando morem, àc metaphoricas expreſsiones Scriptorum Canonicorum, eaſdem voces aliquandò uſurpando. Sic Div. Baſilius, Auguſt., & Ambroſ., loquebantur in citatis locis ; nám laudabant Deum, eò, quòd ſuſceperit hominem in utero Virginis pro homine liberando. Et quamvis authoritas Div. Leonis aliquam habeat difficultatem ; dico, quòd ly *aliud*, *& aliud* appellat ſolúm ſuprà *alietatem* naturæ, non ſuppoſiti. Audiatur S. Doctor, Sermone de Nativitate, cap. 2. : *Salva utriuſque ſubſtantiæ proprietate, & in unam coeunte perſonam, Deuſque verus, & homo verus in unitatem Domini temperatur*. Videatur Auguſtinus num. 8. huius.

14 Arguitur 2. : Unio hypoſtatica, ùt poſteá dicemus, non eſt facta in unitate Naturę : ergò nèc Perſonæ. Probatur conſeq. : Perſona Verbi eſt eadem realitér cum natura Divina : ergò ſi Chriſtus non eſt unus in natura, nequè

in Perſona. Reſpondeo negando utramque conſeq. ; quia ùt dicatur unitus ſecundùm Perſonam directè , & immediatè, ità , ùt perſonalitas ſola ſit ratio formalis terminandi unionem, & non ſecundùm Naturam , ſufficit diſtinctio formalis ex natura rei , reperta intèr Perſonam Verbi , & Naturam Divinam.

15 Arguitur 3. : tot ſunt Perſonæ in Chriſto quot generationes paſſivæ, & filiationes ; sèd in Chriſto ſunt duæ generationes paſſivæ , duæquè filiationes : ergó & duæ Perſonæ. Probatur mai. : generatio paſſiva eſt ſuppoſiti , ſicùt & activa : & filiatio in Deo conſtituit Divinam Perſonam: ergò. Reſpondeo , negando maiorem , & diſtinguo ant. : generatio paſſiva eſt ſuppoſiti , ùt *quod* , conc. ant. ; ùt *quo* , nego ant. , & conſeq. Néc tenet paritas de generatione Verbi , ad generationem humanam Chriſti. In prima ſolum ſuppoſitum producitur , ſeù Perſona : non verò Natura : è contrà in generatione Chriſti ſola humana Natura producitur, & Perſona Verbi ei communicatur. Deindè : idemmet ſuppoſitum ratione duplicis Naturæ poteſt terminare duplicem generationem ; cùm ſuppoſitum terminet ùt *quod* ; natura verò ùt *quo* , ſeù ut ratio formalis terminandi.

16 Arguitur 4. : Perſonalitas ex dictis reddit Naturam incommunicabilem ; ergò Verbum non unitur in Chriſto ſecundùm Perſonam , sèd potiùs ſecundùm Naturam. Confirmatur : Verbum aſſumpſit naturam humanam in individuo , ſeù atomam , ùt ait Damaſcenus lib. 3. *de fide* , cap. 11. : ergò & aſſumpſit eam cum propria Perſona. Reſpondeo diſtinguendo antec. ; perſonalitas reddit Naturam incommunicabilem alteri , ùt ſuppoſito , à quo perficiatur , & compleatur , conc. ant. ; alteri , quod perficiat , & compleat , nego ant. , & conſequentiam. Perſona ergó Verbi non communicatur humanitati , ùt ab illa compleatur , sèd potiùs , ùt illam ſuſtentet , & compleat: & ſic illam conſtituit incommunicabilem alteri ſuppoſito. Ad confirmationem conceſſo antec. nego conſeq. ; quia intentum Damaſceni erat , quod aſſumpſerit unam Naturam in ſingulari , & individuo , non verò omnes ſingulares.

17 Arguitur ultimò: Chriſtus , in quantum eſt homo, eſt aliquid : & etiàm , in quantum eſt Deus , eſt aliquid: er-

ergó ſecundùm quod homo eſt, eſt idem cum illo, quod eſt, ſecundúm quod Deus eſt, vél eſt aliud aliquid? Non poteſt eſſe idem aliquid; aliás Divinitate eſſet homo: ergò eſt aliud aliquid. Infero: ergó ſunt duo *aliquid* in Chriſto, ſcilicêt, illud aliquid, quod eſt, ſecundúm quod homo eſt: & illud *aliquid*, quod eſt, ſecundúm quod Deus eſt: ergò Chriſtus propriè poteſt dici abſolutè *duo*. Argumentum inſtatur in lacte, quod, in quantum album, aliquid eſt, & in quantum dulce aliquid eſt: ergô vèl eſt idem aliquid, ſecundùm quod album eſt, àc eſt, ſecundúm quod dulce éſt? Primum nequit dici; aliás, proút album, dulce eſſet: ſi ſecundúm: ergò de lacte abſolutè poteſt dici, quòd ſit *duo*, quod nemo dicit. Plena ſolutio huius argumenti pendet ex dictis diſp. 3. quęſt. 4. à num. 4., & ex dicendis quęſt. ultima huius. Núnc veró

18 Reſpondeo, conceſſo antec., diſtinguendo conſequens: ergô ſecundúm quod homo eſt, *ſpecificativé* ſumptum, eſt idem aliquid ſecundúm quod Deus eſt, conc. conſeq.: ſecundúm quod homo eſt, *reduplicativê* captum, nego conſeq. Hę particulæ *in quantum*, *ſecundùm quod*, juxta Doct. in 3. diſt. 6. quæſt. 2. poſſunt ſumi *reduplicativê*, & *ſpecificativê*. *Reduplicativê* ſumptę denotant, quód terminus, qui apponitur, eſt ratio, cúr prædicatum dicatur de ſubjecto: v. g. homo in quantum albus eſt diſgregativus viſus: homo in quantum albus eſt ſimilis alij albo. Sic ſumpta particula argumenti, falſa eſt conſeq.; quià non ſequitur: *Chriſtus eſt aliquid in quantum homo*, *& eſt aliquid in quantum Deus*: *ergó eſt idem aliquid in quantum Deus*, *vél aliud*? Sicût non ſequitur: *eſt animal*: *ergò eſt tale animal*. Committitur ènim fallacia conſequentis, arguendo ab inhærentia prædicati ſuperioris, ad inhærentiam prædicati inferioris, quæ non eſt bona argumentatio, ùt patet hoc exemplo: *homo eſt animal*, *vivens*, *ſenſibile*: *ergo ſecundùm quod animal*, *vivens*, *ſenſibile*, *eſt rationale*. Mala conſequentia.

19 Si autém hæ particulæ *in quantum*, *ſecundùm quod* accipiantur ſpecificativè in argumento, ità, ùt ſenſus ſit; quòd Chriſtus in quantum homo, id eſt, Chriſtus, qui eſt homo, & manens homo, ſit idem aliquid, vèl diverſum ab eo, ſecundúm quod Deus, ly *ſecundùm quod* ſumpto ſpecificativé; tùnc in hoc ſenſu con-

ce-

ceditur prima conſeq. , quóad primam partem ; nàm eſt omninò idem aliquid , quod eſt Deus , ſecundùm quod Deus, ly *ſecundúm quod* ſumpto ſpecificativé ; nàm idem eſt ſuppoſitum Chriſti , & etiám Dei, & hominis. Undè ſic negatur ſecundum antecedens , cum imbibita probatione ; quià procedit in ſenſu reduplicativo. Diſtinguo etiàm conſequens ultimum : ergò Chriſtus propriè poteſt dici abſolutè *duo maſculiné* , nego conſeq. ; *neutralitèr*, ſubdiſtinguo ; poteſt dici *duo in recto* , nego conſeq. : *in obliquo* , conc. conſeq. ; quià verè Chriſtus eſt habens duo , vél conſtat ex duobus.

20 Replicabis : juxtá Damaſcenum cap. 53., hæc eſt vera propoſitio : *Chriſtus non tantúm eſt Deus* : ergò eſt Deus, & aliquid aliud ; àc per conſequens verum eſt dicere: *eſt duo in recto.* Probatur conſeq. : ſi verum eſt dicere , quòd homo currat , & non tantúm currat , ſequitur, quôd aliquid aliud currat : ergò á pari , ſi Chriſtus non tantùm eſt Deus , ſequitur , quód ſit aliquid aliud in recto. Reſpondeo , negando primam conſeq. ; & conceſſo antec. probationis , nego conſequentiam , & paritatem. Diſparitas eſt ; quià dúm particula excluſiva additur ſubjecto, afficit ſuppoſitum : & ſic ſenſus in antecedenti eſt , quód homo currit , & aliud ſuppoſitum etiàm currit. Quandó verò particula excluſiva additur prædicato , afficit modum prædicandi , denotans , quòd nihil ſubjecto convenit prætér illud prædicatum , út ſi dicatur : *lac eſt tantúm album* : tùnc excluditur à lacte , alia quæcumque qualitas , & propoſitio eſt falſa ; cùm ipſi conveniat etiàm dulcedo.

21 Sic ſimilitér in præſenti cùm particula excluſiva ex parte prędicati Chriſti , nequit dici , quòd ſit tantûm Deus, nèc tantúm homo. Ex hoc verò non infertur , quód ſit *aliud*, quàm Deus , aùt *aliud* , quàm homo ; quià competit Chriſto aliud prędicatum , de quo non dicitur eſſentialitêr , & formalitèr , quôd ſit Deus , quod prædicatum reduplicativé ſumptum , nèc eſt *idem* , quod Deus, néc *aliud* ; licét ſit idem ſpecificativè. Undé quandô dicitur: *Chriſtum non eſſe tantùm Deum*: ſenſus eſt , quòd non ſolùm poſsit prædicari de ipſo , quòd ſit Deus ; sèd etiám , quòd ſit homo ; cúm habeat naturam humanam ; & quandò infertur: *ergó eſt aliud* : ſenſus eſt , quòd ſit aliud ſuppoſitum , diſtinctum ab illo ſuppoſito quod eſt Deus;

Deus; & hoc falſum eſt, quod patet in lacte, de quo verè dicitur, quod non eſt tantùm dulce; & tamèn non ſequitur: ergò *eſt aliud quàm dulce.*

22 Replicabis adhúc: quandò ſunt aliquæ differentiæ ſpecie diſtinctę, debent eſſe differentię numero diſtinctę: ſicút quandò ſunt differentiæ genere diſtinctæ, debent eſſe differentiæ ſpecie diſtinctę; sèd in Chriſto ſunt differentiæ quaſi ſpecie diſtinctæ, ſcilicèt, naturæ Divinæ, & humanæ: ergó & numero diſtinctæ: ergó ſunt aliqua duo numero diſtincta. Reſpondeo negando hanc ultimam conſequentiam; quià ût de Chriſto dicantur duo in recto neutralitèr, non ſufficit, quòd includat naturas numero, & ſpecie diſtinctas, sed ultrá requiritur, quôd utraque in abſtracto poſsit de ipſo enuntiari; quod licét verum ſit de natura Divina, proptér realem identitatem ipſius cum ſuppoſito Chriſti, non tamén eſt verum de natura humana, quæ realitér à tali ſuppoſito diſtinguitur. Qui plura, & pulchra circà ſolutionem huius argumenti deſideraverit, legat N. Doct. in 3. diſt. 6. quæſt. 2. §. *ad primum argumentum.*

23 Secunda concluſio: unio hypoſtatica non eſt facta in unitate naturæ; sèd in Chriſto Domino ſunt duæ naturæ integræ, inconfuſæ, & impermiſtæ. Eſt de fide in Concilio Epheſino, & Chalcedonenſi contrá Euthychem, & Dioſcorum. Probatur 1. ex Sac. Scriptura: Chriſtus Dominus dicitur verus Deus, veruſqué homo: æqualis Patri, minorquè Patre; mediator Dei, & hominum; sèd hæc omnia non poſſunt verè enuntiari de Chriſto, quin in ipſo ſint duæ naturæ, Divina, ſcilicét, & humana: ergò ſunt. Maior quòad primam partem patet pro divinitate ex illo Mathæi 3.: *hic eſt filius meus dilectus*: & 16.: *tu es Chriſtus Filius Dei vivi*: & Joannis 10.: *ego, & Pater unum ſumus*: ergò eſt verus Deus. Quod ſit verus homo, conſtat ex Joanne 8.: *quæritis me interficere hominem, qui vera locutus ſum vobis.* Et 9.: *ille homo, qui dicitur Chriſtus*: ergò Chriſtus eſt verus Deus, & homo.

24 Probatur eadem maior quòad 2. partem, ſcilicèt, quòd ſit æqualis Patri, & minor Patre. Primó ex Joann. cap. 10.: *quià Pater maior me eſt*: ſecundò ex Symbolo Divi Athanaſij: *perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne ſubſiſ-*

ſiſtens : æqualis Patri ſecundùm divinitatem ; minor Patre ſecundùm humanitatem : ergò Chriſtus dicitur æqualis Patri , & minor Patre. Tandèm probatur quòad ultimam partem , ſcilicèt , quòd ſit mediator Dei, & hominum , ex 1. ad Timotheum cap. 2. ℣. 5. : *unus enim Deus , unus , & mediator Dei, & hominum , homo Chriſtus Jeſus* : ergò &c. Confirmari hoc poteſt ex operationibus ipſiuſmet Chriſti ; in Chriſto enim fuerunt operationes adeò miræ, ùt non niſi à natura divina elici poterant , út ex ipſis conſtat ; séd aliàs Chriſtus Dominus fuit natus , comedit , jejunavit , laboravit , paſſus , & mortuus fuit ; quæ omnia ſolùm humanæ naturæ adaptari poſſunt : ergò quià veré , & proprié in Chriſto Domino fuerunt duæ naturę.

25 Probatur 2. concluſio , evertendo modos dicendi Eutychis , ſuorumquè ſequacium : ideò in Chriſto Domino non eſſent duæ naturæ integrę , inconfuſæ , & impermiſtæ ; quià per incarnationem reſultaret una tertia natura ex illis duabus ; séd hoc eſt abſoluté falſum , & erroneum : ergò quià in Chriſto Domino manſerunt pòſt incarnationem tales naturæ. Prob. min. : ſi in Incarnatione ex illis duabus naturis una tertia reſultaret , hoc fieret , vél per converſionem unius in aliam : vél per compoſitionem unius in utràque, ſicùt ex materia , & forma ſubſtantiali fit compoſitum : vèl deniquè per miſtionem , & confuſionem ambarum ; sèd nihil horum fieri potuit : ergò utràqué remanſit integra. Mai. continet modos dicendi Eutychis, ejuſquè ſociorum. Minor habet tres partes , & quòad omnes brevitèr probabitur:

26 Probatur quóad 1., ſcilicèt , quód non per converſionem unius in aliam. Talis converſio eſſet , vèl Naturæ Divinæ in humanam , vèl humanæ in Divinam ; séd neutrum dici poteſt : ergò. Prob. min. quòad divinam : Deitas eſt inconvertibilis , & inalterabilis, non ſolùm per ſui deſitionem, & tranſitum ad aliud, séd etiàm per receptionem alterius naturæ ; cùm ſit immutabilis , infinita , & ſimpliciſsima. Undé túnc omnia attributa Dei à Deo relegarentur , quod nefas eſt dicere : ergó nullo modo Natura Divina in humanam potuit converti ; sèd aliàs nèc humana in divinam ; quià eſt infinita diſtantia quòad eſſe intèr has naturas , & tùnc naturę humanæ convenirent attri-

tributa Dei inter quę, & æternitas, immenſitas &c., quod repugnat : ergò nullo modo dici poteſt, quòd ex duabus naturis Divina, & humana reſultavit una tertia per converſionem unius in aliam.

27 Probat. min. principalis quòad 2. partem, ſcilicèt, quòd non per *compoſitionem* : quandó aliquod totum fit per compoſitionem, neceſſariò fit ex partibus incompletis, & dicentibus ordinem ad invicém, út ſe uniant, & compleant ; sèd hoc repugnat naturæ divinæ, & humanę : ergó & quod fiant unum per compoſitionem. Probatur minor : omnis pars eſt imperfecta reſpectu totius ; sèd natura divina eſt ſimpliciſsima, & actus puriſsimus, omnes continens perfectiones : ergò non poteſt habere rationem partis componibilis cum alia ; & conſequentér unio illius cum natura humana non poteſt fieri per compoſitionem.

28 Probatur eadem minor principalis quóad ultimam part., ſcilicèt, non per *miſtionem* : ſi una tertia natura reſultaret ex divina, & humana per miſtionem, ſicùt ex elementis reſultat miſtum, Chriſtus nèc eſſet verus Deus, nèc verus homo, nec conſubſtantialis Patri, nèc Matri. Deindè : Deitati repugnat, ùt patiatur miſtionem ullius rei extraneæ, & ùt ipſa miſceatur cum alia ob rationem immutabilitatis, & ſimplicitatis : ergò repugnat, quod ex duabus naturis reſultet una tertia natura per miſtionem : ergó ûtraque natura eſt in Chriſto Domino impermiſta, & ſecundùm totam ſuam integritatem, & puritatem.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

29 Arguitur 1. pro Eutychianis. Joannis 1. dicitur *Verbum caro factum eſt* : & *Filius Dei homo factus eſt* ; sèd quod fit aliud non manet idem, quod antèa erat : ergò cùm natura Divina, & Filius Dei per unionem hypoſtaticam factus ſit caro, & homo, ibi non manet Natura Divina. Minor patet in nuptijs Canna, in quibus, quià aqua facta fuit vinum, non manſit aqua. Reſpondeo explicando mai. : Verbum caro factum eſt, & Filius Dei homo factus eſt *per converſionem ſubſtantialem unius in aliud*, nego mai. : *per ſimplicem unionem Verbi ad carnem, & humanitatem*, conc. mai. ; inverſis terminis diſtinguo min.,

& nego conſeq. Quòd hic ſit ſenſus huius textus patet ex ipſo Evangeliſta, qui poſtquàm dixit: *& Verbum caro factum eſt*, út denotaret divinitatem in Chriſto manſiſſe impermiſtam, ſubdit: *vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre.*

30 Undè ly *factum* non ſemper deſignat ſubſtantialem converſionem unius in aliud; aliàs Chriſtus, *qui nos redemit de maledicto legis*, *factus pro nobis maledictum*, maledictus eſſet; ſignificat enim ſolùm aliquando acceptionem, & aſſumptionem alicuius de novo; maximè dùm in ſubjecto non adeſt capacitas ad talem converſionem. Si verò in ſubjecto talis capacitas adſit, ùt in aqua, atenta potentia obedientiali ipſius reſpectu divinę Omnipotentiæ, ut fiat vinum, tùnc certè ly *factum* ſignificare valet converſionem unius in aliud.

31 Arguitur 2. ex S.S. P.P.: Div. Athanaſius in Symbolo ait: *ſicut anima rationalis, & caro, unus eſt homo, ità Deus, & homo unus eſt Chriſtus*; sèd anima, & caro conſtituunt unam integram naturam hominis: ergò Deus, & homo per unionem hypoſtaticam in unam naturam coaleſcunt. Confirmatur 1. ex Div. Irenæo lib. 3. cap. 21., & Cypriano lib. *de vanitate idolorum*, appellantibus incarnationem, *miſturam Dei & hominis*: ergò Natura humana, & Divina fit una per miſtionem. Confirmatur 2. ex Div. Cyrilo, qui in Epiſt. 1. ad Succeſſum ait: *verùm poſt unionem non dividimus naturas à ſe mutuò, neque in duos ſecamus filios illum, qui unus eſt, & individuus; sèd unum dicimus Filium, & quemadmodùm loquti ſunt P. P., unam Naturam Verbi incarnatam.* Deindè: Concilium Lateranenſe primum, conſult. 5. can. 5. ait: *ſi quis ſecundùm S. S. P. P. non confitetur propriè, & ſecundùm veritatem unam Naturam Verbi Dei incarnatam, anathema ſit*: ergò ex S. S. P. P. & Concilij in Chriſto non eſt, niſi unica natura, quæcumque hæc ſit.

32 Reſpondeo, explicando Athanaſium: ſicùt anima rationalis &c., ità Deus, & homo unus eſt Chriſtus, facta comparatione ad unitatem Perſonæ, conc.: facta comparatione ad unitatem Naturæ, nego, & conceſſa min., eiſdem terminis diſtinguo conſequens. Sanctus ergò Doctor facit comparationem ad unitatem Perſonæ, ùt ex ipſomet conſtat, qui út oſtendat veri-

ta-

tatem huius propoſitionis: *unus omninò non confuſione ſubſtantiæ, sèd unitate Perſonæ*; ſumit pro cauſali exemplum de anima rationali, & carne. Ac ſi diceret, ait Div. Auguſtinus, Epiſt. 3. ad Voluſ.: *ſicùt in unitate Perſonæ anima unitur corpori, ùt homo ſit; ità in unitate Perſonę Deus unitur homini, ùt Chriſtus ſit.* Hoc eodem modo ſe explicat S. Leo Epiſt. 11.. Deindè: S. Athan. affert hoc, út exemplum, & certé exemplum non eſſet, ſi ab eo peteretur omnimoda ſimilitudo intèr unionem animæ cum corpore, & unionem Naturæ Divinę cum humana.

33 Ad 1. comfirmationem diſtinguo antec.: appellant miſturam Dei, & hominis veram, & propriam, nego ant.: tantùm impropriam, conc. antec., & nego conſeq.. P. P. per nomen *miſturę* unicè intendunt deſignare intimam, & ſingularem unionem hypoſtaticam naturæ divinæ, cùm humana; quæ unio, licét non ſit eſſentialis, eſt tamèn immediatà, & interna, ità út maior intèr Deum, & creaturam non ſit poſsibilis; quià ex infrà dicendis eſt omnium maxima, & perfectiſsima.

34 Ad 2. confirmationem reſpondeo, Sanct. Cyrilum ibi per unam naturam intelligere unam *hypoſtaſim*, aùt ſubſiſtentiam; quià frequens erat apùd P. P. uſurpatio vocabuli *naturæ* pro hypoſtaſi, ùt dicitur in tractatu de Trinitate. Cyrilus ergò libentiùs utebatur voce *naturę incarnatæ*, ùt plùs diſtaret á Neſtorio; quià volebat duas eſſe naturas completas, & perſonatas. Hoc eodem ſenſu loquitur Concil. Lat., út ait Athanaſius Synaita, cap. 10.; & Juſtinus Imperator in profeſsione fidei, *contra tria capitula.*

35 Replicabis: Sanctus Cyrilus expreſsè dicit, *ex duabus naturis concurſionem eſſe factam in unitatem: pòſt unitionem verò, Naturas eaſdem à ſe mutuò non dividi; sèd unam eſſe naturam incarnatam*; sèd hæc verba negant diviſionem, diſtinctionem, & pluralitatem naturarum in Chriſto: ergò &c. Prob. min.: illis in verbis docet, quòd Chriſtus ità eſt unum, ùt non poſſint partes á ſe mutuò dividi; & quòd ità ſit una Natura, út non ſint duę in carne; sèd quod ità eſt unum, non poteſt habere duas naturas: ergó &c. Reſpondeo negando utramque minorem, quià ibi ſolùm negat pluralitatem Perſonarum, non verò naturarum; nàm quod

póſt unionem Chriſtus non ſit duplex, illa unitas cadit in Perſonam: & quod ſit unica natura incarnata cadit in Deitatem, quæ ſola aſſumpſit carnem.

36 Arguitur 3.: ſi in Chriſto eſſent duæ Naturę eſſet duo Chriſti; sèd hoc eſt falſum: ergò &c. Prob. mai.: ideò in Trinitate Perſonarum non ſunt tres Dij, quiá tantùm eſt una Natura: ergó ſi in Chriſto ſunt duæ naturę, ſunt duo Chriſti; nàm unitas, vèl pluralitas naturę facit unitatem, vèl pluralitatem concretorum. Reſpondeo negando maiorem, & conſeq. probationis; quià ad dualitatem Chriſti non ſufficit dualitas Naturarum, séd etiàm requiritur ſuppoſitorum; cùm concretum illud ſubſtantiale Chriſtus ſignificet directè Perſonam, & ſic non plurificatur; quiá unica eſt Perſona. Concretum verò iſtud *Deus* primò cadit in naturam: & ſic non plurificatur, niſi Deitates plurificentur.

37 Dices: ubi ſunt plures naturę integrę, & perfectæ, ibi ſunt plura ſuppoſita: ergò vèl hęc concedenda ſunt cum Neſtorio in Chriſto: vèl negandę ſunt duæ Naturę in ipſo. Confirmatur: ſi eſſent in Chriſto duæ Naturæ integræ, & perfectæ cum ſuis eſſentijs, & exiſtentijs, Chriſtus eſſet ens per accidens; séd hoc eſt abſurdum: ergò &c. Reſpondeo diſtinguendo antec.: ubi ſunt plures naturę eſſentialitér ſeorſim ſubſiſtentes, ibi &c. conc. antec.: plures naturæ ſubſiſtentes indiviſim in eodem ſuppoſito, nego antec. & conſeq. Unio ergò hypoſtatica duas naturas ſpecificas, & ſingulares conjungit in unitatem Perſonę; itá út tàm verè Chriſtus ſit unica realiter Perſona, quàm duæ reales naturæ in illa Perſona ſubſiſtentes, & unitæ. Ad confirmationem nego ſequelam; quiá licét in Chriſto utraque Natura in eſſe *eſſentię*, & *exiſtentiæ* completa ſit, tamén Natura humana advenit, út incompleta in eſſe *ſubſiſtentiæ*, &, út ſic compleatur, unitur; & conſequentèr ratione unius unionis dicitur Chriſtus unum ens per ſe; quiá in ratione entis perfecti conſtituitur per ſe per ſubſiſtentiam divinam.

38 Arguitur ultimò: unio incarnationis eſt omnium maxima: ergò eſt maior unione animæ, & corporis: ergò ſicùt ex hac fit una Natura, multò meliús ex divina, & humana. Reſpondeo diſtinguendo antec.: unio Incarnationis eſt omnium maxima ob perfectio-

tionem unitorum, concedo antec.: ob privationem diſtinctionis intér unita, nego antec.: & diſtincta ſub his terminis prima conſeq., nego ſecundam. Solutio eſt N. Doctoris, de quaquè quęſt. 5. huius.

QUÆST. III.

AN CHRISTUS VERÈ, ET propriè ſit Perſona compoſita?

1 SUppoſitis varijs generibus, & ſpeciebus compoſitionis, explicatis in Phyſica, proút ad præſens attinet, noto, quòd compoſitio duplicitèr poteſt ſumi. Primò *propriè*, *& ſtrictè*, quæquè eſt unio diſtinctorum ſe habentium ùt partes, quarum una ſe habet ùt *per ſe actus*, & altera, út *per ſe potentia*: vèl una per modum actus, & perfectivi, & altera per modum potentię, & perfectibilis: vèl demúm utraque ſe habet per modum potentię, & uniuntur termino communi. Secundò, pro compoſitione *vera*, non tamèn *propria*, *nèc ſtricta*: & eſt unio diſtinctorum in aliquod unum concurrentium, quomodocumquè ſeſe habeant. Hoc notato, cúm Chriſtus Dominus ſit quoddam compoſitum ratione humanitatis, & Perſonæ Verbi, quæ illam ſuſtentat, & quæ illi unitur unitate Perſonæ, quæritur: àn in Chriſto Domino, ſeú ejus perſona admittenda ſit aliqua vera compoſitio? ultrá: àn talis compoſitio, ſit propria, & ſtricta? Difficultas per duplicem concluſionem reſolvetur. Sit

2 Prima concluſio: Perſona Chriſti Domini veré poteſt dici compoſita. Eſt communis. Probatur 1. authoritate 5. Synodi General. Can. 4., ubi dicit *anathema* negantibus unionem Verbi cum humana Natura ſecundùm compoſitionem, hoc eſt, ſecundúm *hypoſtaſim*; & infrá dicitur Chriſtus compoſitus ex duabus Naturis. Id & probat 6. Synod. act. 4. in Epiſt. Agatonis, & act. 11. in Epiſt. Sophronij, à toto Concilio approbata, ubi Chriſtus vocatur Perſona compoſita, ex inconfuſo conſtans temperamento.

3 Probatur 2. authoritatibus plurimorum Sanctorum P. P.: Div. Dyoniſius de divinis nominibus ſic ait: *Deus cum noſtris rebus verò ex toto communicaſſe in una ſuarum hypoſtaſeon, revocantem ad ſeſe attollentemquè extremitatem humanam, ex qua inexplicabi-*

M

li modo ſimplex Jeſus compoſitus eſt. S. Ephremius, Patriarcha Antiochenus apud Photium ait: *in unitione, quæ eſt ſecundùm hypoſtaſim, meritò compoſitionem pia fides profitetur: at compoſitam eſſentiam, nemo dicere auſus eſt, propter Apollinarem. Porrò Dominus oſtendit, hypoſtaſim ſuam eſſe compoſitam, non autem Naturam.* Damaſc. lib. 3. de fide cap. 5.: *in Domino Jeſu Chriſto, duas Naturas cognoſcimus, unam autem hypoſtaſim ex utraque compoſitam.* Sic frequenter loquuntur alij P. P.. Infero nunc: ergo cùm per nomen *hypoſtaſis* non natura, sed Perſona ſignificetur, ſequitur juxtà S. S. P. P. *Perſonam* Chriſti verè compoſitam eſſe.

4 Probatur 3. concluſio ratione: fides, & P. P. docent, Chriſtum in una Perſona ex duabus naturis realiter diſtinctis componi, cum quibus facit unum compoſitum ſubſtantiale: ergo non eſt quid ſimplex, sed compoſitum. Probatur conſeq.: ſimplicitas opponitur pluralitati rerum inter ſe unitarum: ergo ubi reperitur pluralitas, ibi reperitur compoſitio. Nunc ſic; sed Perſona Verbi, & humanitas ſunt duæ res, duo entia realiter diſtincta, & illa Perſona verè conjungitur humanitati, non per ſimplicem aſsiſtentiam, vel affectum, ut dicebat Neſtorius, sed per veram, & phyſicam unionem, ut manet probatum: ergo ex illa Perſona Divina, & humanitate Chriſti, exurgit verum, etſi mirabile, compoſitum ex duobus entibus realiter diſtinctis.

5 Nota hic, quòd hæc vera compoſitio poteſt dici prima *ex Verbo, & humanitate*, ſeu ex Perſona Verbi, & humanitate; quia id, quod unionem iſtam admirabilem terminat, eſt extremum compoſitionis ex natura terminata, & extremo terminante; & cùm Verbum, ſeu Verbi Perſonalitas terminet unionem iſtam, hinc ingreditur compoſitionem. Deindè: Perſona creata componitur ex Perſonalitate propria, & natura; cum ergò Perſonalitas Verbi agat vices Perſonalitatis creatæ Chriſtus componitur ex illa, & humanitate. Secundò dici poteſt compoſita ex divina, & humana natura; quia cùm Perſonam Chriſti eſſe compoſitam, præcipuè nobis conſtet ex Concilijs, & P. P., hoc aſſerunt, ut deſtruant errorem Eutychis dicentis, in Chriſto non eſſe duas naturas; quod meliùs impugnari nequit, quàm dicendo: Perſonam Chriſti eſſe compoſi

tam-

tam ex duabus naturis. Argumenta contrà hanc concluſionem ſolvuntur ex dictis quæſt. antec.

6 Secunda concluſio: Perſona Chriſti non eſt compoſita compoſitione propriè, & ſtrictè dicta. Eſt omnium Scotiſtarum contrà communem Thomiſtarum. Prob. 1. ex Div. Thom. in 3. diſt. 6. quæſt. 2. art. 3. ad 5., ubi ait: *dicendum, quód Damaſcen. dicit, compoſitam hypoſtaſim, in quantúm eſt ibi aliquid de ratione compoſitionis; non quód ſit ſimplicitér compoſita, quantùm ad perfectam compoſitionis rationem.* Hęc Angelicus Præceptor in quibus, ût vides, utrámque noſtram concluſionem ex Damaſceno firmat, admittendo in Chriſto Domino aliquam compoſitionem, non verò perfectam, & conſequentér néc ſtrictam, & rigoroſam.

7 Probatur 2. concluſio ratione: compoſitio propria, & ſtricta, ſecundùm Phyſicos, debet eſſe ex actu, & potentia, ſeù ex perfectivo, & perfectibili; ſicút ex materia & forma; vèl ex duobus potentialibus, ût quæ fit ex elementis integrantibus unum totale miſtum; ſèd Chriſtus Dominus nullo ex his modis componitur, ergò non eſt compoſitus compoſitione propria, & ſtricta. Probatur min. quòad utramque partem: Perſona Verbi non poteſt propriè habere rationem actus; cúm hoc ſit proprium formæ creatæ: nèc potentiæ; quiâ eſſe potentiale Deo repugnat: nequé eſt incompleta reſpectu humanitatis Chriſti: nequè ex illis fit unum tertium; quiâ ambo manent integra, & inconfuſa: ergò Chriſtus nullo ex his modis componitur.

8 Probatur 3. concluſio: propria, & ſtricta compoſitio fit ex rebus unitis út compartibus; ſèd Verbum divinum, & humanitas non uniuntur ût compartes; hoc enim repugnat Verbo Divino; cúm omnis pars ſit ens inconpletum: ergò ex Verbo Divino, & humanitate non reſultat compoſitio propria, & ſtricta. Probat. mai.: inintelligibilis eſt compoſitio propria, & ſtricta ſinè partibus, út talibus, unitis: ergò &c. Prob. ant.: omnis compoſitio propria, & ſtricta vèl eſt metaphyſica, út ex animalitate, & rationalitate, vél phyſica ſubſtantialis, ût ex materia, & forma; aùt accidentalis, ût ex ſubjecto, & accidenti; vèl integralis; vèl per aggregationem; séd omnis talis compoſitio inintelligibilis eſt ſinè partibus: ergò &c.

Reſ

9 Reſpondent Thomiſtę, hoc verum eſſe de omni compoſitione naturali, non verò de compoſitione mirabili, & ſupernaturali Chriſti Domini; ad hanc enim ſufficit unio diſtinctorum; ad primam verò requiritur, ùt reſultet unum per ſe, quòd ambo extrema ſint incompleta; ùt verò in ſupernaturali reſultet unum per ſe ſufficit, quòd unum extremum ſit incompletum, & quòd extremum completum ſuppleat vices alicuius, quod erat naturaliter complendum. Quod totum, inquiunt Thomiſtæ, evenit in præſenti; quià natura humana ſupponitur incompleta ſinè ſubſiſtentia propria: & Verbum, quod eſt completum, ſupplet vices ſubſiſtentiæ creatę, per quam humanitas erat complenda, & ad quam naturaliter inclinabatur.

10 Contrà: quod Perſona Chriſti ſit compoſita compoſitione admirabili, & ſupernaturali, impedit, juxtà Thomiſtas, quòd ſit compoſita per unionem plurium ſe habentium ùt partes: ergò impedit, quòd ſit compoſita propria, & ſtricta compoſitione. Prob. conſeq.: non poſſumus aſſerere propriam, & ſtrictam compoſitionem in Perſona Chriſti, niſi illam colligamus ex compoſitione rerum naturalium; ſéd omnis compoſitio propria, & ſtricta rerum naturalium eſt unio diſtinctorum ſe habentium, ut partes: ergò vèl talis eſt compoſitio Chriſti, quod nequit dici: vél ſi non eſt talis, jàm deficiet à ratione formali compoſitionis proprię, & ſtrictæ. Ad minùs ſequitur, quòd Thomiſtæ non loquuntur conformitèr ad id, ad quod hoc nomen *compoſitio* ſumptum propriè, & rigoroſè impoſitum eſt à D. D.. Mihi videtur, quod in hac re eſt magna contentio de nomine.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

11 Arguitur 1. authoritatibus adductis pro probatione primæ partis huius, in quibus Concilia, & P. P. abſolutè dicunt, perſonam Chriſti eſſe compoſitam; sèd id, quod Concilia, & P. P. perſæpé aſſerunt abſoluté, & ſinè addito, cum proprietate eſt accipiendum: ergò, cùm abſolutè, & ſinè addito dicant, Perſonam Chriſti eſſe compoſitam, debent intelligi de compoſitione propria, & ſtricta. Min. patet ex Concil. Lat. ſub Martino I. Conſult. 5. Can. 17., in quo præcipit, quòd definita in illis primis Concilijs debeat intelligi proprié, & ſecundùm

veritatem. Pro ſolutione nota doctrinam generalem, quam tradit N. Doct. in 2. diſt. 33. quęſt. unica §. *ad primum*, ſcilicèt, quòd P. P. & Concil. in confutandis hęreticis per extrema oppoſita opinantibus, frequentèr ſunt exceſsivè loquti; quià via deveniendi ad medium eſt declinare ad aliud extremum, ùt Auguſtinus diſputans contra Arrium videbatur declinare ad Sabellúm; & è contra.

12 Hoc ergò ſuppoſito, in propoſito noſtro erat error Neſtorij, negantis in Chriſto veram, & ſubſtantialem unionem naturæ humanæ cum Verbo. Ex alia parte erat error Eutychis, aſſerentis, Chriſtum ità eſſe compoſitum, út ex natura Divina, & humana una tertia reſultaret; quæ omnia ſatis conſtant ex quæſt. antec. Undé, cùm Concil., & P. P. errorem Neſtorij confutabant, ad extremum Eutychis aliquomodò declinabant, appellando Chriſtum abſolutè *compoſitum*, út hoc nomine explicarent conſubſtantialitatem huius verę unionis; non verò volebant, Chriſtum eſſe compoſitum propria, & rigoroſa compoſitione. Dùm contra Eutychem agebant, totis viribus nitebantur P. P. & Concilia avertere a Chriſto Domino compoſitionem, nè admittere viderentur reſultantiam tertiæ entitatis ex natura humana, & Divina. Undé ex hoc patet ad minorem argumenti, ſcilicét, quòd id, quod Concilia, & P. P. abſolutè, & ſine addito dicunt, venit intelligendum juxtà intentum Conciliorum, & P. P.; non verò ultrà intentum ipſorum.

13 Nèc probatio minoris ex Lateran. de proprietate, & veritate verborum primorum Conciliorum eſt contrà nos; quià non debent referri ad modum compoſitionis, sèd tantùm ad veritatem unionis; ità, ùt in Chriſto non ſolùm metaphoricè, ùt ajebat Neſtorius, sèd verè, & proprie Natura humana, & Perſona Divina unitæ ſint; adeó, ùt ſint verè unum per ſe ſubſiſtens; ſivé hoc fiat per propriam, & rigoroſam compoſitionem; ſivé per ſupernaturalem, & ineffabilem, de quo pro tùnc non curabant. Undé nunquàm P. P., & Concilia dixerunt, Chriſtum eſſe proprié, & rigorosè compoſitum, séd ſolúm eſſe compoſitum, quod & nos ultró fatemur.

14 Arguitur 2.: propria, & rigoroſa compoſitio, eſt propria, & rigoroſa diſtinctorum unio; sèd unio hy-

poſtatica veré, & propriè unit diſtincta : ergò &c. Confirmatur 1.: omnis unitas per ſe, aùt eſt per ſimplicitatem, aùt per compoſitionem ; sèd Chriſtus eſt per ſe unum, & non per ſimplicitatem ; quià in Chriſto ſunt plura realitèr conſtituentia, & diſtincta : ergò eſt unus per veram, & propriam compoſitionem. Confirmatur 2.: illud eſt compoſitum, quod, cùm unum ſit, ex multis conſtat ; sèd Chriſtus eſt unus, & conſtat ex multis : ergò eſt veré, & propriè compoſitus.

15 Reſpondeo diſtinguendo mai. : propria, & rigoroſa compoſitio eſt propria, & rigoroſa unio diſtinctorum, ſe habentium per modum actus, & potentiæ, concedo mai. : eſt propria, & rigoroſa unio diſtinctorum *quomodocumquè*, nego mai. : inverſis terminis diſtinguo min., & nego conſeq. Non enim ſufficit unio vera, & propria realitèr diſtinctorum ad propriam, & rigoroſam compoſitionem; aliàs, cùm tres divinæ Perſonæ veré, & propriè uniantur in Divina Eſſentia ratione identitatis realis infinitæ, & propriè realitèr intèr ſe diſtinguantur, facerent propriam, & rigoroſam compoſitionem, quod nullus dicit. Requiritur ergò ultrà, quod extrema diſtincta uniantur invicém, ùt actus, & potentia, ùt perfectivum, & perfectibile : quomodò non uniuntur Verbum Divinum, & Natura humana.

16 Ad 1. confirmationem diſtinguo maiorem : omnis unitas per ſe, aùt eſt per ſimplicitatem, aùt per compoſitionem *latam*, vél *ſtrictam*, conc. mai. : *ſtrictam* præcite, nego mai., & conceſſa min., nego conſeq. Compoſitio ergò ineffabilis Chriſti Domini eſt vera compoſitio, proùt ſignificat Chriſtum eſſe quid conſtans ex Perſona Verbi, & Humanitate, ſicùt homo conſtat ex corpore, & anima, licét non eodem modo : & hoc ſufficit, ùt dicatur per ſe unum, non per ſimplicitatem, sèd per veram, & ineffabilem compoſitionem ; non tamèn rigoroſam, niſi contentio fiat de nomine. Ad ſecundam confirmationem diſtinguo mai. : illud eſt compoſitum *ſtrictè*, quod, cùm unum ſit, fit ex multis ſe habentibus per modum actus, & potentiæ, conc. mai. : non ſic ſe habentibus, nego mai. ; & inverſis terminis diſtincta min., nego conſeq.

Pro

17 Pro complemento quæſtionis nota, quòd, cùm dicimus Chriſtum Dominum eſſe compoſitum, & aliquid unum diſtinctum à Verbo, & humanitate, hoc non eſt intelligendum de diſtinctione adæquata, quam admittimus Scotiſtæ in Phyſica intèr totum ſubſtantiale, & ejus partes ſimúl ſumptas, & unitas; séd eſt intelligendum de diſtinctione inadæquata, ùt diſtinguitur includens, & incluſum, v. g. homo, & rationale. Ratio eſt; quiá materia, & forma ſunt veræ cauſæ phyſicæ compoſiti ſubſtantialis, quod cauſatur, & à ſuis partibus dependet. At Verbum Divinum, & Humanitas non ſunt veræ cauſæ phyſicæ aliquod tertium cauſantes; cùm nihil divinum cauſari poſſit, aùt à ſe ipſo dependere. Dicuntur ergó plura ſubſtantialitèr unita, conſtituentia aliquod tertium, quod tantúm inadæquatè eſt diſtinctum ab illis, non collectivé ſumptis, séd diſtributivè captis; quodquè ſufficit, ùt Chriſtus dicatur terminus totalis actionis unitivæ, & quid unum veré compoſitum, èt ſi non ſtrictè.

*** *** ***

QUÆST. IV.

QUID SIT TERMINUS formalis ad quem actionis unitivæ?

1 NOto 1.; quòd terminus alicujus actionis productivæ eſt duplex: unus totalis, & adæquatus, qui vocatur terminus *qui*: & nihil aliud eſt, quam ipſa res tota, quæ per actionem fit: ùt homo genitus in generatione humana: & album in dealbatione. Secundus eſt terminus formalis, ſeù *quo* appellatus: & eſt forma illa, qua mediante, terminus ad *quem totalis*, & *qui* completur, & perficitur: ſeú eſt ratio illa, quę primò, & immediatè producitur, & ad cuius poſitionem terminus *totalis*, & *qui* reſultat. Sic in dealbatione albedo producta eſt ratio formalis, *qua* fit album; & in generatione humana eſt ipſa forma ſubſtantialis, *qua* compoſitum habet eſſe.

2 De termino totali aſſumptionis humanitatis ad Verbum fermé non eſt difficultas inter A. A.; nám conveniunt, talem terminum eſſe Chriſtum, ſeù Perſonam compoſitam ex natura Divina, & humana, ſcilicèt, *Deus homo.*

Ratio; quià Chriſtus, quatenus Deus homo ſubſiſtens in unitate Perſonæ, eſt compoſitum reſultans ex actione unitiva divinitatis cúm humanitate: egó eſt terminus totalis ad *quem* actionis unitivæ. Undè Chriſtus, quatenús tale compoſitum eſt, poteſt dici, quod cœpit eſſe in tempore juxtá illud Joann.: *Verbum caro factum eſt*: & illud Symboli: *natus ex Maria Virgine, & homo factus*. Quamvis certum ſit, quod ipſum *Verbum*, Perſonaqué Verbi ab æterno extiterit; ſola ergó natura humana, unio ipſius cùm Perſona Verbi, ipſumqué compoſitum, quá compoſitum *Chriſtus* cœperunt eſſe in tempore.

3 Difficultas ergò in præſenti eſt de termino formali *ad quem* Incarnationis, ſeù actionis unitivę. Pro cujus intelligentia noto 2.: Incarnationem, ſeù actionem unitivam Naturæ Divinæ cúm humana in unitate Perſonæ, etſi ſit una ſimplex, & indiviſa actio communis Trinitati, tamèn ſecundùm diverſas habitudines ſui ad diverſa, poteſt dici multiplex. Si conſideretur per reſpectum ad principium, per quod fit, dicitur *unitio*. Si per reſpectum ad Naturam Divinam, quæ naturę humanæ ſociatur, dicitur *communicatio*, ſeù *transfuſio*, quà Divinitas intimiori modo illabitur naturæ aſſumptæ, quàm cæteris entibus per immenſitatem. Si tandèm conſideretur per reſpectum ad naturam humanam, dicitur *Incarnatio*, ſeú *humanatio*, quà Deus humanitatem arctiſsimo vinculo ejuſdem Perſonæ in perpetuum conſortium ſuæ Divinitatis copulavit. His notatis, difficultatem breviter per varias concluſiones explicabo. Sit ergò.

PRIMA CONCLUSIO.

4 Unio hypoſtatica conſiderata, ùt communicatio ſubſiſtentiæ divinæ, habet pro termino formali ad *quem* Perſonalitatem Verbi. Eſt communis, & probatur: terminus formalis ad *quem* Incarnationis, proùt eſt communicatio, eſt id, quod communicatur; sèd ſuppoſitum Verbi Divini eſt id, quod formalitér communicatur Naturæ humanæ: ergó Perſonalitas Verbi eſt terminus formalis ad *quem* unionis hypoſtaticæ, proùt hæc communicatio eſt. Hæc concluſio expreſsé conſtat ex diſp. 3. huius quæſt. 1.

SECUNDA CONCLUSIO.

5 Terminus formalis ad *quem* unionis hypoſtaticæ, pro-

proùt *humanatio*, ſeù *incarnatio* eſt, eſt humanitas; eſt etiàm communis, & probatur: terminus formalis incarnationis activæ, proút unio eſt humanatio, eſt id, quod in termino totali habet rationem quaſi formę; sèd in Chriſto Domino, id, à quo habet formalitèr, quod ſit homo, eſt humanitas carens propria ſubſiſtentia, & habens divinam, in qua ſubſiſtit: ergó. Min. conſtat; nám ab humanitate, ùt ſubſiſtente per Verbi ſubſiſtentiam ſibi unitam, habet Chriſtus, quod ſit verè homo formalitèr, ſicút à Deitate Deus.

6 Dices: non minùs repugnat humanitati eſſe formam reſpectu Verbi, ac Verbum eſſe formam humanitatis; sèd hoc repugnat Verbo ratione ſuę ſimplicitatis, & infinitatis: ergò & illud repugnat humanitati. Mai. conſtat; quià cùm conceptus materiæ dicat imperfectionem, repugnat Verbo habere rationem materiæ, & ſubjecti reſpectu humanitatis, ùt formæ. Reſpondeo conceſſa mai., diſtinguendo min.; séd hoc repugnat Verbo per modum partis componentis, conc. min.: per modùm ſuppoſiti, & ſuſtentantis, nego min., & conſeq. Nàm, cùm per Incarnationem dicitur, quod Verbum fit homo, ſignificatur tantúm, quod terminat ad ſe, & aſſumit humanitatem, quam ſuſtentat per modúm ſuppoſiti: & à qua, út à tota forma, eſt, & conſtituitur formalitèr homo.

TERTIA CONCLUSIO:

7 Terminus formalis ad *quem* unionis hypoſtaticæ, proùt eſt unitio, ſeù unio activè ſumpta eſt unio hypoſtatica. Concluſio hęc conſtat ex dictis. Prob. brevitèr: id eſt terminus formalis actionis productivæ, ùt talis, quod producitur per ipſam actionem; sèd quod producitur per unionem, eſt ipſa unio; ut quæſt. 1. probatum eſt: ergò terminus formalis &c. Dices 1.: terminus formalis actionis generativę non eſt id, quod primò, & immediatè producitur ex vi talis actionis: ergò non tenet probatio. Prob. antec.: Anima rationalis eſt terminus formalis generationis hominis, & non producitur per illam; natura Divina eſt terminus formalis generationis Verbi, & per ipſam non eſt producta: ergó à pari terminus formalis actionis unitivæ non eſt quod per ipſam primò producitur. Pro ſolutione replicæ

8 Notate 1.: quod ge-

generatio, ſeù produtio ſubſtantialis compoſiti poteſt ſumi, vél pro actione eductiva : & ſic ejus terminus formalis, & *quo* eſt relatio paſsiva formæ eductæ, & terminus *qui* ipſa forma ; vèl poteſt ſumi pro unitione materiæ, & formę ad hoc út fiat compoſitum ; & ſic ejus terminus *quo* eſt unio realis materiæ, & formæ ; & terminus *qui* materia, & forma unitæ ; vèl tandèm poteſt ſumi pro productione compoſiti : & in hoc ſenſu terminus formalis, & *quo* eſt ipſa forma ſubſtantialis unita dans eſſe formale compoſito : & terminus *qui* eſt ipſum compoſitum productum. Sic in præſenti terminus formalis Incarnationis, proùt eſt communicatio Perſonæ Divinæ eſt Perſonalitas Verbi, & terminus *qui* ipſa Perſona. Terminus formalis Incarnationis proùt eſt *humanatio* eſt ipſa humanitas : terminus *qui* eſt homo unitus Verbo. Demùm terminus formalis Incarnationis proùt eſt unitio, eſt unio ; & terminus *qui* Chriſtus, ſeu *Deus homo*.

9 Notate 2. : quod licèt terminus formalis, & *quo* actionis generativæ, proùt eſt productio compoſiti, ſit regularitér quod primò producitur ex vi talis actionis ; tamèn non ſempèr requiritur, quod per talem actionem producatur ; séd ſufficit, quòd generans influat in partem ſubjectivam talis termini, ſeù formę in illo inſtanti, in quo forma producta unitur materię. Patet in generatione hominis; nàm anima rationalis eſt terminus formalis *quo* generationis : etſi â ſolo Deo creetur; quiá in illo inſtanti, in quo Deus animam creat, & corpori unit, datur influxus generantis in generationem corporis : & ſic dicitur, verè generans hominem. At ad generationem, ut actio unitiva eſt, ſempér requiritur, quod ejus terminus formalis per ipſam fiat; nàm cùm ſit actio verè productiva, debet habere terminum productum ; qualis ex dictis quæſt. 1. non poteſt eſſe alius, quàm unio. Per quód patet diſparitas replicę.

10 Dices 2. : illud habet rationem termini formalis actionis Incarnativæ, quod habet rationem formæ perfectivæ ; séd hoc eſt Verbum Divinum ; cùm perficiat humanitatem : ergò hoc, & non unio, eſt talis terminus. Reſpondeo, diſtinguendo maj.: illud habet rationem termini formalis actionis incarnativę, proùt eſt communicatio, ſeu per-

perſonatio, quod habet &c., conc. m. i.: illud habet rationem termini formalis actionis incarnativę, prout hęc eſt unitio, & humanatio, quod habet &c., nego mai., & omiſſa minori, nego conſeq. in ſenſu diſtinctionis. Solutio ſatis conſtat ex dictis maximé in 2. notabili num. 3.

QUÆST. V.

AN UNIO HYPOSTATICA ſit immediata: & omnium maxima?

1 DUO ſub hoc titulo quæruntur. Pro reſolutione primi noto; quòd tùnc unio dicitur *immediata*, quandò aliqua invicem ſociantur ſinè ullo medio prævio diſpoſitivo; contrarium evenit regulariter in naturalibus. In ligno v. g. exigitur ſiccitas, vèl calor, ad hoc ùt diſponatur ad introductionem formæ ignis, & unionem iſtius cum materia: ſimiliter calor nativus in corpore humano eſt medium neceſſarium ad unionem, & conſervationem animæ cum corpore. Undè quod quærimus eſt: utrùm ſicùt ad unionem formæ ſubſtantialis cum materia, ejuſquè conſervationem, requiruntur aliquę qualitates naturales diſpoſitivę, & conſervativæ; ſic ſimiliter, ùt humanitas uniatur Verbo Divino ſit neceſſaria aliqua diſpoſitio gratię, ſanctitatis, vèl alterius doni ſupernaturalis? an verò fuerit immediatè unita abſquè omni diſpoſitione gratiæ, vel alterius qualitatis ſupernaturalis phyſicę aùt moralis?

2 Dico: eſtò potuerit præcedere in natura humana Chriſti aliqua diſpoſitio phyſica, & prævia ad receptionem unionis cum Verbo Divino; tamèn de facto nulla præceſſit. Eſt expreſſa Doctoris quoàd utramque part. in 3. diſt. 2. Quæſt. 2. Probatur prima pars ratione: Deus potuit creare animam Chriſti cum gratia ſanctificante, & eam ſic infundere corpori; sèd túnc gratia præcederet in humanitate anté unionem ejus cùm Verbo: ergò potuit præcedere &c.; Min. conſtat; quiá priùs naturá eſt creatio animæ, quàm unio ejus cùm corpore, & etiám, quàm unio humanitatis cùm Verbo. Probatur mai.: in generali. Reſurrectione animæ Beatórum habebunt gratiam ſanctificantem antè unionem earum cùm corporibus, & antequàm ſuppoſitentur a ſuis ſuppoſitis; ergó non fuit repug-

pugnans, quod anima Chriſti priùs habuerit gratiam, quàm fuerit corpori unita, & ſuppoſito Verbi.

3 Dices: omnis diſpoſitio phyſica debet eſſe ejuſdem ordinis cùm forma, ad quam diſponit, ità út ipſam atrahat ex quadam neceſsitate; séd nihil potuit neceſsitare Deum ad unionem hypoſtaticam: ergò nèc potuit eſſe diſpoſitio ſaltém phyſica ad ipſam. Reſpondeo, negando maiorem, quæ abſolutè falſa eſt in his, quæ dependent á cauſis liberis; & etiam in diſpoſitionibus, quæ non ſunt ultimæ; etſi de ultimis diſpoſitionibus aliquomodò concedi valeat. Deindè maximè falſa eſt maior de diſpoſitionibus moralibus, de quibus procedit concluſio: & quæ ex quadam decentia, & congruentia potuerunt præcedere in anima, út moverent Deum ad concedendam hanc dignitatem humanitati Chriſti.

4 Probatur 2. pars concluſionis: Humanitas Chriſti fuit Verbo unita eo inſtanti, & ordine naturæ, quo deberet uniri propriè ſubſiſtentię, ſi á Verbo non aſſumeretur: ergò nulla de facto præceſsit diſpoſitio. Prob. conſeq.: priùs eſt, naturam in ſe, vèl in alio ſubſiſtere, quàm ullum accidens, aút qualitatem ſuſtentare: ergò ſi humanitas fuit unita Verbo in eodem inſtanti, quo debuit uniri proprię ſubſiſtentię, fuit Verbo unita in eodem inſtanti infuſionis animæ, & pro priori ad infuſionem ullius gratię. Antecedens conſtat; quià priùs eſt, eſſe abſolutum in ſe, & perfici ſubſtantialitér per ſubſiſtentiam, quàm accidentalitèr.

5 Probatur 2. eadem pars: ſi aliqua diſpoſitio de facto præceſsit, vél fuit moralis, & meritoria, aùt phyſica? Non 1.; quiá unio in Chriſto eſt principium omnis meriti: & pricipium meriti non cadit ſub merito, út tract. 3. ex profeſsò probabitur; sèd aliás néc fuit phyſica: ergò &c. Prob. hęc min.: vèl illa diſpoſitio eſſet qualitas naturalis; quæ eſſet inutilis, cúm non poſſet elevare naturam ad unionem hypoſtaticam: vèl eſſet ſupernaturalis? Si hoc 2. infero: ergò ſicùt illa qualitas ſupernaturalis potuit immediatè recipi in humanitate ſine alia qualitate ſupernaturali; aliàs daretur proceſſus in infinitum; ità ſimilitèr, & unio hypoſtatica potuit immediatè recipi; & conſequentèr non fuit neceſſaria aliqua diſpoſitio prævia

via. Notantèr dicimus *prævia*; quia de *concomitante* nullus dubitat; cùm certum ſit, quod cum unione ad Verbum venit humanitati Chriſti omnis plenitudo gratię, & veritatis, út ait Joann. cap. 1.

6 Dices 1.: omne ſubjectum debet proportionari formæ, quàm recipit; sèd Chriſti humanitas non erat de ſe proportionata unioni cúm Verbo: ergò &c. Mai. conſt. in naturalibus; nàm materia non unitur formæ, niſi præcedant in ipſa diſpoſitiones, quibus proportionetur, & diſponatur ad recipiendam formam. Min. etiam pat.; quià unio hypoſtatica eſt ordinis ſupernaturalis: humanitas verò ordinis puré naturalis. Confirmatur: unio beatifica cúm Deo requirit in anima lumen gloriæ, per quod anima elevetur ad attingendum Deum intuitivé: ergò ſimilitèr hîc. Reſpondeo diſtinguendo mai.: omne ſubjectum debet proportionari in ratione receptivi, conc. mai.: in ordine naturalitatis, & ſupernaturalitatis, nego mai.: & diſtincta min. nego conſeq. Ad probàtionem nego paritatem; quià in humanitate reſpectu unionis ejus cùm Verbo, non ſunt diſpoſitiones contrariæ, quæ debeant expelli per contrarias qualitates, út ſunt in materia aquę, vèl ligni. Et ſic non currit paritas.

7 Ad confirmationem nego ſimilitèr paritatem; unio enim beatifica fit per operationes intellectus, & voluntatis, ad quas operationes neceſſum eſt, quod potentię ſint completę, & proportionatæ in ratione operantis, objecto ſupernaturali: hocquè fit medio lumine gloriæ in intellectu, & habitu charitatis in voluntate. Unio verò hypoſtatica datur ſolùm ad eſſe, & ſic ſufficit, potentia obedientialis in natura reſpectu Verbi aſſumentis. Hoc patet in ipſiſmet habitibus luminis gloriæ, & charitatis, qui út recipiantur in intellectu, & voluntate, non egent alia prævia diſpoſitione. Patet & in anima, quæ út recipiat gratiam, aliaſquè formas ſupernaturales, non eget alio dono ſupernaturali prævio; aliàs fruſtrà vitaretur proceſſus in infinitum.

8 Dices 2.: Deus non unitur ulli animę, niſi medio aliquo dono gratiæ: ergò multò minùs unitur hypoſtaticè ſine tali dono. Reſpondeo diſtinguendo antec.: niſi medio dono concomitanti, quod eſt ipſa unio, concedo antec.: ſine dono prævio ad ipſam unio-

nem, ſubdiſtinguo antec.: in adultis peccatoribus, tranſeat: in Angelis, & Infantibus baptizatis, nego antec. & conſeq. Deus ergò per charitatem, & gratiam unitur immediatè affectivè Angelis, & animabus Infantium in Baptiſmo, quin ſit neceſſaria alia prævia diſpoſitio. In adultis verò peccatoribus eſt neceſſaria diſpoſitio per proprios actus pœnitentiæ, quibus tollantur diſpoſitiones contrariæ, ſcilicèt, peccata perſonalia.

9 Pro reſolutione 2. partis quæſtionis noto 1., quod non procedit de unione ſecundùm ſuam entitatem phyſicam, & metaphyſicam; in hoc enim ſenſu certum eſt, quod unio hypoſtatica non eſt maxima comparativè ad alia entia; cùm plura ex iſtis ſint ſubſtantialia, aùt accidentalia abſoluta; unio verò hypoſtatica ex dictis quæſt. 1. ſit accidens, & quidèm relativum; undè non eſt maximę entitatis. Noto 2.: quod unio poteſt conſiderari *privativè*; hoc eſt, pro privatione diſtinctionis: vèl *poſitivè*; hoc eſt, proùt connotat perfectionem extremorum. In primo ſenſu maior eſt unio plurium formalitatum realitèr inter ſe identificatarum, uti eſt in homine unio animalitatis, & rationalitatis, quàm quælibet unio phyſica inter materiam & formam, aùt duarum naturarum in Chriſto; cùm illa, quę minùs diſtinguntur, ſint magis una. Difficultas ergò eſt de unione *poſitivè* capta.

10 Noto 3.: quod fortior fuit unio Divinitatis cùm humanitate, quàm unio animæ, & corporis Chriſti inter ſe; hæc enim reſoluta fuit in triduo mortis, non autèm illa; quià ſemper unita permanſit divinitas corpori, & animæ. Noto 4.: quod unio hypoſtatica poteſt comparari ad alias uniones, vèl in ratione *vinculi*, vèl in ratione *doni* ſine ullis meritis conceſsi; & ſub utraque conſideratione procedit præſens difficultas. Noto tandèm, myſterium Incarnationis eſſe maius donum, myſterio Euchariſtiæ. Ratio eſt; quià eſtò in Euchariſtia totus Chriſtus conferatur omnibus hominibus ipſum ſumentibus, & in Incarnatione ſolùm uni; tamèn in Euchariſtia confertur, ſecundùm quamdam præſentiam realem, & per unionem accidentalem ordinatam ad producendum in nobis effectus gratiæ; at per unionem hypoſtaticam confertur Deus (etſi uni homini ſoli) ſubſtantialiſtèr

tèr in eſſe Perſonę, & ſubſiſtentiæ, & ut proſit omnibus hominibus per ſua merita. His notatis, difficultatem per duplicem concluſionem reſolvam. Sit ergò

PRIMA CONCLUSIO:

11 Unio hypoſtatica non eſt maxima unio, nèc ſecundùm ſe phyſicè, aút metaphyſicè conſiderata: nèc reſpectivé ad naturas per ipſam immediatè unitas; benè verò eſt maxima, pòſt unionem Trinitatis, in ratione unionis, ſeù vinculi. Concluſio tres habet partes. Prob. quoàd 1.: juxtà dicta unio hypoſtatica eſt entitativè accidens, eſtò ſupernaturale: ergò quoàd entitatem non excedit omnia alia entia creata. Probatur conſeq.: in ratione entis omnis ſubſtantia etiám materialis, & corporea præcellit omni accidenti, etiamſi ſpirituale, & ſupernaturale ſit: & inter accidentia abſoluta præcellunt relativis, quæ ſunt minimæ entitatis: ergò cúm unio hypoſtatica ſit accidens relativum, non eſt maxima quoàd entitatem reſpectivè ad alia entia; cùm infimum ſupremi excedat ſupremum infimi.

12 Probatur 2. pars concluſionis: tantò maior eſt aliqua unio ex parte extremorum, quantò minùs extrema inter ſe diſtant, & magis accedunt ad unitatem; sèd natura humana, & divina magis inter ſe diſtant, quàm materia, & forma, ſubjectum, & accidens; quià iſtę duæ naturæ remanent diſtinctiſsimæ, & non coaleſcunt in unam tertiam entitatem: ergò &c. Confirmatur: illa unio eſt minor, quæ facit extrema inter ſe minùs unita; sèd unio hypoſtatica facit naturam humanam, & divinam minús unitas inter ſe, quàm unio naturę cùm propria ſubſiſtentia; hæ enim, etſi non ſint eędem realitèr, ſunt naturaliter inter ſe connexæ; ſecùs verò illę: ergó unio hypoſtatica ratione extremorum non eſt omnium maxima.

13 Prob. 3. pars concluſionis: illa unio in ratione unionis, & vinculi eſt omnium maxima, per quam ex parte extremorum fit in ſuppoſito perfecta communicatio idiomatum; sèd hęc fit per unionem hypoſtaticam, & non per alias uniones: ergò &c. Prob. min.: unitas ſuppoſiti Chriſti tanta eſt, út verum ſit, dicere: *Deus eſt hic homo: hic homo eſt Deus*: unitas inter materiam, & formam non facit, út dicatur in homine: *corpus*

eſt ſpiritus : *ſpiritus eſt caro* : & licèt in aliquo accidenti, ùt in lacte v. g., album, & dulce de ſe invicèm prædicentur, hoc ſolùm eſt adjectivè, non verò ſubſtantivè ; ſicùt de Deo, & homine in Chriſto : ergò &c. Confirmatur : perfectio unionis in ratione vinculi oritur ex maiori firmitate, & indiſſolubilitate ; sèd talis eſt unio hypoſtatica comparativè ad aliàs uniones : ergò eſt maxima. Prob. min. : unio hypoſtatica per nullam potentiam creatam poteſt diſſolvi, ſicùt unio cujuſcumque formę cùm materia; & accidentis cùm ſubjecto ; nequè in morte diſſoluta fuit : ergò eſt firmior, & indiſſolubilior.

14 Dices contrà iſtam partem : quæ maximè diſtant ſunt minùs unibilia ; sèd Divinitas, & humanitas maximè diſtant : ergò ſunt minùs unibilia, & conſequentér earum unio non eſt maxima. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: quę maximè diſtant tàm ſecundùm entitatem, quàm ſecundùm influentiam ſunt minùs unibilia, conc.mai.: quæ maximè diſtant ſolùm ſecundùm entitatem, nego maiorem, & inverſis terminis diſtincta min. neg. conſeq.. Natura ergò humana, & Divina maximè approximantur in ratione ſuſtentationis, & perſonationis : & ſic ſecundùm influentiam mirabilior, & maior evadit unio iſta.

15 Dices 2. : unio omnium maxima debet cauſare maximam unitatem ; sèd unio hypoſtatica eam non cauſat; nam intèr materiam, & formam ſubſtantialem cauſat unitatem alicuius tertii : ergò &c. Reſpondeo diſtinguendo mai.: unio maxima debet cauſare maximam unitatem in eo genere, in quo eſt maxima, conc. mai: in alio genere, neg. mai. : & diſtinguo min. ; ſed unio hypoſtatica non cauſat maximam unitatem *compoſitionis*, conc. min. : *ſuſtentationis*, nego minorem, & conſeq. In Chriſto ergò Domino eſt unitas ſuſtentationis, quæ deſervit ad communicationem idiomatum intèr naturas unitas, quæ eſt omnium maior, quamvis non ſint regulæ Philoſophicæ ad eam omninò explicandam ; aliàs Chriſtus non eſſet compoſitum mirabile, & myſterioſum.

16 Dices 3. : ex unione materiæ, & formæ ſubſtantialis reſultat unio naturæ, & ſuppoſiti ſimúl ; sèd ex unio hypoſtatica ſolùm reſultat unitas ſuppoſiti ; nàm naturę diſtinguuntur : ergò maior eſt illa unio, quàm iſta. Prob. conſeq.

ſeq.: maior eſt unio in natura, & perſona, quàm quę eſt ſolùm in perſona: ergò ſi unio materię, & formæ, &c. Reſpondeo, negando conſeq., & diſtinguendo antec. probationis: maior eſt unio in natura, & Perſona, quandò unitas Perſonę ſequitur unitatem naturæ, concedo antec.: quandò antecedit, nego antec., & conſeq.. In Chriſto ergò unitas Perſonæ antecedit unitatem naturę aſſumptæ, & ideò nullam inducit compoſitionem propriè dictam, & perfectam natura aſſumpta cùm Verbo aſſumente; ideoque perfectior eſt iſta unio, quàm quęcumque alia in ratione vinculi.

17 Dices ultimò: tantò magis eſt aliquid unum, quantò paucioribus conſtat; sèd in Chriſto Domino iuxtà dicta reperitur pluralitas naturarum, quæ in aliis non reperiuntur: ergò hæc eſt minor illis. Reſpondeo diſtinguendo mai.: tantò magis eſt aliquid unum unitate compoſitionis, & conſtitutionis, quantò &c., conc. mai.: unitate ſuſtentationis, nego mai.; conc. min., & nego conſeq.. In hac unione, ùt dixi, non ſunt attendendæ regulę philoſophię naturalis. Præterquàmquod, cùm unitas, quæ in Chriſto eſt, non reſultet ex compoſitione partium, sèd ex earùm ſuſtentatione per indiviſibile, & ſimpliciſſimum ſuppoſitum Verbi; hinc dignior, & maxima eſt hæc unio.

SECUNDA CONCLUSIO.

18 Unio hypoſtatica, in ratione *doni*, excedit gratiam habitualem, & unionem beatificam. Eſt Scoti in 3. diſt. 2. quæſt. 1. §. *ad argumenta principalia*, ubi ait: *Unio iſta eſt maior quantùm ad actum primum; quià per hanc communicatur eſſe Perſonæ aſſumentis naturę aſſumptæ; & etiàm modò de facto includit aliam unionem* (ſcilicèt, beatificam, quæ fit per lumen gloriæ) *quæ eſt ad actum ſecundum, & operari.* Hoc repetit & in 4. diſt. 49. quæſt. 2. Ex quibus

19 Probatur concluſio ratione: illa eſt perfectior unio in ratione doni, per quam propinquiùs participatur eſſe Dei; sèd hoc fit per unionem hypoſtaticam: ergò &c.. Prob. min.: per unionem hypoſtaticam participat natura humana Deum in ſe ipſo perſonalitèr; per alias autèm uniones ſolùm extrinſecè, & accidentalitèr: ergò per hanc unionem propinquiùs participatur eſſe Dei. Confirmatur:

per

per donum luminis gloriæ elevatur natura ad unionem beatificam; & per donum gratiæ ſanctificantis unimur Deo per innocentiam, ſanctitatem, & gratiam: per gratiam verò unionis hypoſtaticæ elevatur natura humana ad eſſe primarium, & ſubſtantiale completum, ac ad actum 1.; séd perfectius eſt illud donum, quod datur ad eſſe primarium ſubſtantiale, & actum 1., quam quod datur ad eſſe accidentale, & ſecundarium: ergó &c.

20 Probatur 2. concluſio: in unione hypoſtatica fundatur ius ad cætera alia dona; non ſolúm de facto, quatenùs Deus cúm Filio ſuo omnia dona nobis donavit; séd etiám de lege ordinaria illa omnia debentur humanitati Chriſti ex vi unionis; quià ex vi ipſius naſcitur Chriſtus Filius Dei, non puré adoptivus, sèd proprius, aùt naturalis: ergò quià hæc unio eſt maximum donum. Confirmatur: nulli creaturæ per quodcumque aliud donum elevatę debetur tanta reverentia, & cultus, quanta debetur humanitati Chriſti ratione unionis hypoſtaticæ; quià huic debetur cultus Latrię proprius ſolius Dei: ergò quiá hęc unio eſt maxima.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

21 Arguitur 1.: per lumen gloriæ, & unionem beatificam unitur Homo Deo, út ultimo fini; séd hoc non habet per unionem hypoſtaticam: ergò quià illa eſt maius donum. Prob. conſeq.: quod propriè nos unit ſummo bono, & ultimo fini eſt maius donum, quàm quod ſolúm eſt medium ad talem finem; séd unio hypoſtatica tantùm habet rationem medii ad viſionem beatificam: ergò &c. Reſpondeo negando conſeq. & min. probationis; quià in Scoti ſententia, Chriſtus Dominus eſt *Primogenitus* omnis creaturæ; Deus enìm illum prædeſtinavit primó propter ipſum: & homines propter Chriſtum, & ſic, iuxta nos, Chriſtus eſt finis immediatus noſtri, non verò medium; nèc propter noſtram beatitudinem, ſaltém in carne, prę-ſcindendo à paſsibilitate, de hoc laté ultimo, tract. huius myſterii.

22 Arguitur 2.: finis eſt nobilior medio ad ipſum; sèd unio beata eſt finis: & hypoſtatica medium ad illam: ergo &c. Prob. min.: ex Scoto dicente: „ Deus vult primò

„ mò, aliquam naturam habe-
„re ſummam gloriam: & ſecundò
„ voluit, naturam illam eſſe in
„ Perſona Verbi: ergò unio hy-
poſtatica eſt volita, & data, ut medium, ad unionem beatificam. Reſpondeo diſtinguendo mai.: finis in ratione finis, & medii eſt nobilior, &c. conc. mai.: finis in ſe abſolutè, nego mai.: omitto minorem, & nego conſequentiam. Verba Scoti non ſunt ad præſens intentum; quia ibi ſolùm volebat docere, Chriſtum eſſe prædeſtinatum independentèr à præviſione peccati, quod ultrò fatemur.

23 Arguitur 3.: unio beatifica eſt ſummum bonum: & explet omne deſiderium creaturæ rationalis; sèd non poteſt dari maius bonum ſummo bono: ergò unio beatifica eſt maius bonum, & conſequentèr maius donum. Reſpondeo, diſtinguendo mai.: viſio beatifica eſt ſummum bonum, & explet &c. in ratione actûs 2., & accidentalitèr, conc. mai.: in ratione actus 1., & ſubſtantialitèr, nego mai.; minorem, & conſeq.. Beatitudo ergò, quę eſt ſummum bonum ſimplicitèr, eſt objectiva, quæque eſt ipſe Deus: & hic perfectiùs communicatur per unionem hypoſtaticam, quàm per beatitudinem formalem, ùt diximus in 2. probatione concluſionis.

24 Arguitur ultimò: unio hypoſtatica deſtruit proprium ſuppoſitum naturę, & viſio beatifica illud perficit: ergò quia hæc eſt maius donum, quàm illa. Reſpondeo diſtinguendo antec.: unio hypoſtatica deſtruit proprium naturæ ſuppoſitum, út perfectius acquirat, ſcilicèt Verbi, conc. antec.: deſtruit primò, & per ſe propriè naturæ ſuppoſitum, nego antec.; imò & ſuppoſitum; quià hoc non deſtruitur, séd ſolùm impeditur, ùt reſultet, cùm præveniatur â ſuppoſito divino. Imó eſt inſtantia in ipſa replica; quià ex ipſa ſequitur, quod unio beatifica non ſit donum humanæ Naturæ; cùm ad ipſam obtinendam, ſit de lege ordinaria neceſſaria deſtructio proprij ſuppoſiti.

QUÆST. VI.

AN UNIO HYPOSTATICA ſit connexa cùm unione beatifica, & gratia ſanctificante?

1 SEnſus quæſtionis eſt, utrúm Verbum Divinum poſsit aſſumere naturam rationalem, quæ nata eſt Deum videre, ipſoque frui, quin ac-

tù ipſum videat, eoquè fruatur? Pro cuius reſolutione noto, quod, etſi regulariter dicatur, quod priùs ex ratione prioris poteſt eſſe abſqué contradictione ſiné ſuo poſteriori; hæc tamèn maxima in tribus caſibus deficit: 1., quando prius eſt idem realiter ſuo poſteriori: 2., quando ſunt correlativa, quorum unum eſt producens alterum: 3. quando prius eſt cauſa intrinſeca, & neceſſaria in eſſe, & conſervari poſterioris, & in ipſo includitur tamquàm pars. Quaré maxima illa, quod prius poteſt eſſe ſinè ſuo poſteriori, intelligitur de priori abſoluto realiter diſtincto à ſuo poſteriori, cuius non eſt neceſſaria cauſa in eſſe, & conſervari; néc eſt neceſſaria connexio inter illa. Hoc notato ſit

PRIMA CONCLUSIO.

2 Anima Chriſti Domini fuit beata ab inſtanti Conceptionis. Eſt communis, & expreſſa N. Doctoris in 3. diſt. 12. Prob. 1. auth. Div. Bernardi homil. in octava Epiphaniæ, ubi ait: *mihi ſufficit ſcire, & credere: Dominum Ieſum, ex quo cùm Deo in unam aſſumptus eſt Perſonam, fuiſſe perfectum Deum: ac per hoc perfectam ſapientiam, perfectam juſtitiam, perfectam beatitudinem &c.*: ergo juxtà Div. Bern. Chriſtus ex ipſo inſtanti Conceptionis, ſeú ex vi unionis cùm Verbo habuit viſionem beatificam; conſequentér eius anima fuit beata ab inſtanti Conceptionis. Hoc ipſum frequentèr tradunt cæteri S. S. P.P.

3 Probatur concluſio ratione: unio beatifica ab inſtanti Conceptionis fuit poſsibilis animæ Chriſti: ergó illam habuit. Antec. conſtat; quiá nulla poteſt afferri implicantia út conſtabit ex ſolutione argumentorum. Prob. conſequentia maximâ illâ, quam tradit Scotus in 3. diſt. 13. quæſt. 4.: *in commendando Chriſtum, malo excedere, quàm deficere à laude ſibi debita, ſi propter ignorantiam oporteat in alterum incidere*: ergò ſi ab inſtanti Conceptionis potuit Chriſtus habere unionem beatificam, illam habuit. Confirmatur: ab inſtanti Conceptionis habuit Chriſtus Dominus dignitatem Filij Dei naturalis, gratiam ſummam, & omnia alia dona ſibi poſsibilia: ergò nulla eſt ratio, cûr Chriſto Domino negemus à primo inſtanti Conceptionis unionem beatificam.

4 Arguitur 1.: antè paſſionem Chriſti Chriſtus nondùm erat glorificatus, ùt ait Joann.

7.

7. ; quapropter petebat à Patre : *clarifica me Pater apùd temetipſum &c.* : & Lucæ 14. dicitur : *oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam*: ergò ante Reſurrectionem Chriſtus non habuit beatitudinem. Reſpondeo, quòd hi textus loquuntur de clarificatione, & glorificatione corporis, & nominis apúd homines, qualis erat gloria, quam ipſe procuraverat Patri coram hominibus, juxtà illud : *Pater, manifeſtavi nomen tuum hominibus.*

5 Arguitur 2. Chriſtus Dominus ſibi meruit ſuam beatitudinem, & gloriam, & hoc per mortem Crucis, juxtà illud: *propter quod Deus exaltavit illum*; sèd meritum præcedit præmium : ergò Chriſtus non habuit beatitudinem, niſi poſt mortem. Reſpondeo negando maiorem, loquendo de Beatitudine animæ, ſeú viſione, ac fruitione Dei ; quia hæc liberalitér collata fuit ex congruentia dignitatis Filij Dei, út qui ſummè uniebatur in dignitate, uniretur etiàm in operationibus animæ. Solúm ergò meruit gloriam corporis, & nominis propter mortem Crucis, & de hac loquitur Paulus.

6 Arguitur 3. : unio beatifica eſt incompatibilis cùm libertate neceſſaria ad meritum; sèd Chriſtus per Paſsionem, & Mortem veré meruit : ergò uſquè ad mortem habuit veram libertatem : ergò non habuit beatitudinem. De hoc in tract. 3. dùm de merito Chriſti agamus. Pro núnc reſpondeo, maiorem eſſe veram in nobis de facto, & de via ordinaria, ſecluſo miraculo ; falſam verò de potentia abſoluta, & cùm miraculo, uti accidit in Chriſto Domino.

SECUNDA CONCLUSIO.

7 Verbum Divinum potuit aſſumere naturam rationalem, natam frui, quin Deo frueretur, & conſequentér unio beatifica non eſt eſſentialitèr, aùt neceſſario connexa cúm unione hypoſtatica. Prob. concluſio ratione Doctoris in 3. diſt. 2. num. 3. : quando duæ res ſic ſe habent ad invicém, ùt una ſit prior alia, diſtincta realitér ab illa; & non eſt intér illas neceſſaria connexio, túnc prior ſiné ulla contradictione poteſt exiſtere ſiné poſteriori ; séd ſic ſe habet unio hypoſtatica reſpectù unionis beatificæ : ergò &c. Mai. conſtat ex num. 1. huius. Min. 3. habet partes. Prob. quóad 1. priùs eſt, naturam perſonari, ſeú conſtitui in ſuo eſſe ſubſtantiali, & ſubſiſtenti, quàm operari ; sèd

unio hypoſtatica quâ talis, complet humanitatem Chriſti ſubſtantialitér, & in eſſe ſubſiſtentis; unio verò beatifica illam complet accidentalitér, & in eſſe operantis per intellectum, & voluntatem: ergò unio hypoſtatica eſt prior beatifica.

8 Probatur minor principalis quòad 2. partem: juxtá dicta quæſt. 1., unio hypoſtatica eſt relatio extrinſecús adveniens pertinens ad prædicamentum *paſſionis*, qua Natura aſſumitur, & dependet á Verbo in perſonari; unio verò beatifica conſiſtit in actibus, ſivè operationibus intellectus, & voluntatis, quæ ſunt (ex dictis in libris de Anima) qualitates abſolutę: ergò iſtę unionęs realitèr diſtinguuntur. Confirmatur: unio hypoſtatica habet eſſe á Deo ſolo per creationem: unio verò beatifica etiàm phyſicè cauſatur ab homine; cùm ad viſionem, & fruitionem concurrant activè intellectus, & voluntas; sèd illa quę diverſis productionibus fiunt, realitèr diſtinguuntur: ergò ita diſtinguuntur unio hypoſtatica, & beatifica.

9 Probatur tandém eadem min. quóad 3. partem: Natura humana potuit aſſumi à Verbo abſqué omni dono ſuperno, ſeú in puris naturalibus: ergò nulla eſt neceſſariò connexio inter unionem hypoſtaticam, & beatificam. Antec. conſtat ex dictis quęſt. antec. in reſolutione 1. partis ipſius, parte 2. concluſionis. Et ultrà probatur: ad aſſumptionem ſufficit fundamentum totale, terminus ipſius, atqué potentia efficiens aſſumptionem; sèd natura nudé ſumpta eſt totale fundamentum unionis: Verbum Divinum eſt terminus; & Deus eſt efficiens aſſumptionem: ergó natura humana potuit aſſumi à Chriſto in puris naturalibus.

10 Probatur 2. concluſio alia ratione Scoti: nulla natura creata fruitur neceſſariò objecto beatifico, niſi neceſſariò mutetur ab ipſo præſente; sèd natura humana aſſumpta à Verbo non immutatur neceſſariò, nèc ad actum intelligendi, cùm objectum beatificum ſolúm immutet neceſſariò intellectum divinum: néc immutatur neceſſariò ad actum fruendi; quiá voluntas ex puris naturalibus non neceſſariò fruitur fine: ergó natura humana ex vi unionis hypoſtaticæ non immutatur ad unionem beatificam. Confirmatur: ex vi unionis hypoſtaticæ ſolùm Verbum eſt preſens animæ aſſumptæ ſecundùm eſſe perſonale: ergó ſi vi talis unionis eſſet præſens

in

in ratione objecti immutantis intellectum animæ assumptę, túnc solúm Verbum, & non tóta Trinitas, immutaret in ratione objecti beatifici, quod est falsum; quià opera ad *extrà* sunt communia Trinitati: ergò, quià Verbum solúm est prę́sens secundùm esse personale, non verò secundúm esse objectivum beatificum.

11 Arguitur 1.: minor est unio Dei ad mentem per habitum gloriæ, quàm per unionem ad suppositum; sèd impossibile est, quod Deus uniatur menti per habitum glorię, & quod hęc non fruatur Deo: ergò magis impossibile est, quod natura nata frui, uniatur Deo hypostaticè, & quod ipso non fruatur. Præmissę videntur certæ. Conseq. prob.: unio hypostatica èxigit necessariò lumen glorię, visionem beatam, & fruitionem Dei: ergò magis &c. Prob. antec. Natura exigit suas proprietates; sèd lumen gloriæ, visio beatifica, & fruitio sunt proprietates unionis hypostaticæ: ergò. Prob. min.: nihil est magis proprium Filio, quàm videre, & frui Patre, & Natura sua; séd per unionem hypostaticam Christus est Filius Dei; ergó &c.

12 Respondeo 1. omissa mai., negando min.; quià sicút potest esse in anima habitus fidei, spei, & charitatis sine suis actibus, similitèr habitus luminis glorię sine actu videndi, & fruendi. Ad minus, etsi cum habitu luminis gloriæ nequeat non esse actus videndi, tamèn potest non esse actus fruendi; quià Deus posset influere ad 1., & non ad 2.; cúm ad *extra* liberè agat; sèd hoc omisso pro núnc, respondeò 2. omissis præmissis, negando conseq., & antec. probationis, ejùsquè probationem. Undé etsi attenta congruentia, & convenientia unionis hypostaticæ, hæc concomitetur cùm beatifica, tamèn non est tanta necessitas, út non possint separari de potentia absolutà; quià néc lumen, nèc beatitudo est proprietas inseparabilis ab unione hypostatica; aliàs hæc non posset fieri in natura irrationali.

13 Replicabis: stante præsentatione objecti beatifici, ùt talis, ad intellectum, impossibile est, intellectum ipsum non videre, & voluntatem ipso non frui; sèd hæc præsentatio fit per unionem hypostaticam naturæ rationalis ad Divinum suppositum: ergò repugnat unio hypostatica sinè unione beatifica. Mai. pat.; quia intellectus est potentia naturalis, quæ non potest non videre suum obiectum

tum prę ſens , ſicùt oculus non poteſt non videre lucem præſentem. Deindé obiectum beatificum claré viſum neceſsariò movet voluntatem ad ſui fruitionem. Reſpondeo 1. negando mai. tàm quoad 1., quàm quoàd 2. part., cuius falſitas conſtat ex his, quæ docentur in materia de beatitudine ; Dei enim eſſentia eſt obiectum voluntatrium reſpectu potentiarum creaturę rationalis ; ſi enim vult, videtur, ſi non vult, non videtur ; ſic ſimiliter ſe habet reſpectu voluntatis. Undé ſolùm movet neceſſariò proprium intellectum, propriamquè voluntatem. Sèd hac ſolutione omiſſa

14 Reſpondeo 2. negando abſolutè min. ; quià ex vi unionis hypoſtaticæ falſum eſt, quod Verbum ſit præſens animę in ratione obiecti ; cùm ſolúm ſit præſens in ratione termini terminantis dependentiam naturæ ad ſuppoſitum, quę terminatio, & unio poteſt poni ſinè fruitione, quæ impertinentèr ſe habet ad ipſam ; cùm ad hanc nihil aliud exigatur, quàm fundamentum totale, & completum, terminus, ac potentia efficiens aſſumptionem, ut conſtat ex dictis in 1. probatione concluſionis in fine.

15 Arguitur 2. & poteſt eſſe replica : natura rationalis per illapſum ſpecialem, quo aſſumitur ad unitatem ſuppoſiti, beatificatur quoàd eſſentiam animæ, quantùm beatificabilis eſt : ergò & potentiæ animæ beatificantur, quantùm beatificabiles ſunt. Antec. conſtat ; quià per talem illapſum fit natura rationalis aliquid unum cùm Deo. Conſeq. etiám patet ; quià ſicùt potentiæ nequeunt beatificari, quin beetur eſſentia ; ita beatitudo eſſentiæ redundat in beatitudinem potentiarum. Reſpondeo, negando antec. ; quià anima aſſumpta non beatificatur per illapſum ſpecialem, quo Verbum illabitur Humanitati, quoàd actum 1. ; quià anima, ut condiſtincta à potentijs non eſt beatificabilis ; cùm beatificetur per earum operationes. Undè, quamtumvis Verbum illabatur animæ, quoàd eſſe, & actum 1., non ſequitur, quod beatificet potentias, séd ſolùm ſuſtentat, tamquam in ſuppoſito, in quoquè ſenſu vi unionis hypoſtaticę fit unum aliquid cùm Deo.

16 Arguitur 3. : ſi natura rationalis aſſumpta non eſſet neceſſariò beata, nequé eſſet in bono confirmata, poſſetquè peccare, & damnari ; séd

hoc

hoc eſt abſurdum ; aliàs diceretur : *Deus peccat , & damnatur* , ſicùt dicitur : *Deus moritur , & patitur* : ergò &c. Reſpondeo ex dicendis Diſp. de impeccabilitate Chriſti , conceſſa mai. , negando min. ; quia impeccabilitas Chriſti non provenit præcisè ex vi unionis hypoſtaticæ ; quiá hæc formaliter ſumpta per ſe ipſam non confert naturæ aſſumptæ omnem juſtitiæ , & ſanctitatis perfectionem. Quo autém in ſenſu hæc propoſitio: *Deus peccat*, intelligenda ſit , ibi ad longum explicabitur.

QUÆST. VII.

AN UNIO HYPOSTATICA SIT ſupernaturalis : & quomodo?

1 HIC ſumitur *ſupernaturale* proút opponitur naturali , quatenùs ſuperat omnes vires agentis creati intra ordinem naturæ ; & ſic reſpicit agens. Séd ut brevitér difficultas reſolvatur ; (nam magna ex parte reſoluta eſt, agendo de viſione beata) , notate , quòd *ſupernaturale*, aliud eſt quoàd ſubſtantiam ; & aliud quoàd modum. Primum eſt, quod ſecundúm ſuam intrinſecam rationem , & entitatem , ita ſuperat , & excedit omnes vires agentis naturalis , quòd à nullo, nec ab omnibus collectivé ſumptis cùm concurſu generali Dei , & quacumquè diſpoſitione naturali applicata , produci valeat. Sic ſunt , juxtá omnes, fides infuſſa ſpes , Charitas, & alia ſimilia. Secundum eſt , quod ſecundùm ſe producibile eſt ab agente naturali ; àt modùs, quo hic , & núnc habetur , ſuperat omnes vires naturæ : ſic eſt viſus cæco reſtitutus , & alia huiuſmodi. Hoc notato

2 Dico : unio hypoſtatica eſt entitas ſupernaturalis quòad ſubſtantiam. Sic Doct. in 3. diſt. 2. quæſt. 1. & in 4. Diſt. 1. quæſt. 1. in fine , ubi docet , nullum Dei opus magis gratuitum , quàm hominem fieri Deum. Prob. ratione : ens ſupernaturale quòad ſubſtantiam eſt illud , quod nullo modo a creatura produci valet , ſuppoſito ſolúm concurſu generali Dei ; séd unio hypoſtatica eſt huiuſmodi : ergò. Probatur min.: per nullam potentiam cuiuſcumque agentis creati poteſt impediri, ne Natura creata individua ſuppoſitetur propria perſonalitate ; & facere , quod ſuppoſitetur per alienam , maximé per Verbi perſonalitatem ; & conſequenter nequit facere , quod uniatur *hypoſtaticè* Verbo Divino ; ita ut in Verbo Natura Divina , & humana non ſint , niſi una Perſona : ergò quiá unio hypoſtatica &c.

Con-

3 Confirmatur : omnes conditiones ſupernaturalitatis quòad ſubſtantiam conveniunt unioni hypoſtaticę : ergò eſt ità ſupernaturalis. Probatur antec.: prima conditio eſt, ùt res non ſit debita ullo jure naturæ. Secunda, út ejus diſpoſitiones ultimæ non poſsint poni ab ulla cauſa naturali creata, ſicút ponuntur à genitoribus diſpoſitiones ad animam rationalem. Tertia, út non ſit quóad produci in poteſtate ullius creati agentis. Quarta, tandèm, út elevet creaturam ad eſſe gratuitum, & ſupernaturale gratiæ, & gloriæ; sèd hæc omnia concurrunt in unione hypoſtatica, út patet jàm ex dictis, & conſtabit ex dicendis quæſt. ſequenti : ergò unio hypoſtatica habet omnes conditiones ſupernaturalitatis quòad ſubſtantiam.

4 Arguitur 1. : quod convenit rei à nativitate, eſt naturale; séd unio hypoſtatica convenit humanitati Chriſti á nativitate; quiá in nullo inſtanti fuit, in quo non fuerit unita Verbo : ergò eſt entitas naturalis. Reſpondeo diſtinguendo maior. : quod convenit rei à nativitate, & ope agentis naturalis, eſt naturale, conc. mai. : & ope agentis increati operantis concurſu ſpeciali, & indebito, nego mai.; inverſis terminis diſtinguo min., & nego conſeq.. Unio ergò hęc non ſolùm eſt facta immediatè à ſolo Deo, sèd etiam concurſu ſpeciali indebito; quiá nulla fuit diſpoſitio exigitiva illius cauſata per ullum agens naturale, ſicùt cauſatur organizatio, quę exigit, ùt à Deo infundatur in corpore anima rationalis. Undè cùm ſupernaturale in communi opinione ſit tale per ordinem tantùm ad agens; ideó hæc unio, etſi conveniat Humanitati à nativitate, eſt ſupernaturalis quòad ſubſtantiam.

5 Arguitur 2. : unio hypoſtatica habet eſſe per reſultantiam : ergò eſt naturalis. Probatur antec. : unio hæc, juxtà nos, eſt relatio; sèd relatio non producitur, sèd reſultat: ergó &c. Reſpondeo, negando abſolutè antec.: quià unio hęc, juxtà nos, eſt relatio extrinſecùs adveniens, quæ non fit per reſultantiam, séd veré per motum. Deindé eſtò fieret per reſultantiam, non ſequeretur, quod eſſet naturalis; quià non eſſet debita humanitati, nèc reſultaret ex diſpoſitionibus naturaliter ad id introductis, néc ex impedimento poſito ad propriam ſubſiſtentiam; sèd ſolúm hoc fieret ex pura Dei gratia ordinante illam naturam ſibi aſſumere, & unire.

Ar-

6 Arguitur 3. : unio hypoſtatica ſpectat ad conſtitutionem Chriſti : ergò eſt illi naturalis. Prob. conſeq.: nihil eſt magis naturale alicui , quàm quod intrat in ejus intrinſecam conſtitutionem , ſaltem ùt conditio *ſine qua non* ; quomodo intrat unio : ergò &c. Reſpondeo , diſtinguendo conſequens: ergò eſt naturalis Chriſto adæquatè ſumpto , proùt naturale opponitur violento , concedo conſeq. : proút opponitur ſupernaturali , nego conſeq..Unio ergo hypoſtatica , non eſt contrà naturam , sèd tantúm ſupra ejus innatam inclinationem; ſummè enim perficit , & dignificat ipſam ; undè eſt in potentia obedientiali ad illam.

7 Undè út omnis æquivocatio tollatur nota , quòd unio hypoſtatica tripliciter poteſt dici naturalis : 1. proùt naturale opponitur violento. 2. proút naturale idem eſt , ac habens verum eſſe proprium, & reale phyſicum , oppoſitum morali apparenti , aùt putavito. 3. proùt naturale opponitur libero , ſaltèm quóad effectum uniendi ; quià in hoc ſenſu ex natura rei determinatur unio ad effectum ſuum formalem , quod eſt unire humanitatem cúm Verbo. Tamén reſpectu cauſę efficientis , quæ eſt Deus , non eſt naturalis in hoc ſenſu , sèd liberrima , & purè gratuíta, pendens ex mera liberalitate , & gratia, Dei. Et in hoc ſenſu procedit difficultas.

QUÆST. VIII.

UTRUM ALIQUA CREATÚra ſit , vèl poſſit eſſe cauſa phyſica principalis , vèl ſaltem inſtrumentalis unionis hypoſtaticæ ?

1 CErtum eſt , cauſam principalem effectivam huius unionis eſſe Deum, & tres divinas Perſonas operantes ad *extra* unica , ac indiviſibili virtute , ſcilicét , divina Omnipotentia. Undè nec Verbum Divinum ex ſe , néc ratione ſuę perſonalitatis habuit aliquem ſpecialem influxum phyſicum ergà formationem, & conſervationem ſuæ humanitatis. Non Verbum ; quià principium formale operandi ad *extra* in Deo eſt idem , & eodem modo ſe habet in omnibus tribus Divinis Perſonis : ergò Verbum quà tale nullum habuit &c.

2 Non ratione ſuæ peculiaris perſonalitatis ; quià hæc non eſt activa , nèc productiva alicuius peculiaris effectus;

nam

nam perſonalitas divina conſiderari poteſt, vél út eſt relatio conſtituens divinam Perſonam; vèl út eſt ſubſiſtentia divinam Naturam terminans; séd ùt relatio, non eſt principium agendi per ſe: & út ſubſiſtentia, ſolúm eſt principium terminandi: ergò nequè út relatio, nequè út ſubſiſtentia habet peculiarem influxum phyſicum ergà formationem, & conſervationem ſuæ humanitatis. Deindé: totúm munus perſonalitatis Divini Verbi ergà naturam aſſumptam eſt, pręſtare, quidquid pręſtaret, ſi adeſſet, propria perſonalitas; sèd hęc nullum habet influxum phyſicum, & realem in humanitatem, cuius eſt, séd ſolúm illam terminat: ergó &c.

3 Certé quoad 1.part. quæſtionis, omnes conveniunt, quod nulla creatura poteſt eſſe cauſa effectiva etſi minùs principalis unionis hypoſtaticę. Undè in pręſenti ſolúm quęritur: ân creatura aliqua aſſumpta fuerit, vèl potuerit aſſumi ùt inſtrumentum ad talem unionem operandam? Et cúm ſolúm Immaculata Virgo ratione ſuæ ſupremę dignitatis dignior fuerit, út aſſumereretur ad hoc tam mirabile opus; ſi poſsibile fuit, ideo particularitèr quæritur, an B. Virgo elevata fuerit de facto â Deo, tamquàm inſtrumentum ad efficiendum unionem hypoſtaticam? vèl ſaltèm potuerit de potentia Dei abſoluta ſic elevari? Pro cuius reſolutione ſit

PRIMA CONCLUSIO:

4 Beatiſsima Virgo non fuit de facto á Deo elevata, tamquàm inſtrumentum phyſicum ad producendam unionem hypoſtaticam. Eſt communis in utraque Schola contra aliquos R. R. Prob. 1. ex illis Sacræ Scripturæ textibus, in quibus incarnatio dicitur, ſolius Dei opus ſingulare, ùt illud Abacuc 3.: *Domine opus tuum in medio annorum*; sèd unio hypoſtatica non eſſet tale opus Dei, ſi Beatiſsima Virgo aſſumpta fuit, ùt phyſicum inſtrumentum ad illam cauſandam: ergó &c. Prob. ratione: Beatiſsimæ Virgini concedendus eſt ille concurſus, qui ſufficit, út verè ſit Mater Dei; sèd ad hoc ſufficit, quod B. Virgo verè produxerit humanitatem, quam Verbum ſua perſonalitate terminavit in eodem inſtanti, in quo propria perſonalitas terminaret, niſi à Verbo impediretur; & non requiritur, quòd habuerit inſtrumentalem concurſum reſpectu unionis hypoſtaticę: ergó eum non habuit.

Hæc

Hæc concluſio ex ſequenti plùs conſtabit. Sit ergò

SECUNDA CONCLUSIO.

5 Nec de potentia Dei abſoluta potuit B. Virgo elevari á Deo, tamquám inſtrumentum ad producendam unionem hypoſtaticam. Sic Scotiſtæ cùm Doct. in 4. diſt. 1. quæſt. 1. contra plures Thomiſtas. Prob. concluſio ratione: unio hypoſtatica habet eſſe per creationem, út communitér ſentiunt Theologi; sèd nulla creatura adhùc de potentia abſoluta poteſt elevari à Deo, út inſtrumentum ad creandum: ergò nèc B. Virgo. Minor huius diſcurſus ad longum habetur probata tom. 3. curſus Theologici huius Alm. Provinciæ diſp. 1. quæſt. 3. á num. 13. Probatur tamen brevitér; vèl talis creatura elevaretur á Deo, út inſtrumentum ad creandum per potentiam obedientialem ſibi intrinſecam: vèl per aliquam qualitatem ſibi ſuperadditam; sèd neutrum dici valet: ergò.

6 Probatur minor quóad 1. part.: repugnat virtus obedientialis in creatura reſpectu effectus, ad quem ipſa creatura ex ſe non habet virtutem ſaltém inchoatam; séd ad creandum non datur in creatura huiuſmodi virtus: ergò &c. Maior eſt certa; quia hac ratione tàm Thomiſtæ, quam Scotiſtę non admittunt potentiam obedientialem activam in quolibet ad producendum quodlibet: & ſic neceſſarió debet eſſe in creatura aliqua virtus ſaltém inchoata. Minor probatur: cuilibet creaturæ eſſentialitér convenit finitas, & limitatio tám in eſſendo, quám in operando; séd hæc finitas eſt cauſa præciſa, út creatura agat dependentèr á ſubjecto, & conſequentér né creët; cúm creatio ſit productio rei ex nihilo, ſeù independentèr à ſubjecto: ergò in nulla creatura datur virtus adhùc inchoata ad creandum.

7 Probatur prima minor quòad 2. partem, ſcilicét, quòd non poteſt creatura elevari à Deo, per virtutem ſuperadditam ipſi. Hæc virtus, quę ponitur creaturæ ſuperaddita eſſet, accidens reſpectu ipſius creaturę: ergó media tali virtute non poſſet elevari ad creandum. Ant. conſtat.. Probatur conſeq.: modus operandi proportionatur modo eſſendi; séd cuilibet accidenti modus connaturalis eſſendi eſt dependentér à ſubjecto: ergò & modus operandi eſt dependentèr à

ſubjecto : ergò nequit ei convenire modus operandi indepenſdenter à ſubjecto. Nùnc ſic; sèd hic modus operandi requiritur neceſſariò, ad hoc út aliqua virtus elevetur ad creandum, adhuc út inſtrumentum: ergò nulla creatura per virtutem ſuperadditam, quæ eſt ſibi accidens, poteſt ſic elevari.

8 Salmaticenſes tract. 21. de Incarnatione, diſp. 5. dub. 3. num. 45. tenent, unionem hypoſtaticam non fieri per creationem, sèd educi de potentia obedientiali paſsiva humanitatis. Quarè noſtra probatio ipſos non urget, & ſic negant mai.. Verum dicunt; sèd veriſſimum eſt, quod eſt probabilior ſententia aſſerens, unionem hypoſtaticam fieri per creationem; cùm hæc unio perfectior ſit in entitate gratia habituali; & iſta in probabiliori ſententia fit per creationem, út in proprio tract. communiter tenent Theologi; & certé, quod unio hypoſtatica non educatur de potentia obedientiali paſsiva humanitatis, út tenent Salmatic., ſic breviter

9 Probatur: formam aliquam educi, & non creari, eſt, ipſam contineri in potentia paſsiva, vél naturali, vèl obedientiali alicuius ſubjecti; séd unio hypoſtatica nequit ſic continerí in humanitate: ergò &c. Probatur min.: ſi ſic contineretur, Angelus naturali lumine comprehendens potentiam paſsivam naturalem, vèl obedientialem humanitatis poſſet naturaliter evidentér cognoſcere unionem hypoſtaticam; séd hoc communitèr negatur à Theologis, út diximus diſp. 1. huius, quæſt. 2. concluſ. 2.: ergò, &c. Maior eſt certa; quia, cùm potentia paſsiva obedientialis intrinſecè non diſtinguatur à potentia naturali, séd ſolùm extrinſecè per ordinem ad agens extrinſecum, comprehendens naturali lumine potentiam naturalem, comprehenderet obedientialem; & conſequentèr unionem hypoſtaticam in ipſa contentam.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

10 Arguitur 1. contra utramque concluſionem.: S.S. P. P. admittunt de facto in B. Virgine concurſum inſtrumentalem reſpectu unionis hypoſtaticę: ergó admittendus eſt. Probatur antec.: Heſichius homil. 2. de B. Virgine, *eam appellat inſtrumentum Incarnationis ejus, qui omnia produxit.* Div. Ambroſius Epiſt. 82.: *per hominem, & mulierem caro ejecta eſt de Para-*

radyſo : per Virginem juncta eſt Deo. Et ſic frequenter alij S. S. P. P. Reſpondeo, S. S. P. P. vocare B. Virginem inſtrumentum Incarnationis non in rigore philoſophico inſtrumenti, ſcilicet, pro cauſalitate effectiva ; sèd in latiori, hoc eſt, pro omni eo, quod aliquo modo diſponit, & deſervit ad productionem alicuius effectus. Undé B. Virgo dicitur inſtrumentum Incarnationis, quatenùs concurſu diſpoſitivo cenſetur, concurriſſe ad unionem hypoſtaticam, præparando, & ſubminiſtrando puriſsimum ſanguinem ad formandam Chriſti humanitatem, immediatè uniendam Verbo Divino.

11 Arguitur 2. : quod eſt cauſa alicuius, ad quod ſequitur aliud, eſt etiam cauſa iſtius ; séd B. Virgo fuit cauſa humanitatis, & maximé in noſtris principijs admittentibus concurſum phyſicum activum Matris in fœtum : ergò & fuit cauſa unionis hypoſtaticæ ſecutæ ad humanitatem. Hæc ratio probat, B. Virginem fuiſſe cauſam principalem Incarnationis, quod nemo admittit. Reſpondeo diſtinguendo mai. : quod eſt cauſa &c., ſi ſecutum ſequatur ex influxu cauſæ antecedentis, conc. mai. : ſi non ſequatur, nego mai. ; & diſtincta min., nego conſeq. Ex influxu B. Virginis in humanitatem non ſequitur unio hypoſtatica, séd ex influxu alio diſtincto, libero, & gratuito Dei, ùt perſæpè diximus.

12 Arguitur 3. : in commendanda dignitate B. Virginis nos excedere debemus, juxtá maximam N. M. Doct. ; séd maior dignitas B. Virginis eſſet, ſi concurreret inſtrumentalitèr ad unionem hypoſtaticam, quàm ſi ſolùm concurrit diſpoſitivè : ergò &c. Reſpondeo, quòd talis maxima eſt concedenda, quando ex contrario non ſequitur aliqua contradictio, qualis utique ſequeretur, ſi creatura aliqua elevaretur ad creandum, út probatum eſt. Undè dicamus cùm Div. Bernardo Epiſt. ad Lugdunenſes : *quod honor Reginæ judicium diligit : Virgoquè Regia falſo non eget honore.* Undè cùm in præſenti impoſsibilis ſit talis honor, ipſi non eſt concedendus.

13 Arguitur ultimò: Sacramenta elevantur ùt inſtrumenta ad producendam gratiam: ergò & Beata Virgo ad producendum unionem hypoſtaticam. Confirmatur : intellectus creatus elevatur per lumen gloriæ ad producendam viſionem beatam : ergò paritèr B. V. ad

unionem hypoſtaticam. Reſpondeo diſtinguendo antec. : Sacramenta elevantur ùt inſtrumenta *moralia* ad producendam gratiam , conc. antec. : ùt inſtrumenta *phyſica* , nego antec., & conſeq.. De hoc agendo de Sacramentis in genere , ubi Scotus validiſsimis rationibus negat ipſis ullam effi.ientiam phyſicam reſpectu gratiæ. Ad confirmat., conc. ant., & nego conſeq. cúm paritate. Viſio ergó beata cùm ſit actus vitalis producitur dependentèr ab intellectu , qui eſt potentia vitalis, & virtus proxima viſionis ſimúl cùm lumine gloriæ. At unio hypoſtatica petit creari , & virtus creativa eſt omninò repugnans creaturæ , út conſtat ex dictis, & ex tom. 3. cit..

QUÆST. IX. ET ULTIMA.

DE COMMUNICATIONE idiomatum inter Deum, & Hominem.

1 IDiomatum communicatio idem ſignificat , ac mutua prædicatio attributorum divinorum , & humanorum inter Deum , & hominem. Unio enim hypoſtatica facit , quòd natura humana immediatè uniatur Perſonæ Verbi, & conſequentér , ùt duæ naturæ uniantur , & ſubſiſtant in eadem Perſona Verbi. Ex quo oritur duplex communicatio reſpectu illius Perſonæ ; una duarum naturarum, ſecundùm quam dicimus : *Verbum eſt Deus* ; *Verbum eſt homo* : *Deus eſt homo*; *homo eſt Deus*. Altera communicatio eſt proprietatum , ſeù attributorum utriuſque naturæ, juxtà quamquè dicimus : *Chriſtus eſt æternus , immortalis , infinitus &c.* : *Chriſtus eſt temporalis , mortalis , finitus &c.* Sed hoc ita , ùt ſit æternus ſecundùm divinam naturam, temporalis verò ſecundùm humanam , & ſic de cæteris. Undè in preſenti videndum eſt : àn ex prædicta unione naturarum in una Perſona Verbi proveniat idiomatum communicatio? quæ, qualiſquè ſit , ac quomodo ſit exercenda ? Pro reſolutione harum difficultatum

2 Dico 1. : in hoc myſterio ex tali unione oritur vera , àc propria communicatio idiomatum inter Deum , & hominem. Eſt communis , imó & de fide. Probatur breviter : ratione unionis hypoſtaticę divina , & humana prædicata de eâdem Perſona veré prędicantur : ergò &c. Prob. antec. verè , àc propriè dicitur : *Deus eſt homo* , *homo eſt Deus* : ergò &c. Prob. ant. ex Concil. Epheſ., ubi

ubi contra Neſtorium definitum eſt, B. Virginem eſſe Deiparam, hoc eſt, Dei genitricem; quià ille homo, cuius Mater eſt, eſt, vere Deus. Conſtat etiam ex variis Scripturæ locis, in quibus idem Homo Chriſtus appellatur Deus, & ipſe Dei Filius dicitur homo mortuus, crucifixus, & ſepultus, út in Symbolo Apoſtolorum: ergò quià iſtæ propoſitiones, *Deus eſt homo, & homo eſt Deus*, ſunt veræ; & conſequenter inter Deum, & hominem datur vera, & propria idiomatum communicatio.

3 Dico 2.: hæc idiomatum communicatio non conſiſtit in reali communicatione attributorum divinitatis reſpectu humanitatis: néc in communicatione attributorum humanitatis facta divinitati; ita út Omnipotentia, Omniſcientia, æternitas veré inſint naturæ humanę. Et è contra temporalitas, mortalitas &c., inſint naturæ divinæ. Conſiſtit ergó talis communicatio idiomatum ſolùm in hoc, quod ratione illius unionis prędicata divina, & humana de eadem perſona prædicantur, dicendo: *homo eſt Deus, æternus, infinitus &c.*; & è contra: *Deus eſt temporalis, mortalis &c.* Hęc concluſio eſt contra Lutheranos, Euthychianos, & alios. Probatur 1. pars ex dictis in hac diſputatione, quæſt. 2. concluſione 2.. De fide eſt, in Chriſto eſſe duas naturas integras, & impermiſtas: ergò & proprietates illarum naturarum ſunt impermiſtæ realitèr, nèc aliter uniuntur, quàm in Perſona Verbi. Confirmatur: unum attributum non poteſt realitér communicari ſinè alio; cùm ſint realitér identificata; sèd ſunt multa attributa divina, quæ repugnant humanitati, út aſſeitas, ſimplicitas, æternitas &c.: ergò.

4 Probatur 2. pars: quando duæ naturæ, vél formę uniuntur in uno ſuppoſito, poſſunt ambę de illo prędicari: ergò vera communicatio idiomatum ſtat ſolúm in hoc, quod ratione unionis hypoſtaticæ prædicata divina, & humana prædicentur verè de eadem Perſona. Antec. conſtat paritate; ſicùt enim, quià albedo, & dulcedo uniuntur in lacte, rectè de ipſo, & de ſe invicèm ſub illa ratione ſubjecti prædicantur; nàm dicitur: *hoc album eſt dulce: & hoc dulce eſt album*; ſic Deitas, & humanitas prædicantur de Chriſto, in quo uniuntur in unitate Perſonæ, dicendo: *hic homo eſt Deus, Deus eſt hic homo*: & hæ propoſitiones ſignificant ſolùm, quod eadem-

Per

Perſona eſt habens Deitatem,& humanitatem.

5 Dices contra 1. partem : juxtà Apoſtolum ad Coloſ. 3. : *in Chriſto inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Et juxtá Math. 11.: *omnia mihi tradita ſunt à Patre meo* : ergò omnia attributa divina inſunt realitér humanitati. Confirmatur : naturæ humanæ communicata fuit ſubſiſtentia : ergò & alia attributa. Deindè: communicatio idiomatum eſt vera , & realis , & non puré verbalis : ergò. Reſpondeo, quód loca Sacræ Scripturę ſolum intendunt, quòd omnes divinæ perfectiones fuerunt humanitati Chriſti communicatę non immediaté , & formalitèr, sèd ſolùm mediatè ratione ſuppoſiti , in quo ipſa humanitas, reperitur ; neqnè ex hoc ſequitur , poſſe fieri verè , & proprié prædicationes in abſtracto ratione iſtius identitatis ſuppoſiti ; nám in ſtatu abſtractionis ab hac indentitate fit abſtractio.

6 Ad confirmátionem nego conſeq. ; quiá ex communicatione ſubſiſtentiæ, quæ eſt velút medium, in quo uniuntur illæ naturę , non ſequitur immediata unio illarum , nequé atributorum utriuſque inter ſe; quiá humanitas non eſt capax alterius communicationis, quám ſubſiſtentiæ. Ad ultimum nego conſeq. ; quia cùm per illas locutiones ſignificetur vera,& realis unio naturalis in eodem ſuppoſito , ac eâdem Perſona, quæ per utramque naturam operatur, nequit dici talis communicatio purè verbalis , sèd vera, ac ſubſtantialis unio duarum naturarum in eodem ſuppoſito abſquè earum permiſtione.

7 Dico 3. : prædicata propria unius naturæ non poſſunt de altera in abſtracto prędicari ; nèc in concreto cum reduplicatione ; at in concreto ſumpta , & ſinè reduplicatione prædicari poſſunt de eadem Perſona, & etiam ad invicém. Hæc concluſio quoàd omnes partes eſt communis. Prob. quoàd 1. : prędicatio eſt quędam identitas ſequens unionem : ergò cum naturæ inter ſe non ſint immediaté unitę , sèd in ſuppoſito , ſequitur quod in abſtracto ſumptæ prout prędicidunt à ſuppoſito , nequeunt de ſe invicém prædicari , nèc proprietas unius de proprietate alterius. Undè non valent iſtæ : *Deitas eſt humanitas*: vèl *Deitas eſt homo* ; vél *humanitas eſt Deus*, *immenſa* , *omnipotens &c.* ; quià concreta divinitatis non inſunt humanitati

ti in abſtracto ſumptæ, ſéd ſoli divinitati; ideoquè non poſſunt de humanitate ſic ſumpta prædicari.

8 Probatur concluſio quoàd 2. part.: reduplicatio ſignificat, id, ſuprá quod cadit, eſſe rationem formalem, cùr prædicatum conveniat ſubjecto; sèd divina Natura non eſt ratio, ut Chriſto conveniant attributa humana; nequè natura humana eſt ratio, cùr illi attribuantur divina: ergò attributa divinæ naturæ etàm in concreto ſumpta nequeunt tribui Chriſto, ut homini cùm tali reduplicatione: nèc proprietates naturæ humanæ poſſunt tribui Chriſto, ut Deo, cùm tali reduplicatione. Quaré non tenent iſtæ: *Chriſtus, ut homo, eſt æternus, creator &c.*: *Chriſtus, ut Deus, eſt paſſus, mortuus &c.*

9 Probatur tandém quoàd 3. part.: licèt nomina concreta ſubſtantiva diſtinctè ſignificent formam, tamèn in confuſo dicunt ſubſiſtentiam, ſeú ſupoſitum: ergò cùm in Chriſto ſint duę naturæ, in uno, ac eodem ſuppoſito, ſequitur quód omnia, quæ conveniunt uni naturæ poſſint attribui alteri in eodem ſuppoſito. Hac ergò ratione iſtæ prædicationes ſunt verę: *Verbum eſt Deus*: *Verbum eſt homo*: *homo eſt Deus*: *Deus eſt homo*: *Chriſtus eſt mortalis*: *Chriſtus eſt immortalis*; verificantur enim de Chriſto ratione duarum naturarum in eadem perſona ſubſiſtentium.

10 Licèt dicti in his tribus concluſionibus deſerviant ad formandas varias propoſitiones de Chriſto comparativè ad naturam divinam, & humanam; quiá tamèn in hac materia cúm magná ſobrietate loquendum eſt, né in aliquem errorem ex multis, qui contrá hoc myſterium temporibus antiquis inſurrexerunt, ex modò loquendi incidatur, ſemper præ oculis habendæ ſunt regulæ ſequentes.

11 Primá regula eſt; quód ipſæ naturæ, vèl earum proprietates de sè invicèm prædicentur in concreto tàm ex parte ſubjecti, quám prædicati, non autèm in abſtracto, proptér rationes allatas in tertia concluſione. Secunda regula eſt; quód nulla apponatur particula reduplicativa propter ibi etiàm dicta. Tertià regula eſt, quòd prædicata enuncientur per concreta ſubſtantiva, non per adjectiva, ſaltèm accidentaliter denominativa. Hac ratione in Concilio Epheſino rejecta fuit hæc propoſitio: *Chriſtus eſt Deifer*; ſignificat enim, eum eſſe hominem ſubſiſtentem in sè, & fe-

ferentem Deum, vèl Deitatem. Eadem rejiciuntur iſtæ: *Chriſtus eſt homo Deificatus*, vél *Dominicus*; nàm per iſtas, & ſimiles locutiones denotatur, Chriſtum non eſſe Perſonam Divinam, sèd Perſonam Deificatam.

12 Quarta regula eſt, quòd non tenent illæ propoſitiones, quæ à Chriſto excludunt, vél ſuppoſitum Divinum, vél alteram naturam, ut ſunt iſtę: *Chriſtus eſt purus homo, vèl purus Deus*; prima enim excludit perſonam Verbi, & Deitatem; ſecunda veró humanitatem. Item non valet iſtà: *Chriſtus aſſumpſit Verbum*, vèl *hominem*, vel *Deitatem*, licèt poſsit dici: Verbum eſt incarnatum vél aſſumpſit humanitatem. Quinta tandèm regula eſt, quòd nullæ propoſitiones debent exprimere de Chriſto unitionem naturę cúm ſuppoſito Verbi; nàm ut ait N. Doctor in 3., diſt. 7. quęſt. 2.: cúm veritas propoſitionum reciprocarum pendeat ab unione naturarum in Verbo, debent ſempèr illam ſupponere. Quarè iſta non eſt vera: *Chriſtus eſt factus Deus*: quiá illud ſuppoſitum de sé eſt Deus, & Deus de sè præſupponitur. Iſtà veró: *Chriſtus factus eſt homo*, tenet; quiá ſupponit ſuppoſitum. Quamvis ex iſtis regulis, & ex concluſionibus antecedentibus ſatis conſtet, quid reſpondendum ſit ad varias propoſitiones in particulari, quæ de Chriſto formantur ſub nominibus naturarum divinę, & humanæ: & etiàm de ipſomet Chriſto, ſub nomine proprio, quiá tamèn in aliquibus eſt ſpecialis difficultas, ideò

13 Dubitabis 1.: án Chriſtus dici poſsit creatura; & quòd incœpit eſſe? Pro reſolutione primę partis nota quòd nomèn *creatura* poteſt ſumi in rigore, pro re, quę producitur à ſola Deo ex nihilo ſui, & ſubjecti, ut Angelus, & anima rationalis: & poteſt ſumi largè pro omni ente, quod accipit eſſe pòſt non eſſe, & dependet à Deo in eſſe, & conſervari. Hìc non loquimur de creatura in primo ſenſu; quiá certum eſt, quód Corpus Chriſti productum eſt ex ſubſtantiá Virginis, Spiritu Sancto cooperante ad talem productionem. Nota 2., quòd dúm quæritur, àn Chriſtus ſit creatura, quęritur de Chriſto, ut homine, ſeù ſecundúm humanitatem; non verò, ut Deo, ſeù ſecundùm naturam divinam, aut Perſonam Verbi.

14 Circá iſtám difficultatem S. Doct. in 3. diſt.

11.

11. q. 1. ubi hanc tractat difficultatem, videtur problematicus; sed meo videri cum magna sobrietate, & prudentia se gessit propter periculum æquivocationis, & nè videretur cùm Arrianis convenire. Nàm postea quæst. 2. dicit: *potest concedi, quod Christus est aliquid creatum secundùm quod homo; quià tunc distrahitur prædicatum per ly secundùm quòd homo; sicut Æthiops est albus secundùm dentes.* Ergò censet Scotus, Christum secundùm humanitatem dici posse Creaturam, ly *Creatura* sumpta largè. Etsi verum sit, quæst. 1. dixisse: *cui ista opinio non placet, potest dicere, ipsam esse falsam.* Ex hoc ergò Scotistæ inter se sunt divisi. Sèd hoc non obstante, conformiùs menti N. Doctoris

15 Dico 1.: hęc propositio: *Christus est Creatura*, absolutè prolata est vera licèt propter periculum æquivocationis sobriè usurpanda sit. Probatur 1. ex Damasceno, quem citat Doctor lib. 4. Cap. 10. ubi ait: *Cristus est creatus, & increatus, passibilis, & impassibilis.* Div. Hyeronim. in Epist. ad Ephesios Cap. 2.: *multi timore trepidant, ne Christum Creaturam dicere compellantur; nos autèm liberè prędicamus, non esse periculum eum dicere Creaturam, quem vermem, & hominem, & crucifixum tota spei nostræ fiducia confitemur.* August. in Enchirid. cap. 38. ait: *illam creaturam quam Virgo concepit :: voluit esse creatura, qui est creator.* Sic passim alij S. S. P. P. Probatur brevitèr ratione: de Christo ratione duarum naturarum dicuntur proprietates utriusque naturæ, nisi adsit aliqua specialis repugnantia; sed esse creaturam est proprietas inseparabilis ab humanitate Christi, & nulla adest repugnantia in hoc, quod dicatur de Christo, sicùt de ipso dicitur, quod sit crucifixus, mortuus &c.: ergò prædicta propositio, *Christus est creatura*, absolutè prolata, & secundùm se est verà.

16 Dices 1.: multi S. S. P. P. absolutè negant, Christum esse Creaturam, quorum ratio est, quià nomen *creatura* cadit in suppositum; & cùm suppositum Christi sit divinum, repugnat, quod sit creatura. Confirmatur: nequit dici, *Christus est ens dependens, finitum &c.*: ergò nec creatura. Respondeo, quod S. S. P. absolutè negantes, Christum esse creaturam, pro tùnc agebant contrà Arrianos, ejusquè sequaces dicentes, Christum esse puram creaturam secundùm se totum; & ne illi errori vi-

rentur communicare, meritó abſtinebant, quantum poterant à voce *creatura*. Nèc hoc nomen cadit in ſuppoſitum, ſicut néc nomen *mortalitas*, & *paſſibilitas*. Undè eodem ſenſu, quo dicitur *mortuûs*, dicitur *creatura*. Ad confirmationem nego antec.; quià ſicut dicitur *homo*, ità dicitur *ens dependens, finitum &c.*

17 Dices 2.: ſi Chriſtus verè, & propriè diceretur creatura, deberet accipere eſſe á Deo póſt non eſſe, vèl ſaltim quoàd principalem partem; séd neutrum dici poteſt de Chriſto: ergò. Prob. min.: non enim accepit eſſe quoád Deitatem, nèc quoàd Perſonam Verbi: ergò &c. Hoc argumentum eſt præcipuûm, quód pro parte contraria proponit Scotus. Reſpondeo tamèn negando mai.; nàm ad hoc, út dicatur creatura, ſufficit, ut accipiat eſſe pòſt non eſſe quoàd partem ſui notabilem, & quod ſic dependeat á Deo in eſſe, & conſervari. Sic ergó de facto dependet Chriſtus, non tantum quoàd humanitatem, sèd etiàm quoád eſſe Chriſti. Hoc eſt, quoád eſſe conſtans ex ſuppoſito Divino, Deitate, & humanitate per unionem hypoſtaticam, per quam ipſe Chriſtus, ut tale compoſitum, accipit eſſe pòſt non eſſe, & dependet à Deo, quoàd conſervari.

18 Dices 3.: prædicata, quæ repugnant uni ex duabus naturis, non poſſunt dici de Chriſto proptér aliam naturam; sèd eſſe creaturam repugnat Deitati, & ſuppoſito Verbi: ergò nequit dici de Chriſto. Mai. patet; nàm in his, quę repugnant intèr ſe, particula reduplicativa non tollit falſitatem propoſitionis, niſi tollat repugnantiam. Reſpondeo negando mai. cúm eius probatione; aliàs Chriſtus non poſſet dici homo, néc ſervus Dei, &c. proptèr humanitatem. Undè ſicút non repugnat Deitati, & ſuppoſito Verbi, uniri in Chriſto cúm humanitate, quæ eſt creatura, ita nèc Chriſto repugnat dici creatura ſecundúm humanitatem.

19 Dico 2.: rectè, & verè dici poteſt, quod Chriſtus incœpit eſſe. Eſt Doctoris cit., qui quæſt. 3. num. 4. ſic ait; *ſimplicitèr ergò de vi ſermonis poſſet concedi, quod Chriſtus, ſecundúm quod importat hoc, quod eſt Verbum homo, incœpit eſſe.* Hoc etiàm conſtat ex Evangelio, ubi legitur tempus conceptionis Chriſti, Nativitatis, vitę, & mortis: & ſicút credimus, eum ex Patre natum ante omnia ſæcula: ſic credimus ex tempore natum ex Matre: & dicimus: *Ver-*

Verbum caro factum eſt. Undè Auguſt. ait: *antequàm mundus fieret, nèc nos eramus, nèc mediator noſter Chriſtus.* Et Div. Fulgent.: *Verbum incœpit eſſe Chriſtus; sèd qui aliquandó, & antè mundum non fuit, & núnc eſt, incœpit eſſe*: ergò abſolutè, & verè dici poteſt, quód Chriſtus incœpit eſſe, ſaltèm cum hac limitatione: ut *homo.*

20 Probatur ratione: per communicationem idiomatum proprietates unius naturæ enuntiantur de ſe invicèm in concreto ratione ſuppoſiti, in quo uniuntur; sèd incœptio, & deſitio ſunt proprietates unius ex naturis Chriſti: ergò incœptio poteſt dici de Chriſto, ſaltém ut *homo* eſt: & tám veré, quàm quod ſit homo, & quod Verbum factum ſit homo. Confirmatur: hoc compoſitum *Chriſtus* conſtans ex Deitate, & humanitate in unitate Perſonæ Verbi per unionem hypoſtaticam non exiſtit ab æterno: ergò aliquandó incœpit eſſe. Conſequentia infertur: antec. conſtat; quià illa unio, & humanitas verè productæ ſunt in tempore. Dixi, quód ſobriè & cautè utendum ſit ſimilibus propoſitionibus, non ſolúm, quià favent Arrianis; sèd & quia videntur tollere in Chriſto, vèl unitatem realem ſuppoſiti divini, ut aiebat Neſtorius; vèl veritatem duarum naturarum divinæ, & humanæ, ut Eutyches eas confundebat. Vide dicta, quæſt. 2. huius per totam. Nùnc autém contrá iſtam concluſionem

21 Dices 1.: Chriſtus de ſe ipſo dicit, *antequàm Abraham fieret, ego ſum*: & Apoſtolus ait: *Chriſtus heri, & hodie, & in ſæcula*: ergô Chriſtus ſempér fuit, & erit: ergò non eſt verum, quod incœpit eſſe. Confirmatur: incœptio repugnat cúm æternitate; séd Chriſto convenit æternitas: ergò ipſi repugnat incœptio. Reſpondeo, illa loca Sac. Scripturæ intelligenda eſſe quoád divinitatem, & Perſonam Verbi; non veró quoad humanitatem, & unionem, quia conſtat Chriſtus. Ad confirmationem ſimiliter reſpondeo, diſtinguendo mai.: incœptio quoad eamdem formalitatem, repugnat cum æternitate, conc. mai.: incœptio quoad diverſas res, nego mai., & diſtinguo min.; séd Chriſto convenit æternitas quoad divinitatem, & perſonam Verbi, conc. min. quoad humanitatem, & unionem ipſius cúm Perſona Verbi, nego min. Hęc enim ut perſępè dictum eſt, cœpit in tempore.

22 Dices 2.: quandò ſubiectum aliquod immutatur *ſecundúm quid*, novum illud prædicatum non enunciatur ſimpliciter de ſubiecto; séd Chriſtus

Dominus non incœpit eſſe ſimpliciter, sèd ſolùm *ſecundùm quid*, ſcilicèt, ſecundùm humanitatem: ergò de ipſo non poteſt dici ſimpliciter, quod incœpit eſſe. Mai, conſtat; quia cùm ferrum calefit, non dicitur ſimpliciter, ferrum incipit eſſe, sèd additur *calidum*. Reſpondeo, diſtinguendo mai,; cùm ſubiectum aliquod immutatur *ſecundùm quid* per aliquod accidens, novum illud prædicatum &c., conc. mai.: quandó fit per aliquod ſubſtantiale, & eſſentiale toti ſubiecto, nego maiorem, & paritatem, Humanitas ergò eſt pars ſubſtantialis Chriſti, & eſſentialis; ideòque rectè dicitur abſolutè: *Chriſtus incipit eſſe*, pro illo inſtanti, quo producitur humanitas eius, & unitur Verbo in unitatem ſuppoſiti; ex qua unione fit Chriſtus, qui antè non erat.

23 Dubitabis 2.: an iſtę propoſitiones: *Deus factus eſt homo; homo factus eſt Deus*, ſint veræ, & proprię? Dico 1.: hęc propoſitio, *Deus factus eſt homo*, eſt vera, & bona. Eſt communis, & N. Doctoris in 3. diſt. 7. q. 2. Probatur 1. ex Scriptura; nàm Joannis 1. dicitur: *Verbum, caro factum eſt*. Et Apoſtolus: *factus eſt in ſimilitudinem carnis peccati*. Ubi iuxta Conc. Epheſinum, nomine *carnis* intelligi debet totus homo. Confirmatur; quià non eſt maior implicantia, quód dicatur de Deo, vèl Verbo: *quod factum eſt caro*; quàm *quod factus eſt homo*; cùm utriuſque propoſitionis idem ſit ſenſus; séd primum dicitur de Deo: ergó & ſecundum. Confirmatur ratione Scoti; per illam propoſitionem ſignificatur, Verbum, ſeù naturam divinam, quæ aliquandò non fuit unita hypoſtaticè in eadem Perſona cum Humanitate, iàm eſt illi unita; ita ut rectè dici poſsit: *núnc Deus eſt homo*, & *anteà non erat*; séd in hoc ſenſu vera eſt hæc propoſitio: ergò abſolutè dici poteſt: *Deus factus eſt homo*.

24 Dices: Deus non poteſt dici factus homo in tempore, quin dicatur mutatus in tempore; séd Deus eſt immutabilis: ergó &c. Mai. conſtat: quià ſi factus eſt homo, factus eſt aliquid, quod non erat. Reſpondeo negando mai. & diſtinguo probationem, ſi factus eſt homo, per aliquid ſibi intrinſece inhærens, factus eſt &c. conc.; ſi factus eſt homo per ſimplicem unionem ad ſe terminatam, nego. Deus ergó non alitér factus eſt homo, quàm per unionem humanitatis puré terminatam ad perſonam Divinam Verbi; quod fit ſine ulla mutatione intrinſeca.

25

25 Dico 2.: hæc propoſitio: *Homo factus eſt Deus*, etiam eſt vera, & propria. Hæc eſt N. Doctoris cit. contrà plures Thomiſtas. Probatur tamèn 1. ex Auguſtino 1. de Trinitat. cap. 13. ubi ait: *talis enim erat illa ſuſceptio, quę Deum hominem fecerat, & hominem Deum.* Damaſcenus lib. de fide cap. 11.: *eodem modo illud quoque dictum eſt, quod Deus homo factus eſt, & homo Deus.* Nazianzen. oratione 35.: *hic homo Deus factus eſt, poſtquàm cùm Deo coâluit*: ergò iuxta SS. PP. hæc propoſitio: *Homo factus eſt Deus*, eſt vera, & propria. Probatur concluſio ratione contra Thomiſtas: iuxtà ipſos, hęc propoſitio: *Deus factus eſt homo*, tenet: ergò & iſta: *homo factus eſt Deus.* Probatur conſeq.: Deus, qui non fit, fit homo, & dicitur verè factus homo; quiá ſibi univit, & aſſumpſit humanitatem in unitatem ſui ſuppoſiti: ergò à fortiori, homo, qui abſolutè producitur, verè dicetur factus Deus, hoc ipſo, quod unitur Deo in unitatem Perſonæ divinæ. Confirmatur: humanitas per veram actionem Trinitatis unitur hypoſtaticè Verbo, & fit una Perſona cùm Deo: ergò verè, & propriè fit Perſona Divina, & Deus.

26 Dices 1.: quám plures SS. PP. abſolutè negant talem propoſitionem. Cyrilus Alexandrin. lib. de Incarnat. cap. 11. ait: *nequè enim homo, ut quidam volunt, Deus eſt effectus, amitto Verbo; ſéd Verbum ipſum, carne aſſumpta, homo factum manſit etiám Deus.* Sic Div. Fulgentius lib. 3. cap. 2. Reſpondeo, quòd PP. tùnc agebant iàm contrà ſenſum Neſtorii, qui putabat, quod homo perfectus, & in ſe ſubſiſtens factus eſt Deus per unionem moralem Perſonę ad Perſonam; iàm contrà Eutychem, qui confundebat naturas Chriſti; & volebat, eas tranſiſſe in unam tertiam Naturam ex utraque miſtam. In noſtra verò propoſitione ſubiectum *homo* ſupponit non pro Perſona, ſéd pro natura individua, quæ facta eſt ſubſiſtens per ſubſiſtentiam Verbi: & ſic intellecta propoſitione veré dicitur, *quod homo factus eſt Deus.*

27 Dices 2., & eſt replica: ſubiectum iſtius propoſitionis, *homo factus eſt Deus*, ſupponit pro toto ſuppoſito, ſeú pro Perſona habente humanitatem; ſéd in hoc ſenſu eſt falſa propoſitio: ergo &c. Probatur mai.: in hac propoſitione: *Deus factus eſt homo*, ſubiectum ſupponit pro Perſona Divina, ſicút & prędicatum: & *factio* cadit in ſuppo-

poſitum : ergò á pari in ſecunda, *homo factus eſt Deus.* Reſpondeo, negando mai. : & conſequentiam probationis ; nam in 2. propoſitione *homo* ſupponit tantùm pro hac humanitate, quæ aſſumpta à Verbo fit Perſona Divina, & Deus ; in alia verò *Deus* ſumitur pro ſuppoſito aſſumente hanc humanitatem, pèr quam fit homo, hoc eſt Perſona habens humanitatem unitam ſibi hypoſtaticé.

28 Dices ultimò : quod ſit aliquid, præexiſtit illi factioni ; sèd homo fit Deus : ergó homo præexiſtit illi factioni; séd hoc eſt falſum ; imò & hæreticum : ergô homo non fit Deus. Reſpondeo diſtinguendo mai.: quôd fit aliquid præexiſtit prioritate naturę factioni naturæ, conc. mai. : factioni rei, quam acquirit per actionem, nego mai.: eiſdem terminis diſtinguitur conſequens, & minor ſubſumpta probationis. Humanitas ergò Chriſti Domini præexiſtit prioritate naturæ unioni, ſeù factioni, non autém Deitati, aút Perſonæ Verbi, quam per factionem, vél unionem acquirit ; nèc etiàm anté hanc factionem, vèl unionem ſubſiſtit, sèd per illam fit ſubſiſtens. Qui plures alias propoſitiones circà hoc myſterium examinatas deſideraverit, legat N. Maſtrium hic diſp. 2. quæſt. 11. per totam : propoſitæ ſunt principaliores.

DIS-

DISPUTATIO VI.

DE EXISTENTIA INCARNATIONIS.

QUamvis disputationibus antecedentibus, maximè 1., & 2. egerimus de possibilitate, cognoscibilitate, & convenientia huius ineffabilis mysterii Incarnationis; quià ex his non evidenter sequitur eius existentia; quinimò illa omnia credentes perfidi Iudæi, obstinantér tamén negant Messiæ existentiam; necesse iudicavi hìc agere brevitèr de existentia Christi Domini, quantúm fas est Theologo Scholastico; hæc enìm difficultas plané, plenéque ad Theologiam dogmaticam attinet. Sit ergó

QUÆSTIO UNICA.

An Messias iam venerit, seù existat?

1 Apúd Christianos veritas de eo, quod Christus venerit, seù quòd Messias existat, & Incarnatio Verbi Divini facta sit ab hinc annis 1765. probatione non eget; cùm ex hoc nomen Christianorum habeamus: & sit principale fundamentum fidei nostræ. In hoc ergò mysterio credimus Scripturis utriusque testamenti: Veteris, in quibus hoc prædicitur futurum: Novi autem, quibus prædicatur factum. Assentimur Conciliis, quibus id supponitur, vèl definitur, ut dogma fidei. Tandèm fidem damus S.S.P.P., qui omnes hoc, tanquàm principale articulum fidei docent. Ipsa etiam ratio naturalis hoc suadet, suppositа possibilitate talis mysterii, quęque probata manet disp. 1. quęst. 1. huius.

2 Difficultas ergò hæc locum habet contrà Judæos Philosophos, & quosdam veteres Hęreticos. Sèd notandum est, quòd ex diversis capitibus contra ipsos procedendum est; cúm & ipsi diversimodè defendant, Christum, seù Messiam non venisse; & consequentèr mysterium Incarnationis Divini Verbi non esse peractum. Judęi ergò credunt

dunt poſsibilitatem huius myſterii ; & aſſerunt , Meſsiam eſſe venturum ; séd dicunt , non veniſſe in pœnam peccatorum ſuorum ; adhùc tamén eum expectant. Philoſophi verò antiqui iudicabant , nèc Meſsiam veniſſe, nec venire poſſe ; sèd Incarnationem hanc abſoluté impoſsibilem eſſe. Tandèm quidam hæretici veteres etſi aſſererent, Chriſtum veniſſe ; negabant tamèn Chriſtum eſſe verum Deum. Hos omnes confutat Apoſtolus , dùm ait : *nos prædicamus Chriſtum: Judæis ſcandalum ; Gentibus ſtultitiam , ipſis autèm* (Chriſtianis) *vocatis Dei virtutem , & ſapientiam.* Inimici autèm , plùs perfidi huius myſterii ſunt præcipuè Judęi , contrà quos inſtituitur hæc quæſtio , ut in ſua perfidia confundantur ; quamvis aliqua obitèr tangamus contra Philoſophos , & omnes alios contradictores hujus veritatis. Contrà quos omnes ſit

CONCLUSIO

3 Chriſtus, ſeú Meſsias iàm venit, & conſequentèr Incarnatio Verbi Divini iàm exiſtit. Eſt de fide. Probatur 1. contrà Philoſophos , & alios , quí non credunt Scripturis Sac. ex efficacibus motivis piæ credibilitatis earumdem Scripturarum, & myſteriorum fidei noſtræ, & veritatum totius Doctrinæ Chriſtianæ ; nàm pro his omnibus aſſerendis millia millium hominum omnis conditionis , ætatis, & ſexus ſanguínem fuderunt. Deindè , hęc omnia inter tot hoſtes , perſecutores , & contradictores iam à pené univerſo orbe recepta ſunt. Tandèm, tot miraculis confirmatæ ſunt omnes hæ veritates , ut abſque temeritatis nota , negari non valeant. Et certè inter magna miracula , maximum reputári debet ipſa propagatio fidei in talibus circunſtantijs: ergó quamvis antiqui Philoſophi , vetereſquè hęretici aſſenſum non præſtent ſcripturis ſac. ; tamen ſi conſiderent ſigna , & motiva noſtræ fidei, ac veritatum totius Doctrinæ Chriſtianæ (inter quas præcipuùm eſt myſterium Incarnationis,) ipſum , aliaſquè veritates negare nequeunt abſquè nota temeritatis.

4 Probatur concluſio contrà Iudęos : & 1. ex Scripturis veteris teſtamenti , ſeú ex prophetis , in quibus prædicebatur Meſsias , non abſolutè ut venturus , sed cúm omnibus circunſtantijs temporis , loci , & eventuùm tàm precedentium, quàm comitantium , & ſubſequentium. Hoc enim argumentum eſt magnæ efficaciæ contra

trà ipſos ; ipſo enim uſus eſt ipſemet Chriſtus Dominus , ut probaret, ſe eſſe verum Meſsiam, Ioannis 5., & Lucæ 24. ipſos monendo ſic : *ſcrutamini ſcripturas , quià ipſæ teſtimonium perhibent de me.* Et alijs notabilioribus occaſionibus ajebat: *oportebat impleri ſcripturas , & quæ ſcripta ſunt in lege , Pſalmis , & Prophetis de me.* Nunc ſic ; sèd omnes illæ prophetiæ, & promiſsiones impletæ ſunt in Perſona Chriſti Domini : ergò ſtando talibus prophetijs contentis in veteri teſtamento, neceſsè aſſerendum eſt , verum Meſsiam iam veniſſe. Pro probatione minoris ſunt penè innumera teſtimonia in veteri teſtamento; principaliora adducam.

5 Primó ergò Geneſis 3. dicitur : *inimicitias ponam inter te , & mulierem , & ſemen tuum , & ſemen eius & ipſa conteret caput tuum.* Ex quibus ſic argumentor : hæc prædictio minax Dei ad ſerpentem poſtquam induxerat hominem ad peccatum , ſuum effectum ſortita eſt in Immaculata Virgine Maria ; vel aſsignent Iudæi , cui Mulieri , præter Mariam , hæc convenire poſſunt: sèd Mariæ fuit verus filius Meſsias , per quem contritura erat, & de facto contrivit caput Diaboli , diſsipans , & evertens regnum eius ſuper terram : ergó ex hac prophetia clarè infertur adventus Meſsiæ ; cum in eius Puriſsima Matre hæc omnia facta ſint. Secundò probatur ex illa promiſsione facta Abrahamo Geneſ. 12. : *in te benedicentur omnes gentes* :: *benedicentur in ſemine tuo omnes nationes.* Ex quo ſic : ipſis Iudæis fatentibus, Chriſtus Ieſus veré dicendus eſt Filius, & ſemen Abrahæ , & veré in eo benedicentur omnes Nationes, á tempore Nativitatis, & mortis eius ; séd hæc omnia in nullo alio ex filiis illius Patriarchæ verificatum fuit , niſi in Chriſto Domino : ergô , quia Chriſtus Dominus iam venit.

6 Probatur 3. efficaciùs ex illa particula benedictionis Iacob ad Iudam filium ſuum Gen. 49.: *non auferetur ſceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donèc veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Ex quo infero : ergô quo tempore auferatur ſceptrum de Iudá , & Dux de femore ejus , tunc veniet Meſsias promiſſus , qui erat expectatio gentium. Nunc ſic ; séd hæc omnia adimpleta ſunt in adventu Chriſti Domini: ergò , quia hic fuit verus Meſsias. Prob. min. : nullum regnum , nullaquè dominatio politica manſit apúd Iudæos ultrá tempus , circá quod Chriſtus venit in mundum ; ex eo enim tempore , ſcilicèt poſt mortem

Chriſti, ſceptro, & proprio ſolio ſpoliati vagantur ut miſeri, exules, & ſervi per orbem, ſinè homine, ſine Deo, ſinè Rege; quibus nêc advenarum jure terram, patriam ſaltèm veſtigio ſalutare, conceditur: ergó hæc omnia verificata ſunt &c.

7 Probatur 4. ex illo Iſaię 7., & 9.: *Parvulus natus eſt nobis :: & factus eſt principatus ſuper humerum ejus, & vocabitur Deus fortis &c.* Deindè ex illo: *egredietur virga de radice Jeſè, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet per eum ſpiritus Domini :: & ecce Virgo concipiet, & pariet. Parvulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus, & vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius, Deus fortis.* Hæc Iſaias, cujus prophetię, utpotè Prophetæ ultimi apud Judęos, magno in honore, & reverentia apud ipſos habebantur, præ cęteris prophetijs aliorum antiquorum Prophetarum. Nùnc ſic; séd hæc omnia, & alia innumera, quæ circa hoc in hoc Evangelico Propheta continentur, verificantur adimpleta in Chriſto Domino, ciuſqué puriſsima Matre, ut diſcurrenti per ſingula ad oculum patebit: de nulloquè alio verificari valent: ergò fruſtrá, & abſquè ullo fundamento expectant Judęi, quod hæc omnia de ullo alio verificentur pòſt tot millia annorum: ergò quia tenentur fateri, quod, ſecundùm prophetiam Iſaiæ, Meſsias iam venit.

8 Probatur hoc idem ex alijs Prophetis. Aggæus enim cap. 2. prædicebat: *adhuc modicum eſt, & ego commovebo cælum, & terram, & veniet deſideratus cunctis Gentibus.* Malachias 3.: *ſtatim veniet ad Templum Sanctum ſuum Dominator, quem vos quæritis.* Ubi notandum eſt, profectó haberi apud Judeos, has, aliaſqué prophetias huius tenoris loqui de Chriſto, Meſſiaque vero venturo, ut videri eſt apud eorum *Ralb.* Séd cèrtè, ſi à tempore illius prophetiæ tám Aggæi, quám Malachiæ, uſqué ad noſtrum tempus, Meſsias nondum veniſſet, vana, & frivola eſſet utraque prophetia: ergô nè hoc dicatur, dicendum eſt quod Meſsias iam venit. Probatur minor; quomodò verificabitur, *modicum eſt* prophetiæ Aggæi: *& ſtatim* prophetiæ Malachiæ, ſi poſt tot ſæcula adhuc expectatur, & non venit, ut aſſerunt Judæi: ergó quia ſi non venit, illæ prophetię vanæ, & frivolæ ſunt. Séd omiſsis alijs innumeris, quæ paſsim occurrunt in veteri lege, antiquiſquè Prophetis, non eſt ſilentio prætereunda Danielis 9.

Pro-

9 Probatur tandém concluſio ex promiſsione facta per Archang. Gabrielem Danieli Prophetæ, quemquè ſic alloquitur: „Ab exordio precum tuarum „egreſſus eſt ſermo ; ego autem „veni , ut indicarem tibi , quia „vir deſideriorum es tu. Animad„verte ſermonem , & intellige „viſionem. Septuaginta hebdo„mades abbreviatę ſunt ſuper „Populum tuum , & ſuper Ur„bem Sanctam tuam , ut con„ſummetur prævaricatio , & fi„nem accipiat peccatum , & de„leatur iniquitas , & adduca„tur juſtitia ſempiterna , & im„pleatur viſio , & prophetia, & „ungatur Sanctus Sanctorum::ut „iterum ædificetur Jeruſalem uſ„què ad Chriſtum Ducem , heb„domades ſeptem , & hebdoma„des ſexaginta duæ erunt , & „rurſùm ædificabitur Platea, & „muri in anguſtia temporum; & „pòſt hebdomades ſexaginta duas „occidetur Chriſtus , & non erit „eius Populus , qui eum nega„turus eſt , & Civitatem , & „Sanctuarium diſsipabit Populus „cum Duce venturo ; & finis „ejus vaſtitas , & poſt finem „belli deſolatio. Hæc prophetia, ex quaquè diſtinctè eventus Meſſiæ convincitur.

10 Pro cuius intelligentia 1. notandum eſt , ipſam intelligere Iudæos de Chriſto Duce , Meſsiaquè verò. 2. quoad tempus noto, ex ſententia ipſorum Rabbinorum , quod hebdomades iſtę non ſunt ſeptem dierum ; sèd ſingulæ componuntur ex ſeptem annis ; alioquin illa omnia adimpleta fuiſſent adhûc vivente Daniele , quod conſtantiſsimé ipſi negant , & negare debent. Noto 3., certiſsimum eſſe , quod hæc prophetia contigit circa initium Regni Darij Filij Aſſueri de ſemine Medorum; undè ab eo tempore numerandi ſunt illi anni , ſivé iſti ſint ſolares , ſivé Lunares , qui ſunt undecim diebus minores ſolaribus. Quaré ſexaginta duæ hebdomades annorum cum dimidia faciunt 437. annos.

11 Ex quo computo ſic efformo rationem pro adimpletione prophetiæ : 437. anni fluxerunt à tempore Darij , uſquè ad quadrageſimum primum annum Octaviani Auguſti , quo anno Chriſtus natus eſt , & iſte *Sanctus Sanctorum* unctus fuit Divinitate , & poſt alias ſeptem hebdomadas cùm dimidia intra quas occiſus eſt Chriſtus , Veſpaſianus debellavit Judæos , Sanctuarium , & ipſam Urbem diſſipavit , & funditùs evertit ; & ex eo tempore defecit hoſtia , & ſacrificium apùd illos. Tandèm certum eſt , quod intra illas ſexaginta duas hebdomadas repa-

rat : fuerat Civitas , & ipſum Templum , & Populus recuperaverat libertatem ; undé adimpletur: „*conſummetur* prævaricatio, „& finem accipiat peccatum. Poſtea verò adimpletur : „ perſevera„ bit uſque ad conſummationem, „& finem mundi , vaſtitas & de„ſolatio. Perſeverat enim á morte Chriſti uſqué nùnc ; quin appareat Judæis ulla ſpes reparationis, aùt libertatis ; cùm hæ omnes prophetiæ cernantur impletæ in Chriſto Domino , ſeú vero Meſſia. Sèd hic obſerva , quod hic non ponimus computationem mathematicam hebdomadum , & annorum ; sèd ſolùm moralem , & circumcircâ. De prima enim maximè laborant , & inſudant Dogmatici

12 Probari tandém poteſt concluſio ex evidentiſsimis ſignis divinitatis , quæ lucent in operibus , & ſermónibus Chriſti, quorumquè teſtes fuerunt ipſi Judæi. Primô ex reſponſione Chriſti Domini Diſcipulis Joannis, quærentibus : *tu es , qui venturus es*? Quibus reſpondet : *dicite Joanni , quæ vidiſtis ; & audiſtis : cæci vident , claudi ambulant :: pauperes evangelizantur.* 2. ex reſponſione Chriſti Domini ipſiſmet Judæis: *opera , quæ ego facio , teſtimonium perhibent de me.* Ipſimet Judæi fatebantur, quod nunquam ſic locutus fuerat homo : & quod ſi á Deo non eſſet , non poſſet talia operari; quare videns conſtantiam mortis exclamavit unus ex eis : *veré Filius Dei erat iſte* : ergo omnes figuræ , prophetiæ , promiſsiones, & notæ , quas habere poſſumus ex Scripturis utriuſque teſtamenti de Myſterio Incarnationis , & verò Meſsia impletæ ſunt in Perſona Chriſti. Hæ notæ ſunt genus , tempus , patria , locus , vita , mors , ſepultura , reſurrectio , triumphum ipſius , & Gloria , &, deniquè converſio Gentium , & quod plùs eſt , everſio, ac deſolatio Judæorum. Hæc ergò omnia vaticinia , quę apùd Prophetas habebantur prædicta, in Chriſto Domino veré , & de facto adimpleta ſunt : & nulli alteri aptari poſſunt : ergò quia Chriſtus , in quo impleta ſunt, ut verus Meſsias iam venit.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

13 Arguitur 1.: ſunt varię prophetiæ de vero Meſsia loquentes , quę non poſſunt verificari de Chriſto , quem nos Chriſtiani pró vero Meſsia habemus: ergó ille Chriſtus non fuit verus Meſsias , sèd aliquis ex Prophetis , & conſequenter verus Meſſias non venit. Probatur antecedens 1. Pſalt. 47. dicitur : *Deus noſter manifeſtè veniet , & non ſi-*

ſilebit ; sèd Chriſtus noſter venit, ut Deus abſconditus, & ſiluit : ergò quia non fuit verus Meſsias. 2. Iſaiæ 12. dicitur : *cum venerit, habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo* :: *& Puer parvulus minabit eos* ; séd uſquè nunc nullus hęc vidit : ergó idem quod priùs. 3. in eodem Iſaia 2. aſſeritur, quod *mons Sion debet tùnc elevari ſuper omnes montes* ; dicitur enim : *erit in noviſsimis diebus præparatus mons domini in vertice montium, & exaltabitur ſuper omnes colles* ; séd nequè hoc, nec alia quàm plura promiſſa in Scripturis de vero Meſsia, adhúc impleta ſunt : ergò nequè Meſsias verus venit.

14 Reſpondeo 1. in Sac. Scriptura de duplici adventu Chriſti Domini, ſub diverſiſquè circunſtantijs mentionem fieri, quodquè ipſimet Judæi fateri tenentur : et ſi non fatentur, eſt, ait Mag. Par. Auguſt., quia in pœnam peccatorum ſuorum allucinantur ; undé debent Judæi fingere duos Meſsias, aut agnoſcere duos adventus unius, ejuſdemquè Meſsię. Primus ergò adventus fuit in humilitate, ut per eam, ſcilicét, per Crucem, & Mortem nos redimeret. Hunc adventum dicimus præſentem, imó & præteritum ; & prophetias, quę de illo ſunt ſub hoc adventu, impletas fatemur. In hoc abſconditus venit, & ſiluit. Secundus adventus erit in Maieſtate, cùm veniet judicaturus vivos, & mortuos, & hic erit in fine mundi, de iſtoquè intelliguntur illa vaticinia, quę exprimunt illud terribile apparatum cùm poteſtate, & maieſtate magna. Audi Auguſtinum de utroque adventu loquentem : *In primo ſiluit, ut judicaretur ; non ſilebit, cum cœperit judicare. Non diceretur, manifeſtè veniet, niſi priùs veniſſet occultus.*

15 Reſpondeo 2. : quod eſtó aliqua vaticinia ex præcitatis, & ex alijs, quæ præallegari poſſunt, impleta non ſint ſecundúm ſenſum materialem, & corticem litteræ, ſecundúm quem non ſemper neceſsè eſt, ut vaticinia adimpleantur, juxtà illud : *littera occidit* ; tamen ſecundúm ſpiritualem, myſticum, & verum impleta ſunt. Quis enim cordatus ad litteram expectaret, ut lupus cúm agno, & pardus cúm hædo in ſimúl requieſcerent? Quis non ſtolidè expectaret, quod mons Sion, ubi erat Templum Jeruſalem, poneretur materialitèr ſupra verticem omnium montium? Significatio ergó vera talium locorum eſt, quod túnc Lupi, Pardi, hoc eſt, Barbari, & Peccatores convertendi ſunt in Agnos, & Hædos manſuetos, hoc

hoc eſt, fient Chriſtiani. Similiter ſignificatur exaltatio Eccleſiæ figuratæ per Montem Sion ſupra omnes ſectas, & falſas Religiones; quodquè feliciter factum fauſte confitemur.

16 Arguitur 2.: illa prophetia Iacob Geneſ. 49.: *non auferetur ſceptrum de Judà &c.* non loquitur de vero Meſsia: ergò &c. Prob. antec.: ſi de vero Meſsia loqueretur, ſequeretur, quod ſceptrum, ſeú regia poteſtas debuiſſet durare in tribú Judà, uſqué ad Nativitatem Chriſti Domini, ut ex ipſamet prophetia litteralitèr conſtat; séd hoc non ita contigit tempore Nativitatis Chriſti Domini: ergò &c. Probatur min.: in illo tempore tribus Judà nulla potiebatur authoritate in adminiſtratione politica Regni; nàm antequám Herodes uſurparet Regnum, tota poteſtas, & adminiſtratio erat apùd Machabæos, ut ex ipſamet Scriptura conſtat; séd Machabæi non erant de tribù Judá, sèd de tribú Levi: ergò tempore Chriſti Nativitatis ablata erat à tribù Judá regia poteſtas, & ſceptrum. Varié reſpondent Expoſitores Sacri huic argumento.

17 Reſpondeo tamen cúm N. Lyrano, negando antec., & conceſſa mai. probationis, nego min.. Ad cuius probationem dico, quod tribus Judà, & tribus Levi erant inter ſe conjunctæ, & ad iovicem permiſtæ. Undè Machabæi ad utramque tribum pertinebant ad tribum Judà per Matres; quia Mater eorum ad hanc tribum pertinebat: & ad tribum Levi per Patres. Quaré ſic verificatur bené, quod pauló ante Nativitatem Chriſti Domini Regia poteſtas, authoritaſquè politica erat in tribù Judà; cum eſſet apud Machabęos, quos extinxit Herodes alienigena, hoc eſt, Idumæus, ſeù út alij dicunt, Aſcalonites, tempore quo accepit Regnum à Cæſare.

18 Arguitur ultimò: prophetia Danielis, in qua tantum fidunt Chriſtiani, nequit intelligi de vero Meſsia: ergò ex illa malé probatur noſtrum aſſertum. Probatur antec.: tempus, & ſupputatio illarum hebdomadarum non bené cohęret, nec quadrat cum tempore adventus Chriſti: ergò nequit intelligi de ipſo. Probatur antec.: ut ſic cohæreret, deberet ſciri præciſum tempus, ſeú annus, à quo incipiunt computari illæ hebmades: de qua reſtauratione Templi, & urbis ibi loquatur Daniel, ſeú Archangelus Gabriel: quo tempore contigerit hoc: & tandèm quales eſſent illi anni: án Solares, án Lunares: àn alio modo computandi? Nam cùm magna diverſitas ſit inter hos annos, ex his tem-

tempus præciſum aſsignari nequit. Nùnc ſic; sèd de his omnibus non conveniunt inter ſe Sacri Interpretes, sèd acerrimé inter ſe pugnant; & conſequenter erga tempus adventus Chriſti: ergò ex his non probatur adventus Chriſti.

19 Reſpondeo, quòd licét modus computandi Judaicus non benè quadret cùm more noſtro de die in diem, ſeù mathematicè; quadrat tamen circumcircà, ſeù moraliter. Néc quærenda eſt hęc mathematica ſupputatio, & claritas in Prophetis, & prophetijs omnibus, quę ſemper habent aliquid myſterij, & obſcuritatis. Nequè utimur his, alijſqué locis Sac. Scripturæ ad deſignandum præcisé tempus juxtà diem, vél annum determinaté; utimur ergò ipſis tantùm ad convincendum Judæos, qui conſtanter negant, Meſsiam iàm veniſſe. Ad hoc enim hæc ſufficiunt nobis ad convincendam exiſtentiam adventus Chriſti, ejuſquè Incarnationis: ſivè hoc antè, ſivé pòſt aliquot annos contigerit; dummodò id evenerit circumcircà illas hebdomadas, & annos. Circa hunc punctum valdé laborant Theologi Dogmatici. Conſulantur iſti, nam ſcholaſtico dicta ſufficiunt.

DISP. VII.
ET ULTIMA
DE NECESSITATE
INCARNATIONIS.

Quamvis omne, quod neceſſarium eſt, conveniens ſit; non tamen è contra, omne, quod eſt conveniens, eſt ſimúl neceſſarium. Undé declarata convenientia Incarnationis, hic conſequenter agendum venit de ejus neceſsitate ad exhibendam Deo condignam ſatisfactionem; quod brevitate, & claritate poſsibili, per ſequentes quæſtiones diſcutiemus. Sit ergò

QUÆST. I.

An Deus fuerit abſolutè neceſsitatus ad exequendam Incarnationem?

1 TRiplex neceſsitas diſtingui ſolet ex Logica, *metaphyſica*, *phyſica*, & *moralis*. Prima oritur ex connexione, vel repugnantia terminorum: ſic homo nequit eſſe ſiné animalitate, & repugnat, quod ſit cum irrationalitate. Hæc neceſsitas vocatur *abſoluta*, *antecedens*, *aut inevitabilitatis*. *Phyſica* oritur ex connaturali exigentia rerum; undé naturaliter nequit eſſe ſiné termino: ſic ignis ſtupæ applicatus abſque miraculo nequit non comburere. *Moralis* oritur, vél ex ingenti difficultate effectus; vél ex ſumma propenſione cauſæ ad effectum. Sic homo gravi-

viter tentatus, deſtitutuſque auxilio Dei, neceſſariò moraliter ſuccumbit tentationi.

2 Neceſsitates phyſica, & moralis, ſicut & metaphyſica poſſunt eſſe abſolutæ, & antecedentes: & tales ſunt, quando ſunt abſque ulla ſuppoſitione, vél conditione libera. Vèl poſſunt dici conditionatæ, aut conſequentes, hoc eſt, ortæ ab aliqua libera conditione. Séd ultra nota, quod neceſsitas conditionata, quę *hypotetica* dicitur, adhuc eſt duplex: una *ſimpliciter*, & eſt, quæ ex ſuppoſitione aliqua ita eſt neceſſaria, ut ſinè ipſa finis conſequi non valeat: ſic ex ſuppoſitione quod vellim navigare in Hyberniam, eſt mihi ſimpliciter neceſſaria navis. Alia eſt *ſecundùm quid*, & eſt, quę adhuc facta ſuppoſitione, ſolùm eſt neceſſaria ad faciliùs, vèl commodiùs conſequendum finem. Sic equus, vél quadriga requiruntur ad iter faciendum. His notatis, nulli dubium eſt, Incarnationem Verbi fuiſſe neceſſariam *ſecundùm quid*, ad hominem reparandum; nàm per eam lapſus hominis faciliùs, & commodiùs reparatur. De alijs ergò neceſsitatibus procedit difficultas. Et ſit

PRIMA CONCLUSIO.

3 Deus nec phyſicè, nec metaphyſicè eſt abſolutè neceſſitatus ad Incarnationem exequendam. Concluſio eſt omninò certa, & probatur. Si Deus phyſicè, aut metaphyſicè eſſet neceſsitatus ad Incarnationem, hoc oriretur præciſsè ex prædicatis neceſſariis, & intrinſecis Dei; séd hoc eſt falſum: ergò &c. Maior conſtat ex explicatione utriuſque neceſsitatis. Probatur min.: Deus ex prædicatis neceſſariis, & intrinſecis ſui non eſt metaphyſicé, aùt phyſicè neceſsitatus abſolutè ad faciendum id, quod eſt maxima gratia, & ingens beneficium; sèd Incarnatio juxtà Scripturam, & P.P. eſt maxima gratia, & ingens beneficium: ergò &c. Confirmatur ex N. D. ct.: Deus eſt primum agens: ergò nequit ad extra operari ex neceſsitate naturæ, séd omninò liberrimè. Hæc conſeq. conſtat; quià agens ex neceſsitate naturæ operatur propter finem ſtatutum, & præfixum à ſuperiori agente, quod repugnat Deo. Nùnc ſic; sèd Incarnatio eſt opus ad extra: ergò nequit Deus nec metaphyſicé, nec phyſicé, eſſe abſolutè neceſsitatus ad ipſam.

4 Dices 1.: ſummum bonum ſummè inclinat in ſui communicationem; ita ùt neceſſariò ſequatur terminus; séd inter

opera ad *extra*, Incarnatio eſt maxima Dei communicatio: ergò Deus ratione ſuę ſummæ bonitatis eſt neceſsitatus ad ipſam. Maior eſt Div. Dionisij dicentis: *bonum eſt diffaſivum ſui.* Reſpondeo diſtinguendo mai.: ſummum bonum ſummè inclinat in ſui communicationem ad *intra*, conc. mai.: ad *extra* nego mai. cum imbibita probatione. Bonitas enim divina ſummè inclinat in ſui communicationem ad *intra*; ideoqué neceſſariò gignit Verbum Divinum, & ſpirat Spiritum Sanctum: non ſic evenit ad *extra*; nam licét ſe communicet, ſitqué Deus diffuſivus, & communicativus ſuæ ſummæ, & infinitæ bonitatis ad *extra*; hoc tamèn facit liberrimè, & abſque ulla neceſsitate; cùm ſit ſibi liberum benefacere extraneis, & vilibus Perſonis. Patet hoc; quia amor, quo Deus nos amat, eſt ſummus entitativè, & tamèn non diligit nos ſummé.

5 Dices 2.: ille, qui perfectiſsimè ſe amat ſummo amore, quo poteſt, vult ſibi neceſſariò omne bonum; séd Deus ita ſe amat: ergó vult ſibi neceſſariò omne bonum; & conſequentèr ſuam gloriam extrinſecam. Nùnc ſic; ſed Incarnatio plùs conducit ad gloriam Dei, quàm ejus carentia: ergó. Reſpondeo diſtinguendo mai.: qui perfectiſsimè ſe amat, vult ſibi omne bonum, ſine quo non ita felicitèr ſe haberet, conc. mai.: ſine quo æquè felicitèr ſe haberet, ac cum illo, nego mai.: conceſſa min. eiſdem terminis, diſtinguo conſeq. & nego ſubillatam. Deus ergò, ùt ait Job cap. 35. verſiculo 6. & 7.: *ſi peccaveris, quid ei nocebis? Si juſtè egeris, quid donabis ei?* Deus ergó eſt ſummè felix ſine tali gloria extrinſeca. Quarè ex amore Dei neceſſario erga ſe ipſum malè infertur amor neceſſarius Creaturæ; cùm nihil creatum poſsit à Deo auferre, vèl afferre jucunditatem aliquam, aut felicitatem.

6 Dices 3.: nequit aliqua Creatura, Immaculata Virgo, v. g., totis viribus amare Deum, quin velit, in quantum poſsit, quod conducit ad maiorem gloriam Dei; sèd Deus infinitè plùs ſe amat, quàm eum amat B. Virgo; & aliundè Incarnatio valdé conducit ad gloriam Dei: ergò eſt neceſsitatus ad ipſam volendam. Reſpondeo conceſsis præmiſsis, negando conſeq. Diſparitas eſt; quia Deus vult, Creaturas totis viribus, & omni modo poſsibili ipſum diligere, ejuſque gloriam procurare. Tum, quia hoc eſt debitum ſummæ bonitati Dei, & innumeris beneficijs ejus. Tum, quia

quia ita creſcit amor Creaturæ, & de augmento talis amoris augetur maior felicitas ipſiuſmet Creaturę. At ſi Deus nollet Incarnationem, non minueretur amor erga ſe, nèc ejus felicitas; cùm hac gaudeat independentèr ab omni Creatura.

SECUNDA CONCLUSIO.

7 Deus nèc moraliter abſolutè eſt neceſsitatus ad exequendam Incarnationem. Eſt communis contra aliquos R. R. citatos apùd Patrem Murin de Incarnatione diſp. 2. ſect. 3.. Prob. 1. ratione : qui nullo indiget ad ſuam felicitatem, nullam habere poteſt neceſsitatem ; séd Deus ad ſuam felicitatem non indiget Incarnatione : ergò &c. Diſcurſus eſt Divi Auguſtini lib. 43. quæſtionum, quæſt. 22. dicentis, *ubi nulla indigentia, nulla neceſsitas : ubi nullus defectus, nulla indigentia ; nullus autem defectus in Deo : ergò nulla neceſsitas.* Explicatur : eodem rigore ratione divinę perfectionis debet excludi à Deo neceſsitas ad aliquid extra ſe producendum, quo debet á Deo excludi omne genus defectus, tàm phyſici, quàm moralis ; sèd ex ſumma Dei perfectione excluditur ab eo omne genus defectus tám phyſici, quám moralis : ergò & omnis neceſsitas ſivé phyſica, ſivè moralis.

8 Probatur 2. concluſio: ſi Deus eſſet moralitèr neceſsitatus abſolutè ad decernendam Incarnationem, non eſſet in Deo libertas phyſica ad illam non decernendam ; sèd hoc dici non poteſt : ergò &c. Prob. mai.: non datur in Deo libertas phyſica ad id, quod eſt abſolutè impoſsibile ; sèd ſtante in Deo morali abſoluta neceſsitate ad Incarnationem, abſolutè impoſsibilis eſt in Deo omiſsio Incarnationis : ergò ad hanc omiſsionem non eſſet in Deo libertas phyſica. Probatur min. : id, ex cuius poſitione ſequitur abſolutè deſtructio Dei, eſt Deo abſolutè impoſsibilè ; séd ſi omitteret Incarnationem, ad quam eſt moralitér neceſsitatus, non eſſet Deus, ùt communitér dicunt A. A. ſententiæ contrariæ : ergò abſolutè eſſet Deo impoſsibilis omiſsio Incarnationis.

9 Reſpondent contrarij, quod hæc neceſsitas moralis non eſt antecedens, sèd conſequens, & ſic libertatem phyſicam non deſtruit ; nàm datur in Deo ex ſuppoſitione, quod ſit talis naturę, út potens phyſicè non eligere Incarnationem, ſempér tamén eligat. Séd contra 1. ; quia noſtræ probationes procedunt de neceſsitate morali antecedenti,

& abſoluta. Contrà 2. : ſicút neceſsitas phyſica conſequens non deſtruit libertatem phyſicam, nèc neceſsitas moralis conſequens deſtruit libertatem moralem: ergò ſi moralis neceſsitas ad Incarnationem eſt ſolùm conſequens in Deo, componitur cùm libertate morali: & conſequenter Deus eſt moraliter liber, & moraliter neceſsitatus ad Incarnationem, quod implicat. Contra 3. : neceſsitas antecedens antecedit omnem actum liberum Dei, & conſequens provenit ex aliqua ſuppoſitione contingenti; sèd neceſsitas, quam adſtruunt contrarij in Deo ad Incarnationem, antecedit omnem actum liberum Dei; nàm juxta ipſos provenit in Deo ex amore perfectiſsimo ſui, qui amor antecedit omnem liberum decretum: ergò talis neceſsitas moralis eſt antecedens.

10 Probatur 3. concluſio: ſi Deus eſſet moraliter neceſsitatus ad Incarnationem, Deus, út eſſet Deus, indigeret ipsâ; sèd hoc eſt diſſonum divinæ perfectioni: ergò &c. Probatur mai.: illo indiget Deus, ſine quo Deus non eſſet; sèd cùm hac neceſsitate morali Incarnationis, Deus non eſſet, ſi Incarnationem non decerneret: ergò út Deus eſſet Deus, indigeret Incarnatione. Confirmatur: repugnat Deo operari contra ſummam intrinſecam inclinationem ſui abſque graviſsimo motivo; sèd operaretur contra infinitam intrinſecam inclinationem, ſi non decerneret Incarnationem, ſtante in ipſo neceſsitate morali abſoluta ad illam: ergò non eſſet Deus, ſi non decerneret Incarnationem.

11 Reſpondent contrarij, quod Deus non eſſet Deus, ſi non decerneret Incarnationem; hoc, non quia indigeat illa; sèd quia ſic petit ejus ſumma perfectio. Explicant hoc exemplo. Promiſſa gloria Petro, Deus deficeret, ſi Petro non daret gloriam: & hoc non quia indigeat gloria Petri, ut Deus ſit: ergò ſimiliter hic. Contra 1. : facta promiſsione de gloria tribuenda Petro, eſt Deus ſimplicitèr neceſsitatus, út ſit Deus, ad elargiendam gloriam Petro, hac neceſsitate orta ex libera ſuppoſitione antecedenter evitali: ergò ſi antecedenter ad omnem ſuppoſitionem liberam eſt Deus ſimplicitèr moraliter neceſsitatus ad decernendam Incarnationem, út ſit Deus, indigebit antecedenter abſolutè Incarnatione, út Deus ſit. Nèc ejus ſumma perfectio ad hoc facit; quinimò in contrarium; quia Deus titulo perfectiſsimi, & ſupremi dominij petit accipere omnimodam indifferentiam, & li-

libertatem ad producendam quamlibet Creaturam.

12 Probatur tandèm concluſio : ſi Deus eſſet abſolutè moraliter neceſsitatus ad Incarnationem, vèl hæc neceſsitas reſpiceret totam æternitatem, vèl inſtans determinatum ; vèl omne inſtans temporis *vagè* ſumptum ? Sèd nihil horum dici poteſt : ergò &c. Mai. eſt evidens; cùm talis productio exerceri debeat vél æternitate, vèl tempore determinato, vél *vagé* ſumpto. Prob. min. quoàd 1. part: implicat, prædictam neceſsitatem Incarnationis reſpicere totam æternitatem; cùm Incarnatio ut pote Creatura facta fuerit in tempore : ergò &c. Prob. eadem min. quoad 2. partem : ſi talis neceſsitas reſpiceret determinatum tempus, non potuiſſet Deus differre executionem Incarnationis ultrà illud inſtans determinatum, nèc illam abbreviare ante illud ; séd hoc eſt falſum ; aliàs inutiles & frivolæ eſſent præces, gemitus, & clamores veterum Patrum, ùt quàm citiùs Deus incarnaret; ergò quia Incarnatio non reſpiciebat determinatum inſtans temporis, néc ejus neceſsitas.

13 Probatur eadem min. quoad 3. part. : Deum eſſe moraliter neceſsitatum ad incarnandum in hoc, vèl illo tempore *vagè*, eſt, dicere, nullam eſſe neceſsitatem in Deo reſpectu Incarnationis : ergò &c. Probatur antecedens : eo ipſo, quod nullum ſit aſsignabile inſtans determinatum, in quo verè dicatur : nùnc Deus neceſsitatur moraliter ad executionem Incarnationis ; cùm æternitas careat termino, fit planè, quod Deus manet omninò liber pro quocumque determinato inſtanti æternitatis ad ipſam exequendam; séd cùm hac omnimoda, & æterna libertate repugnat in Deo moralis neceſsitas ad Incarnationem exequendam : ergò &c. Deindé, ſi Deus eſſet ſic neceſsitatus, ſuperfluæ eſſent præces Patrum pro Incarnatione; nèc homines teneremur ad tot gratias retribuendas pro ipſa; nàm ad quid eſt petere à Deo, ipſiqué gratias retribuere pro eo beneficio, ad quod ipſe eſt determinatus, moraliterquè abſolutè neceſsitatus ; quodquè cedit in maiorem gloriam ipſius Dei, quàm noſtram ? Nàm juxta contrarios, ſi Deus omitteret incarnationem, Deus non eſſet Dees : ergò &c.

14 Recentiores aliqui, ùt vitent hæc omnia, aliter explicant neceſsitatem moralem; dicunt enim, quod ſi Deus non decerneret Incarnationem, non ſequeretur, quod Deus non eſſet

eſſet Deus, nèc aliqua cotradictio; ſequeretur tamen, quod non eveniret tùnc, quod eſt moraliter infallibile. Undé, cùm hoc non poſsit dici, infertur, Deum eſſe moraliter neceſsitatum ad Incarnationem decernendam. Sèd contra 1.: ideò, juxta hos A. A., hæc moralis neceſsitas, ſic explicata, ad Incarnationem ponitur in Deo, quia ſe amat perfectiſsimè, & non ſic ſe amaret, ſi non decerneret Incarnationem ad ſuam gloriam extrinſecam manifeſtandam. Ex qua reſponſione ſic argumentor: ſi Deus non ſe amaret perfectiſsimè, non eſſet Deus; séd ſi non decerneret Incarnationem, non ſe amaret perfectiſsimè: ergò ſi liberè omitteret Incarnationem, ſequeretur non eſſe Deum, quod negat reſponſio.

15 Contra 2.: qui eſt neceſsitatus moraliter ad aliquem effectum, cùm difficultate illum omittit; séd Deo repugnat adhùc leviſsima difficultas ad incarnationem omittendam: ergò &c. Min. eſt evidens; probatur mai.: non ſtat moralis neceſsitas ad aliquid abſqué intrinſeca, & vehementi inclinatione in illud; séd non omittitur ità facilè opus, ad quod datur vehemens inclinatio, ſicùt omittitur opus, ad quod talis vehemens inclinatio non datur: ergò nequit omitti abſque difficultate opus, ad quod datur moralis neceſsitas. Minor conſtat communi Theologorum doctrina, docentium: hominem non præventum gratia ſpeciali non poſſe omittere abſque magna difficultate omnia peccata venialia proptèr vehementem inclinationem in ipſa ex imbecillitate naturæ.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

16 Arguitur 1.: Concilium Francoford. ſcribens ad Epiſcopos Hiſpanię ait: *credamus Deum omnia velle, quæ meliora ſunt.* Div. Auguſt. lib. 3. de libero arbitrio cap. 5.: *quidquid tibi occurrit vera ratione melius, hoc ſcias, Deum feciſſe.* Clemens Alexand. in lib. 6. ſtrom.: *Deus cum ſit bonus, ſi ceſſavit unquam benefacere, Deus quoqué eſſe ceſſavit;* sèd hæc probant, Deum eſſe ſaltèm moralitér neceſsitatum ad benefaciendum, & conſequentèr ad exequendam Incarnationem: ergó &c. Reſpondeo 1. negando min.: quia nèc Concil. nec P. P. loquuntur, attentis præciſis predicatis neceſſarijs Dei, sèd ex ſuppoſitione decreti Incarnationis; undè dum non conſtat oppoſitum, credere debemus, quod Deus fecit meliora, & congruen-

gruentiora nobis ; *quia ſi proprio Filio ſuo non pepercit , ſèd pro nobis tradidit illum , quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit.* ? Clemens Alexand. hyperbolicè , & modo concionatorio locutus eſt ; quià ab æterno erat Deus , & infinitis ſæculis ceſſavit benefacere , quin ceſſaret eſſe Deus.

17 Reſpondeo 2.; quòd ly *meliora* juxtà mentem Concilij , & Aug. non ſumitur abſolutè , nèc comparativè ad minùs bonum , ſèd tantùm ad *non bonum* , aut *ineptum* , ad conſecutionem finis, ùt plerumquè nos facimus ponentes media inutilia , cogitantes apta eſſe ad talem finem conſequendum : non ſic autèm Deus ; ſèd ſemper facit , quod bonum eſt , & utile ad finem intentum. Undè non ſolùm moraliter , ſèd etiam phyſicè manet conſequenter neceſſitatus Deus ad ſic eligendum; quià phyſicè repugnat conſecutio finis intenti per media ineptà , & inutilia. In hoc igitur ſenſu credo ; Deum ſemper meliora eligere ; ſèd ex hoc non ſequitur ulla neceſsitas in Deo ad producendum optimum , & Incarnationem exequendam.

18 Arguitur 2. Deus magis amat benefacere creaturis , quam Parentes proprijs Filijs ; ſèd iſti ſunt moraliter neceſsitati ad amandos Filios , volendo illis meliora ; ergò &c. Mai. conſtat. ex illo Lucæ 11.: *ſi vos , cum ſitis mali , noſtis bona dare Filijs veſtris , quantò magis Pater veſter de Cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?* Hoc argumentum ſi probat , probat , quod in his , in quibus datur proceſſus in infinitum , teneatur Deus moraliter ad danda creaturis maiora , & maiora dona , v. g. gratię , vèl gloriæ uſquè in infinitum , quod repugnat ; quià quolibet gradu aſsignato , adhùc reſtant maiora , & meliora danda.

19 Reſpondeo tamèn , conceſsis præmiſsis , negando conſeq.. Ad textum dico 1. : Deum magis amare beneficentiam creaturarum , quàm Parentes Filiorum ; nunquam tamèn neceſsitatus moraliter. Undè ly *quantò magis* ſolùm ſignificat intenſionem divini amoris ; ſicut qui amat ſupellectilem aliquam maiore intenſione ac Filios , non verò eadem neceſsitate morali. Dico 2. : hunc , ſimileſquè textus eſſe extra quæſtionem; nam loquuntur de Deo non attentis præciſsè prædicatis neceſsarijs ipſius , quo in ſenſu eſt difficultas; ſèd attentis decretis , & promiſsionibus factis ; cum loquantur de creaturis , quas Deus liberè decrevit , & ordinavit ad dona ſu-

ſupernaturalia : & hac ſuppoſitione facta , quid mirum quod detur in Deo maior neceſsitas, quàm in Parentibus ; nàm iſtis poſitis , eſt in Deo neceſsitas conſequens , non ſolùm moralis, sèd metaphyſica ; aliàs eſſet infidelis.

20 Arguitur 3.: omnis volitio Dei neceſſariò eſt honeſtior omni excogitabili ; séd ſi Deus non vellet neceſſariò Incarnationem , ùt opus optimum , ejus volitio non eſſet honeſtior : ergò &c. Probatur min. : volitio mali eſt inhoneſta : ergò volitio minús boni , eſt minùs honeſta: ergò ùt ſit honeſtior debet eſſe optimi , hoc eſt Incarnationis. Hoc argumentum probat in Deo neceſsitatem phyſicam , quam non concedunt contrarij. Reſpondeo, conceſſa mai. negando ſuppoſitum minoris ; quià honeſtas volitionis divinæ non ſumitur ex objecto puré terminativo , ùt ſupponit minor ; sèd vèl ex objecto motivo , quod eſt infinita bonitas Dei ; vèl ex conformitate cùm ſcientia divina , quæ dictat , malum non eſſe objectum amoris Dei : & minùs bonum , aùt optimum , poſſet liberè diligi tám phyſicè , quàm moralitèr. Undé libera volitio minús boni æquè honeſta eſſet in Deo , equé conformis Divinæ ſcientiæ , & ex objecto motivo divinæ honeſtatis , ac volitio optimi. Quarè ad probationem minoris , concedo antec. & nego utramque conſequentiam.

21 Arguitur 4. : ſi Deus ex ſe eſt magis inclinatus ad Incarnandum , poteſt eſſe moralitér neceſsitatus ad hoc ; sèd Deus ex ſe eſt magis inclinatus ad Incarnandum , quam ad non Incarnandum : ergò &c. Probatur min. : Deus magis inclinat ad faciendum , quod magis placet amore neceſſario ; sèd Deus magis placet amore neceſſario in Incarnatione , quàm in ejus carentia : ergò &c. Probatur min.: Deo magis placet maius bonum, quàm minus : ergò &c. Confirmatur 1. : Divina voluntas neceſſariò ſe conformat cùm dictamine intellectus divini ; séd divinus intellectus neceſſariò approbat , út meliùs , quod in ſe meliús eſt : ergò voluntas divina neceſſariò vult , quòd in ſe meliús eſt : ergò neceſſariò vult Incarnationem. Confirmatur 2.; quià divinus intellectus non approbat malum , nequit voluntas divina eligere malúm : ergó quià divinus intellectus magis approbat maius bonum , voluntas divina nequit eligere minus bonum. Hoc argumentum probat neceſsitatem metaphyſicam decernendi Incarnationem , quod eſt pluſquàm falſum. Reſ-

22 Reſpondeo tamen permiſſa mai., negando minorem cùm ejus probatione; quià út communitèr tenent Noſtrates in tract. de *Voluntate Dei* ex mente S. Doct. in 1. Diſt. 10. §. *contra iſtud argumentum*, Deus non diligit neceſſariò poſsibilia, sed liberè quoàd exercitium; quia ſunt objecta finita, & limitata, & mille imperfectionibus plena; undé nequeunt divinam voluntatem neceſsitare. Túm, quiá vileſceret divina voluntas, ſi neceſsitaretur à finita, & imperfecta bonitate. Túm, quià talis amor neceſſarius repugnaret cúm perfectiſsimo dominio Dei, & independentia ſumma à creaturis. Undé, etſi Deo magis placeat maius, quàm minus bonum, non ob hoc ſequitur ulla neceſsitas in Deo, quia hæc maior complacentia eſt libera: & ſumma infinita Dei libertas non poteſt compati cúm morali neceſsitate.

23 Ad 1. confirmationem, conceſſa mai. diſtinguo min.; sèd divinus intellectus neceſſariò approbat, hoc eſt, judicat, út meliús, quod in ſe meliùs eſt, conc. min.: approbat, hoc eſt, dictat, út præcisè eligendum, nego min. & conseq.; quiá ad plures fines divinos erit meliús eligere, quod eſt minus bonum, ſicut elegit, quod non Incarnaret tota Trinitas; & diſtulit Incarnationem tanto tempore, & non fecit Mundum meliorem iſto, quæ omnia meliora erant, quàm ſua contradictoria. Ad 2. confirmationem, nego conſeq., ſi ly *approbare* ſumatur pro dictare *determinatè*; undè certum eſt, quod ſi intellectus divinus non approbat malum, uti non approbat, nequit voluntas eligere malum. At licét judicet, unum objectum eſſe melius alio, poteſt in ſimùl dictare, ad hos, vèl illos fines eſſe meliùs eligere minùs bonum in ſe; ideoqué poteſt eligere minùs bonum voluntas.

24 Arguitur 5.: in Deo non poſſunt dari inclinationes contrariæ; séd Deus ratione ſuę ſummæ bonitatis inclinat in communicationem ſui: ergò hæc inclinatio Deum neceſsitabit: ergò & neceſsitabit in ſummam communicationem ſui fiendam per Incarnationem. Probatur mai.: duæ inclinationes contrarię non poſſunt inter ſe identificari; séd identificarentur, ſi darentur in Deo: ergò &c. Reſpondeo, diſtinguendo mai.: in Deo non poſſunt dari inclinationes *poſitivè* contrarię, conc. maiorem: *negativè* contrarię, nego maiorem; & conceſſa min. diſtinguo eiſdem terminis maiorem probationis.

25 Explicatur ſolutio: inclinatio ad puniendum proveniens ex juſtitia, & inclinatio ad miſerendum proveniens ex miſericordia, ſolùm *negativè* contrariantur, ſicùt juſtitia, & miſericordia in Deo; quatenùs inclinant in objecta materialitèr contraria; non verò poſitivè; quiá nec miſericordia movet ad miſerendum ex odio juſtitiæ, né exerceatur: néc juſtitia movet ad puniendum ex odio miſericordię; séd utraque ex proprio fine movet ſine poſitiva contrarietate. Undé in Deo hęc attributa, eorumquè inclinationes ſunt realitèr, aùt formalitèr indentificatę. Sic paritèr divina bonitas, & divina Maieſtas, ſeú dominium ſummum Dei, non contrariantur *poſitivè*. Undè divina bonitas inclinat ad ſe communicandum, non ex odio divini dominii, séd ad oſtendenda ſua attributa. Paritèr divina Maieſtas, ſeù divinum Dominium inclinat ad non communicandum ſe neceſſariò, non ex odio divinę bonitatis, séd ad exercendam divinam libertatem, & ex alijs finibus. Et ſic iſtæ inclinationes ſunt in Deo realitèr, vèl formalitèr identificatę, non minús ac divina bonitas, & Maieſtas.

26 Arguitur ultimò, & eſt replica. Divina Maieſtas non poteſt inclinari in id, quod non eſt ipſi bonum; sèd *non communicari* non eſt bonum divinæ Maieſtati: ergò &c. Probatur min.: non eſt bonum Divinę Maieſtati *non cognoſci*, *non adorari*: ergò néc *non communicari*: ergò attenta Maieſtate divina, hæc neceſſariò inclinatur ad ſe communicandum. Reſpondeo, diſtinguendo mai.: divina Maieſtas non poteſt inclinari in id, quod non eſt ipſi bonum, vèl *poſitivè*, vèl *negativè* conc. mai.; in id, quod non eſt bonum *poſitivè*, eſt tamèn *negativè*, nego min. & conſeq.. Itaquè *communicari* eſt bonum extrinſecum Deo, non intrinſecum, nèc augens felicitatem. *Non communicari*, ex terminis non eſt bonum *poſitivè*, sèd *negativè*; quià non eſt malum, néc minuens Dei felicitatém: & alij fines, quos Deus intendere poſſet per ſui *non communicationem*, poſſent eſſe *poſitivè* bona extrinſeca Dei. Deindè, fuit poſitivè bonum, Deum non incarnari tempore Adam, Noè, & Abraham &c. Cûr ergò erit poſitivè malum, ſi non fuiſſet incarnatus, & communicatus toto noſtro tempore? Certè non video ex quo capite.

QUÆST.

QUÆST. II.

AN EX SUPPOSITIONE ALIqua contingenti, Deus fuerit moraliter neceſsitatus ad Incarnationem decernendam?

1 ALiqui A. A. dixerunt Deum fuiſſe ſimpliciter neceſsitatum ad Incarnandum ex ſuppoſitione, quòd voluerit creare univerſum, eſtò nullum eſſet peccatum. Alij ex ſuppoſitione ſolùm lapſus generis humani. Hæc ſententia tribuitur Div. Anſelm. toto libro: *cûr Deus homo*, & Ricardo de Sancto Vict. lib. de Incarnatione, cap. 8. Alij tenent, non fuiſſe ſimpliciter neceſsitatum, niſi ex ſuppoſitione, quod decreverit, reparare genus humanum per condignam ſatisfactionem. Sic communiter Thomiſtæ, & Jeſuitę. Alij demùm docent, Deum ſolùm fuiſſe neceſsitatum incarnari, ex ſuppoſitione, quòd decreverit incarnationem. Quid nobis? per ſequentes concluſiones declaravitur.

2 Dico 1.: ex ſuppoſitione creationis univerſi, non fuit Deus ſimpliciter neceſsitatus ad Incarnationem. Eſt communis, & probatur: ſecundùm fidem, Deus ad *extrà* ſolùm operatur liberè; ergò eſtó decreverit condere univerſum, non neceſsitatur ad Incarnationem: cùm hæc ſit operatio ad *extrà*. Confirmatur: ex vi decreti creationis univerſi, ſolùm neceſsitatur Deus ad creandas creaturas, quæ habent neceſſariam connexionem cùm univerſo; ſed incarnatio nullam talem connexionem habet; quià utpoté ens ſupernaturale non eſt ex ordine univerſi, nèc de eius naturali conſtitutione, sèd omninò ſuprà naturam: ergó ex ſuppoſitione creationis, &c.

3 Dices: ad naturam tanti Artificis, ſcilicét, Dei, ſpectat omnia facere perfectiſsimè; sèd ut mundus ſit perfectiſsimus, indiget Incarnatione: ergò eſtò Deus ſit liber in orbe creando, tamèn ex ſuppoſitione ipſius creationis manſit neceſsitatus ad Incarnationem. Reſpondeo, diſtinguendo mai.: ad naturam tanti Artificis ſpectat omnia perfectiſsimé facere *ex parte modi faciendi*, conc. mai.: *ex parte rei factę*, nego mai., & min., & conſeq. Sicùt enim Artifex humanus, quà perfectus, non petit, quòd materia, ex qua facit ſtatuam, ſit optima, aùt perfectior, v. g. aurea, sèd unicè, quòd ſtatua fiat perfectè iuxta regulas artis, ex quacumque materia fiat; ſic Deus non neceſsitatur

ad optimum faciendum, sèd ſolùm ad id, ùt id, quod fit, optimè fiat.

4 Dico 2.: etiam ſuppoſito hominis lapſu non fuit neceſſarium ſimplicitèr, Deum incarnari. Eſt expreſſa Scoti in 3. diſt. 2. §. *in iſtis*, verſic. *præterea*, ubi expreſsè probat, quòd nulla eſt neceſsitas, genus humanum reparari: igitùr nèc Chriſtum pati. Undè iuxtá eius doctrinam ibi, ex ſuppoſitione creationis hominis, & permiſsionis peccati, nulla fuit in Deo neceſsitas ad hominem reparandum, niſi ad ſummùm ex ſuppoſitione decreti prædeſtinativi, quòd non arguit neceſsitatem abſolutam antecedentem, séd ſolùm immutàbilitatis, & conſequentiæ, quę ſtat cum contingentia; quiá ſicùt contingens fuit, hominem prædeſtinare, & Chriſtum providere paſſurum, ità contingens fuit, hominem reparare, Chriſtum pati mortem, & Deum incarnare. Declaratur exemplo: ſi Deus decrevit, creare Petrum: ergò Petrus neceſſariò fit; séd hæc neceſsitas eſt tantùm conſequentiæ, ſicùt iſta: *ſi curro*: ergò *moveor*: antecedens enim, & ſimiliter conſequens eſt ſimplicitèr contingens. Sic ſimiliter in propoſito.

5 Probatur concluſio 1. ex Sac. Scriptura: ſapientiæ 12. dicitur: *quis tibi imputaverit, ſi perierint nationes quas tu feciſti?* Et reddens rationem ait: *non enim eſt alius Deus, quàm tu*, id eſt, cùm tu ſolus ſis Deus, & Dominus omnium, qui liberè de ipſis ſtatuere potes quodlibet, nec poteſtatem, nèc rationem ſuperiorem habes: ergó quód pereant omnia, poſtquàm facta ſunt (ſi ſua voluntate pereant) nullus tibi rationem imputabit. Probari etiàm poterat ex cap. 8. Ieremiæ, verſic. 5., & 6. exemplo figuli. Sèd hìc præ oculis habenda eſt plauſibilis ſententia curſus huius Almæ Provinciæ, tom. 2. Tract. 5. diſp. 2. quęſt. 4. *de Prædeſtinatione ad gloriam pòſt præviſa merita*; nè inconſequentèr procedatur. Quarè exemplum de figulo, & luto non in omnibus tenendum eſt, ùt ibi docetur.

6 Probatur 2. Concluſio; adhùc ſuppoſito lapſu generis humani, myſterium Incarnationis prædicatur à ſcriptura, & S.S. P.P. ùt maximum beneficium; quòd enim maius, quàm quòd Deus offenſus, ût ſervum redimeret, Filium ſuum tradiderit? Et certè eò maius, quò genus humanum indignius; sèd non eſſet tantum beneficium, ſi ex ſuppoſitione lapſus eſſet Deus ſimplicitèr neceſsitatus ad Incarnationem, ut de

ſe

ſe patet : ergò &c. Mai. 1. conſtat ex illo ad Roman. 5. *commendat autem charitatem ſuam in nobis , quoniàm cùm adhùc peccatores eſſemus : : Chriſtus pro nobis mortuùs eſt.* 2. ex illo Divi Leonis : *Deus , cuius natura bonitas , cuius voluntas potentia , cuius opus miſericordia eſt , utraque ſanè , & omnipotentia, & clementia in opere ſuo, ſcilicèt homine refingendo, enituit*: Probatur tandém concluſio: ideo homine lapſó , Deus neceſsitaretur ad Incarnationem , quia teneretur ipſum reparare ; sèd hoc admiſſo non eſſet neceſsitatus ad Incarnationem ; quia poſſet alio modo reparare , út conſtabit ex quæſtionibus ſequentibus : ergò &c.

7 Dices 1. : Deus ordinavit hominem ad beatitudinem , quam neceſſariò conſequetur ; séd ſtans in lapſu, non poteſt illam conſequi , quin reparetur : ergò neceſſarium eſt illum reparari ; sèd hoc non poteſt fieri , niſi per incarnationem : ergò ſuppoſito lapſu neceſſaria eſt Incarnatio. Hoc argumentum tangit difficultatem tactam in ultimis verbis §. antecedentis. Reſpondeo tamèn, quòd Deus ordinavit hominem ad beatitudinem poſt ejus merita prævisa : án anté, vél pòſt lapſum prævisum , non eſt præſentis negotii. Supponimus pro nùnc tamquàm certum in noſtris principiis , ex dicendis tract. ultimo huius, quòd ſive homo peccaſſet , ſivè non peccaſſet , Verbum Divinum eſſet incarnatum, factumquè homo : undè Incarnatio quoad ſubſtantiam, eiuſquè ordinatio non pendet à lapſu hominis. Séd hoc omiſſo,

8 Reſpondeo 2. diſtinguendo maiorem : Deus ordinavit hominem ad beatitudinem liberè , quam tamèn neceſſariò conſequetur, *neceſsitate conſequentiæ* , concedo mai. : Deus ordinavit hominem neceſſariò ad beatitudinem, quam neceſſariò conſequentèr , *neceſsitate antecedenti abſoluta , ſimplicitèr tali*, nego mai. : et omiſſa minori , diſtinguo eiſdem terminis conſequens. Ad minorem imbibitam, nego ipſam abſolutè ; quià alio modo , ùt dixi in ultima probatione concluſionis , abſquè Incarnatione , & Paſsione Chriſti Domini poterat homo reparari à ſuo lapſu. Solutio conſtat ex dictis , quæſt. 1. huius, num. 1. & 2. agendo de neceſsitatibus.

9 Dices 2. : homo lapſus néceſſariò reparandus erat: ergò neceſſaria erat Incarnatio. Prob. antec. : quod eſſet indecens Deo , ſi non fieret , neceſſariò fit ; sèd indecens eſſet Deo,

non

non reparare homines, ſuppoſito eorum lapſu : ergó. Probatur min. : indecens eſſet Deo non reparare ruinas Angelorum; sèd hæc ruina Angelorum non poterat reparari, niſi reparando lapſum hominum : ergó. Probatur min. : non poterat hæc ruina reparari per creationem aliorum Angelorum ; quià iſti de novo creati tales eſſent ac illi, qui ceciderunt : ergó hęc ruina neceſſariò reparanda erat, reparando homines á lapſu. Feré omnes propoſitiones argumenti ſunt falſæ. Quarè

10 Reſpondeo, negando primum antec. ; quià ex dictis in probationibus concluſionis, Deus potuit liberrimè relinquere hominem in ſua perditione, ſuoquè lapſu ; séd antecendenti admiſſo, nego conſeq. ; quia ex ſæpé dictis, & ex dicendis, Deus potuit hominis lapſum reparare, quin incarnaret. Ad probationem nego min.; ad cuius probationem neg. 1. maiorem ; quià cùm ruina Angelorum eſſet ex eorum peccato, & naturę peccati nihil debeatur, niſi ſupplicium æternum ; ad ſummúm fuit ſolúm congruum, ruinam Angelorum reparari. Sèd ipſa omiſſa, nego min. ; nàm potuit Divinum Verbum uniri hypoſtaticé naturę Angelicæ, & ſic per unum actum meritorium reparare Angelos. Ad huius minoris probationem, nego mai., cùm eius imbibita probatione ; quià ſicùt Angeli facti mali, hoc per ſuam voluntatem fecerunt ; ità Angeli de novo creati poterant liberè in bono perſeverare cùm auxiliis diviræ gratię, & reparare ruinas Dæmonum. Hæc concluſio ampliùs conſtabit ex immediatè dicendis.

11 Dico 3.: abſqué præiudicio iuſtitiæ potuit Deus, naturam humanam reparare, ſine ulla ſatisfactione. Eſt communis, & probatur : *ubi nullus eſt iniuſtum patiens, nullus eſt iniuſtum faciens* ; séd, ſi abſqué ſatisfactione humana natura eſſet liberata à Deo, nullus eſſet iniuſtum patiens : ergo nullus eſſet iniuſtum faciens. Probatur min. : in primis homo non eſſet iniuſtum patiens, quiá nihil ab eo auferretur, séd potiùs miſericorditèr conferretur, quod eſſet gratuitum ; néc Diabolus eſſet iniuſtum patiens ; quià nihil iuris poterat allegare in homine per eum ſeductum ; séd aliàs néc Deus ; quia nullus patitur iniuſtum volens ; ſcienti enim, & volenti nulla fit iniuria : ergò nullus eſſet iniuſtum patiens, ſi Deus abſquè ſatisfactione humana repararet humanam naturam ; & conſequentèr abſquè

præiudicio iuſtitiæ potuit hoc facere.

12 Probatur 2.: Deus de potentia ſua abſoluta poteſt condonare hominis peccatum abſquè ulla ſatisfactione : & hoc abſquè præiuditio ſuæ iuſtitiæ: ergò &c. Antec. quoàd p imum part. laté probant noſtri in tract. de iuſtificatione, probantes, Deum poſſe remittere peccatum per condonationem extrinſecam. Prob quoàd ſecundam : quidquid creatura poteſt laudabiliter facere, hoc facit ſine præiudicio iuſtitiæ; ſed poteſt liberaliter, & laudabiliter dimittere culpam, & condonare iniuriam abſquè ſatisfactione offendentis : ergò ſi hoc faceret, faceret ſinè præiudicio iuſtitiæ : ergò ſimiliter hoc faceret Deus, ſi ſic faceret. Probatur conſeq. : quidquid creatura poteſt facere laudabiliter, & miſericorditér, potiori titulo Deus facere poteſt; quià ejus potentiæ, & miſericordiæ non eſt numerus : erg. &c.

13 Dices 1.: Div. Anſelm. lib. 1.: *cùr Deus homo* cap. 24. & 25., probat, quòd homo non potuit redimi ſiné ſatisfactione, ſic : iniuſtus eſt omnis, qui non reddit Deo, quod debet ; quià iniuſtus eſt etiam, ſi non reddat homini, quod ipſe debet ; ſèd omnis peccator debet Deo honorem, quem peccando ei abſtulit : ergò erit debitor, & iniuſtus, quouſquè ei ſatisfecerit. Nùnc ſic ; ſéd nullus iniuſtus admittitur ad beatitudinem : ergò ſiné ſatisfactione non poteſt homo in illam ingredi. Reſpondeo, quòd Divus Anſelm. communiter explicatur à Theologis de neceſsitate immutabilitatis, ſuppoſita divina Ordinatione, & decreto reparandi homines per Incarnationem : qua ordinatione ſuppoſita, non poteramus aliter ſalvari, niſi per ſatisfactionem Chriſti ; ſed quià hæc ordinatio liberè facta eſt, ideó Deus aliter diſponere potuit. Sic Alenſis, Div. Bonavent., Scotus, Suarez, & alij. Sed aliter tamén

14 Reſpondeo, quòd probatio Divi Anſelmi eſt vera, niſi liberaliter fiat remiſsio debiti ex parte creditoris ; illo enim remittente, manet debitor abſolutus ab obligatione ſolvendi. Undé, cùm Deus ex liberali miſericordia potuerit remittere ſinè ſatisfactione offenſam per condonationem, & gratuitam infuſionem gratiæ, potuit etiam ipſum recipere ad gloriam, & gratiam, remittendo ſibi offenſam ; & ſic tunc homo non maneret iniuſtus. Nec propter hoc homo fuiſſet conſecutus gloriam ex peccato, niſi occaſionaliter, & per accidens, ſicùt modò à

peo-

peccato eſt redemptus per ſatisfactionem. Directè, ergo, & per ſe, eſſet gloriam conſecutus ex divina miſericordia, & redemptus.

15 Dices 2.: nihil Deus facit contra judicium ſuæ juſtitiæ; ſed ſi offenſam hominum condonaret ſinè aliqua ſatisfactione, faceret contra ſuam juſtitiam: ergo &c. Probatur min.: divinæ juſtitiæ repugnat, quod delicta maneant impunita: ergo &c. Reſpondeo, conceſſa mai., diſtinguendo min.: ſed ſi hominum offenſam condonaret ſinè aliqua ſatisfactione, faceret &c., *juxtà præſentem providentiam, & ordinationem*, conc., min.: *juxtà aliam Deo poſsibilem*, nego minorem, & conſeq., & antec. probationis. De facto Deus ſtatuit, nullum peccatum remittere ſinè ſatisfactione propria, vèl aliena; sèd ratione ſui ſupremi dominij, abſquè aliquo præjudicio ſuæ juſtitiæ, & æquitatis potuit decernere condonationem peccati abſqué ulla ſatisfactione. Si enim Petrus, cui centum debentur, poteſt remittere debitum abſque violatione juſtitiæ, cûr & non poterit Deus condonare peccatum abſquè violatione ſuæ juſtitiæ, & æquitatis?

16 Nèc ex eo, quod Deus relinquat peccatum impunitum, juſtitiam violat; quià relinquere delictum impunitum, eſt injuſtum ſolùm, vèl quia fit in præjudicium tertij poſtulantis ſatisfactionem: vèl in præjudicium reipublicæ, cui expedit né delicta maneant impunita, né homines audaciores reddantur ad ſimilia peccata perpetranda: vèl tamdèm, quia fit ſinè ſufficienti authoritate. Nunc ſic; sèd nihil horum habet locum reſpectu Dei: ergo. Minor quóad primam partem conſtat; quia Deus, cui deberet fieri ſatisfactio, ipſam non poſtularet. Quóad ſecundam etiàm conſtat; quia Deus ratione ſuæ Omnipotentię, & ſapientiæ efficere valet, quod ex eo, quod peccata remitterentur ſinè ſatisfactione, non orirentur ſimilia peccata in Republica, nequé homines audaciores fierent. Quòad tertiam etiàm liquet; quia cûm ſit Deus ſupremus Dominus, habet ſufficientem authoritatem ad hoc diſponendum.

17 Dico 4.: etiam ſuppoſito, quod Deus decreverit hominem à peccato liberare per aliqualem ſatisfactionem, non fuit ſimpliciter neceſſaria Incarnatio. Eſt communis, & probatur: eſtó Deus non poſſet non exigere aliqualem ſatisfactionem pro culpa, potuit illam ab unoquo-

quoque homine exigere, ità ùt quilibet teneretur ſatisfacere pro peccato proprio, ſivè originali, ſivè actuali; ſed hoc ſuppoſito, non eſſet neceſſaria ſimpliciter Incarnatio: ergo &c. Probatur mai.: de facto quilibet pro ſuo peccato actuali tenetur exhibere ſatisfactionem, qua poſita remittitur peccatum: ergo de potentia abſoluta poſſet Deus illam exigere ab unoquoque, etiàm pro originali. Probatur conſeq.: núnc de facto pro peccato actuali, quod eſt propriè voluntarium homini, ſufficit uniuſcujuſque ſatisfactio: ergo á fortiori pro peccato originali, quod tantùm eſt voluntarium interpretativè, aût in cauſa, etiam ſufficiet.

18 Dices contrà hoc: ideò de facto ſatisfactio hominis eſt ſufficiens pro peccato actuali, quià elicitur ex gratia data ex meritis Chriſti, quod tùnc non eveniret. Sed contrà ex Doct. in 4. Diſt. 15. quæſt. 1. num. 4. & 5.: de potentia abſoluta potuit conferri prima gratia homini ſinè meritis Chriſti Domini: ergó & cum illa poſſet homo elicere ſatisfactionem. Probatur antec.: ſumma gratia de facto collata fuit animæ Chriſti Domini ſiné ipſius meritis: ergo & de potentia Dei abſoluta potuit conferri puræ creaturæ. Si aliquæ hic objiciantur authoritates S. S. P. P., explicantur, ſicùt explicata fuit author. Divi Anſelm. poſita concluſione tertia de neceſsitate immutabilitatis, & ex ſuppoſitione ordinationis præſentis providentiæ; præterquamquòd de illis fiet ſermo quæſt. ſequenti.

19 Dico 5., & ultimò: ex ſuppoſitione decreti reparandi genus humanum per condignam ſatisfactionem, adhùc non fuit ſimpliciter neceſſaria Incarnatio. In hac concluſione adverſantur nobis tàm Thomiſtæ, quàm Jeſuitæ; ex diverſis tamèn principijs. Thomiſtæ enim aſſerunt, impoſsibilem eſſe condignam ſatisfactionem exhibitam á pura creatura; quià dicunt, peccatum lethale eſſe ſimpliciter infinitum in ratione offenſæ, aût in ratione demeriti. Jeſuitæ verò judicant, peccatum mortale, licét ſit ſimpliciter finitum, eſſe tamèn ſuperioris ordinis ad quamcumque ſatisfactionem poſsibilem exhiberi à pura creatura. Undè, ût hæc difficultas radicaliter reſolvatur, hic ad litteram transferenda eſt quæſtio ſecunda diſputationis tertiæ, tract. 14. curſus huius almæ Provintiæ. Præterea, quia difficultas in concluſione appoſita eſt una ex principalioribus huius tract., ideo ſit

QUÆST. III.

AN PURA CREATURA POSſit ſatisfacere de condigno pro peccatis aliorum?

1 NOto primò, quòd nomine puræ creaturæ non intelligimus hic Angelum, aût hominem in puris naturalibus, ût intellexit Caietanus; séd hominem, vêl Angelum non unitum hypoſtaticè Deo, conceptum ſinè peccato, & ornatum illa plenitudine gratię, & donorum ſupernaturalium, quam Chriſtus Dominus habuit, ſola unione hypoſtatica excepta. Undè ſenſus eſt: ân pura creatura ſic concepta, & ornata potuerit ſatisfacere de condigno pro univerſis peccatis lethalibus, ſeù mortalibus aliorum hominum? Dixi *mortalibus*; nâm de venialibus non eſt ſpecialis difficultas. Dixi *aliorum hominum*; quià de proprio peccato diſputabitur quæſt. ſequenti.

2 Noto ſecundò ex Scoto in 4. diſt. 15. qnæſt. 1. num. 3., *quòd ſatisfactio, ſeù compenſatio eſt redditio voluntaria æquivalentis aliàs indebiti.* Explicatur: dicitur *redditio*; quià non eſt abſoluta datio, ſeú ſimplex gratuita donatio. Dicitur *voluntaria*; aliàs eſſet *ſatiſpaſsio*, ût in Inferno, & Purgatorio. Dicitur *æquivalentis*; quià id, quod redditur, æquivalere debet ad id, quod fuit acceptum, & habere proportionem cum debito; & licèt non requiratur æqualitas in entitate, exigitur tamén in valore, & æſtimatione. Demúm dicitur *aliàs indebiti*; nám non debet eſſe alio titulo debitum; quià non fit ſatis creditori per ea, quæ aliàs ipſi jám debentur: ut ſi debeas Petro quatuor ratione cenſus, & ipſi debeas quatuor ratione emptionis, non ſatisfacis ei reddendo ſolúm quatuor.

3 Noto tertió, quód ſatisfactio ſic definita eſt triplex: ſatisfactio *de toto rigore juſtitię*, quę, prętèr conditiones aſsignatas, habet alias in iſtis virtualiter, aut implicitè incluſas, de quibus tract. ultimo huius, dúm de ſatisfactione Chriſti Domini agamus. Secunda eſt ſatisfactio *de condigno*; quia per ipſam redditur æquivalens, licèt aliàs ſit ex bonis à Creditore conceſsis, eſtò ex hoc non ſit ex rigore juſtitiæ; undé abſolutè non eſt ſatisfactio æquivalentis, *aliàs indebiti.* Tertia ſatisfactio eſt imperfecta, ſeù *de congruo*, cuî deficit illa conditio *æquivalentis*; quià per ipſam non redditur æquivalens; vel quia creditor

tor remittit partem debiti, vel quia debitor non ſolvit adęquaté, ſed ſolúm ſecundùm aliquam proportionem moralem.

4 Noto deniqué; quód in præſenti ſolúm loquimur de ſatisfactione in ſecundo ſenſu capta, hoc eſt, de ſatisfactione *de condigno*, & ad ęqualitatem pro peccatis aliorum; non verò de ſatisfactione ex toto rigore juſtitię. De hac enim fiet loco cit. num. antec.. Undè ùt advertit N. Maſtrius hic, diſp. 4. quæſt. 5., quidam R. R. non benè perceperunt ſenſum huius quæſtionis, dùm in deciſione ipſius ſtatuunt contrà Scotum, & Scotiſtas, nullam puram creaturam potuiſſe Deo ſatisfacere de condigno, & *ex rigore juſtitiæ* pro peccatis noſtris. Hoc enim non eſt in controverſia, nèc negatur á Scoto, & Scotiſtis, ſi ſumatur ſatisfactio ex rigore juſtitiæ. His notatis,

5 Triplex in præſenti eſt ſententia. Prima Thomiſtarum negantium; qui ducti ſunt fundamento de gravitate ſimpliciter infinita in ratione offenſæ peccati lethalis, deſumpta ex parte Perſonæ offenſę. Undè ab hac infinitate præſcindendo, quám plures Thomiſtæ dicunt, quòd pura creatura ornata plenitudine gratię poſſet ſatisfacere ad æqualitatem pro peccatis aliorum. Secunda ſententia, quę eſt Jeſuitarum cum Suarez, etiàm eſt negativa, & aſſerit, talem creaturam poſſe ſatisfacere aliquomodò quóad ęqualitatem rei ad rem; ſed quia offenſa ratione Perſonæ offenſæ eſſet in ſuperiori ordine, hinc fit, quòd ſatisfactio purę creaturæ non eſſet omninò æqualis offenſæ divinæ. Tertia ſententia eſt affirmativa, & eſt Doct. in 3. diſt. 20. & in 4. diſt. 15. quęſt. 1. articul. 2. Ipſum ſequuntur omnes Scotiſtæ, cum quibus ſit

CONCLUSIO.

6 Purus homo ſinè peccato conceptus conſtitutus caput aliorum, & ornatus plenitudine gratiæ, & donorum, quę Chriſtus Dominus habuit, potuit in alia providentia condigné, & ad æqualitatem ſatisfacere pro peccato lethali alieno. Probatur primò ex Doct. cit.: ſatisfactio de condigno, & ad æqualitatem eſt redditio æquivalentis pro æquivalente; ſed purus homo ſic ornatus poteſt reddere æquivalens injuriæ, & offenſę Dei: ergo &c. Probatur min.: reddere tantum, quantum peccatum abſtulit, eſt, reddere æquivalens; ſed hoc poteſt facere ille homo: ergo &c. Probatur min.: ſi per peccatum abſtulit homo à

Deo rationem ultimi finis, converſione n ad eùm, atqué honorem ſibi debitum, poſſet per actum charitatis valdé intenſum reſpicere Deum, út ultimum finem, converti ad Deum, redderequé ipſi tantum honorem, quantum abſtulit; nâm peccatum non aufert à Deo, niſi quod homo ipſi tribueret, ſi eliceret actum charitatis valdé intenſum: ergò. Varié reſpondent contrarij huic rationi.

7 Suarez primò reſpondet negando aſſumptum: quia ut ſatisfactio habeat æqualitatem cum offenſa, requiritur, quód Perſona ſatisfaciens habeat proportionem in ratione dignitatis cum Perſona offenſa, quam habere non poteſt pura creatura, quantumvis ornata gratia; quia ſempér infinité diſtat à dignitate Perſonę offenſæ. Sed contrá: ſatisfactio non exigit æqualitatem inter Perſonam, & Perſonam, ſed ſolùm intér obſequium, & injuriam: ergo ſi injuria non eſt infinita, poterit æquari per obſequia à creatura exhibita, hoc eſt, per actus ſummé intenſos charitatis. Conſeq. conſtat; quia ſi ſufficit, út intercedat proportio intér obſequium, & injuriam, & quód tantum honoris accipiat offenſus ab obſequio offendentis, quantum honoris ablatum fuit per injuriam, ſi hæc eſt finita, poterit compenſari per obſequia præſtita à creatura.

8 Probatur primum antec., in quo ſtat difficultas: ſi requireretur æqualitas inter Perſonam, & Perſonam, nunquám perſona inferior poſſet ad æqualitatem ſatisfacere injuriæ illatæ Perſonæ Ordinis ſuperioris; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Prob. min.: poteſt homo vilis, & plebeius, qui contumelijs Regem affecit, elicere obſequia ità præſtantia, ut ſaltém in æſtimatione morali, cenſeantur exæquari offenſæ, & plené ſatisfacere Regi: ut ſi manifeſto vitę periculo ſe exponat pro liberando Regem à morte, vêl captivitate: ergo falſum eſt &c. Probatur ſecundó idem antec.: ſi antecedens eſſet verum, néc homo poſſet ſatisfacere ad æqualitatem pro peccato veniali; ſed hoc non concedunt Jeſuitæ: ergo &c. Prob. ſequela: dignitas Perſonæ ſatisfacientis, cùm ſit creata, & finita non habet proportionem cum Perſona offenſa per veniale, & hoc eſſet in ſuperiori ordine: ergo non poſſet pro ipſo ſatisfacere.

9 Probatur tertiò idem antec.: quia peccatum mortale eſt gravius veniali, exigit plús ad ſui adæquatam ſatisfactionem: ergo ſi peccatum mortale eſſet

ſimpliciter infinitum in ratione offenſæ, exigeret plùs ad ſui adæquatam ſatisfactionem, quàm ſi tantúm ſit finitum ſimpliciter. Hæc conſeq. conſtat paritate antecedentis, quod concedunt Jeſuitę. Núnc ſic; ſed ſi eſſet ſimpliciter infinitum, eſſet gravius in ratione offenſæ, quàm ſi tantúm ſit ſimpliciter finitum; & adhúc in illa ſuppoſitione ſolúm exigeret ad ſui condignam ſatisfactionem obſequia ſimpliciter infinita: ergo, cùm juxtà Jeſuitas, ſit tantúm ſimpliciter finitum in ratione offenſæ, exigit minora obſequia ad ſui adæquatam ſatisfactionem: ergo ſufficiunt obſequia finita prętſtabilia à pura creatura ſic ornata.

10 Reſpondent ſecundò, quòd licét ęqualitas attendenda ſit intèr obſequium, & injuriam, & non intèr Perſonam, & Perſonam, adhùc tamén offenſa manet ſuperioris ordinis ad quodcumque obſequium puræ creaturæ. Contrá: vêl talis ſuperioritas eſt infinita, vel finita? ſi primum: ergo peccatum ratione offenſæ eſt ſimpliciter infinitum, quod negant. Si ſecundum: ergo exceſſus peccati reſpectivé ad obſequium quamvis creſcat ex Perſona offenſa infinita, cùm infinité non creſcat, eſt ſimpliciter finitus: ergò iſte exceſſus poterit exæquari per intenſionem, vêl multiplicitatem infinitorum obſequiorum. Demus enim, quod exceſſus offenſę eſt gravis, ut centum. Deus poterit dare creaturę ducentos gradus gratiæ; túnc certé poterit elicere ſatisfactiones ęquales in æſtimatione morali illi offenſæ.

11 Reſpondent tertiò Caſpenſis, & Amicus, quód res diverſorum ordinum, eſtò finitæ, ità ſe habent, ût quantùm creſcant inferiores, nunquàm adęquent ipſas. Quantùm enim creſcat perfectio, & numerus animalium, nunquàm adæquabit perfectionem unius Angeli. Sic offenſa ex dignitate Perſonæ offenſę ità eſt in ordine ſuperiori, ût nunquàm poſſet adęquari á ſatisfactionibus creaturę, quę eſt in ordine infimo. Séd contra 1.: licet offenſa peccati lethalis ſit in tali ordine ſuperiori, non eſt tamén ordinis divini per eſſentiam, nêc per communicationem divinitatis, út formæ, ſe ipſa gravificantis offenſam; ſed ſolùm eſt ordinis divini objectivé, quatenùs terminatur ad Deum. Núnc ſic; ſed etiàm actus charitatis eſt ordinis divini objectivé; terminatur namqué ad Deum, ut ad objectum: ergo talis actus charitatis intenſus poterit adæquare gravitatem offenſæ.

12 Contrà 2.: etſi peccatum ſit ordinis ſuperioris modo explicato, poteſt purus homo pro illo condignè ſatisfacere: ergo nulla eſt ſolutio. Prob. ant.: licét in phyſicis res ordinis ſuperioris non poſsint æquari à rebus ordinis inferioris, ut probat exemplum de Angelo, hoc tamén falſum eſt in moralibus; ſed peccatum ad ſummum eſt ordinis ſuperioris moraliter: ergo &c. Probatur mai.: licèt moneta argentea non adæquet phyſicé perfectionem aûri, tamén poteſt ità creſcere in valore, & æſtimatione morali, ut aurum adęquet: ſic libra argenti adæquat moraliter unciam aûri. Similiter actus miſericordiæ ſunt inferioris ordinis ad actus charitatis; & tamèn poſſunt illi multiplicari, & intendi, ût habeant æquale meritum, & valorem cum uno actu charitatis. Et ſic in alijs mille exemplis.

13 Reſpondet 4. Arriaga, rem ordinis ſuperioris poſſe adæquari per multiplicationem rei ordinis inferiôris, ut probant exempla, quandò exceſſus non eſt valdè notabilis; ſecùs veró, quando eſt valdè notabilis, uti evenit in præſenti. Eſt enim infinita diſtantia intér Deum offenſum, & creaturam ſatisfacientem. Quarè eſtò Deus non det infinitatem offenſæ, dat tamén talem ſuperioritatem, ut nequeat adęquari, & compenſari in morali æſtimatione ſatisfactionibus puræ creaturæ. Parificat hoc in peccatis venialibus, quę quia ſunt ordinis inferioris ad mortale, nunquàm poſſunt ipſum adæquare, licèt ſit ſimpliciter finitum; quantumvis illa multiplicentur. Certé hæc reſponſio nihil de novo addit ad primam reſponſionem Suarez, quaré, ût illa, impugnanda eſt. Solúm addit paritatem.

14 Sed contrà: paritas non eſt ad rem: ergó non tenet. Probatur antec.: non ideò peccatá venialia, quantumcumqué multiplicentur, non poſſunt adæquare gravitatem peccati mortalis, quia ſunt inferioris ordinis ad mortale, ſed quia, ut ait S. Doct. in 4. diſt. 21. num. 4., veniale non avertit ab ultimo fine, ſicút mortale; ſi enim averteret ſicùt minimum mortale, túnc ità multiplicari poſſunt venialia, ut excederent, vêl ſaltèm exęquarent quodcumque mortale, ſemèl âc hoc non ſit ſimpliciter infinitum. Ex qua doctrina ſic argumentor pro noſtra concluſione: ſicùt peccatum avertit á Deo, ſic actus charitatis convertit ad Deum: ergó ità iſte multiplicari valet, ut in æſtimatione morali adęquet quamcumque averſionem á Deo. Ex his omnibus reſponſionibus poſſunt efformari validiſsimæ rationes

pro

pro noſtra concluſione. Nùnc veró

15 Probatur 2. ſpecialitèr ex N. R. Quiroga: vêl exceſſus, quem dicit peccatum ex Perſona offenſa, eſt abſoluté, & ſimpliciter purè de condigno compenſabilis, vêl non? Hoc ſecúndum eſt diſſonum rationi: ſi primum, tenet noſtra concluſio: ergo &c. Probatur, quód ſit compenſabilis de condigno. Tûm, quia hæc ſatisfactio de condigno à nobis exigitur per Deum: ergo eſt poſsibilis. Tùm, quià ſi non eſſet poſsibilis ſatisfactio purè de condigno, quæſtio eſſet de ſubjecto non ſupponente. Nùnc probatur min., ſcilicét, quòd, ſi eſt poſsibilis talis ſatisfactio puré de condigno, tenet noſtra concluſio: talis ſatisfactio á nullo alio poterat præſtari, niſi à pura creatura: ergo ſi exceſſus peccati ex Perſona offenſa poteſt compenſari purè de condigno, erit compenſatio à Pura creatura exhibita. Prob. ant.: ab homine non puro, ſivé homine Deo, implicat ſatisfactio, quæ non ſit ſuperabundans ratione Perſonæ infinitæ ſatisfacientis, uti quę de facto præſtita eſt à Chriſto Domino; ſed ſatisfactio ſuperabundans non eſt puré de condigno, ut ex terminis conſtat: ergo ſi hęc eſt præſtabilis, à pura creatura præſtabilis eſt.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

16 Arguitur 1. ex pluribus autoritatibus S. S. P. P., in quibus dicitur, quód nèc purus homo, nêc Angelus, quantumvìs Sanctus, sèd ſolúm homo Deus poſsit ſatisfacere ad æqualitatem pro peccatis hominum. Videantur hæc omnia teſtimonia ad longum relata á Patre Marin, diſp. 3. de Incarn. ſect. 7.. In primis ergo reſpondeo, quód (excepto Div. Anſelm., qui in lib.: *cûr Deus homo*, dicitur, quòd veré fuit oppoſitæ ſententiæ), non deſunt S. S. P. P. qui expreſsè ſtant pro nobis, quoſquè citat N. S. Doct. in locis prę allegatis. Audiatur núnc prò omnibus Div. Aug. lib. de agone Chriſti cap. 11., ubi ait: *ſtulti ſunt, qui dicunt, non poterat aliter Sapientia Dei hominem liberare, niſi ſuſciperet hominem.* Et 3. de Trinit. ait: non defuiſſe Deo alium medium poſsibilem reparandi genus humanum. Sic etiam alij P. P. Sed

17 Reſpondeo 2.: quòd etiam ipſimet adverſarij tenentur reſpondere quàm plurimis ex authoritatibus, quas ex S. S. P. P., contra nos adducunt. Quàm plures enim ex S. S. P. P., ma-

maximè S. Cyprianus Serm. de Paſsione Chriſti, Div. Ambroſ. ad Hebre. cap. 9., S. Leo ſerm. 4. de Paſsione, cap. 4. dicunt, nos non potuiſſe redimi, niſi per mortem Chriſti; ſed hoc non dicunt adverſarij: ergo tenentur reſpondere his P. P. Reſpondeo 3., quòd quàm plures P. P. citat. à Marin loquuntur de puro homine peccato originali obnoxio, de quo non eſt præſens quæſtio, ut dictum eſt in §. 1. huius. Videatur Div. Baſilius, qui ſuper Pſal. 28. ad illud: *redime me Domine*: & Pſal. 48. ad illud: *Frater non redimit*, ſic aic: *non itèm hominem nudum, ſed hominem Deum Jeſum Chriſtum, qui ſolus pro nobis omnibus propitiationem poteſt dare Deo.* Et rationem aſsignat: *nèc igitur Frater, Fratrem redimere, poteſt, nèc unuſquiſque ſe ipſum :::: quoniam ipſe peccato obnoxius eſt. Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei, juſtificanturquè gratis.* En ergo, quomodó Div. Baſilius loquitur de homine nudo peccato originali obnoxio; & ſic non loquitur in ſenſu noſtræ quæſtionis.

18 Reſpondeo tamèn ultimó cum N. Maſtrio, quæquè reſponſio etiám datur á P. Marin pro P. P. aſſerentibus, nos redimi non potuiſſe, niſi per mortem, & paſsionem Chriſti; reſpondeo ergo directè, quòd S. S. P. P. intelligendi ſunt de facto, & ſuppoſito Dei decreto, quód Verbum in carne aſſumpta genus humanum redimeret, in quo decreto includitur voluntas non acceptandi ſatisfactionem Angeli, & puri hominis. Sed non loquuntur de potentia abſoluta, & de puro homine, ut à nobis ponitur ſiné culpa originali, ornatoque omni plenitudine gratiæ, quam hubuit Chriſtus, excepta gratia unionis. Hoc eodem modo reſpondetur ad author. Divi Pauli ad Galat. 2.: *ſi enim per legem juſtitia: ergo gratis Chriſtus mortuus eſt.* Ubi Sanct. Apoſt. vult dicere, quòd Chriſtus non gratis, ſed neceſſarió pro noſtra juſtitia mortuús eſt. Reſpondeo ergo, quód Sanct. Apoſt. arguebat de facto, & ſecundùm legem ſtatutam de incarnando Verbo Divino, út per mortem nos redimeret; non verò loquitur in alia providentia, in qua procedit noſtra quæſtio.

19 Arguitur 2., & eſt fundamentum Thomiſtarum: repugnat, quòd homo purus eliciat ſatisfactionem valoris ſimpliciter infiniti: ergo & quòd ſatisfaciat de condigno, & ad æqualitatem pro peccato lethali; cúm gravitas huius ſit ſimpliciter infinita. Reſpondeo conceſſo antec., negando conſeq., & ejus probatio-

tionem ; quia ût conſtat ex materia de peccatis loc. cit. núm. ultim. quæſtionis antec., eſtò peccatum ſit contrà Perſonam infinitam, â quâ accipit quamdam infinitatem *ſecundùm quid* ; tamèn remanet finitum in ratione offenſę, quia procedit à conatu, & cognitione finitis.

20 Arguitur 3. : nullus poteſt ſatisfacere de condigno, niſi per gratiam habitualem adoptionis ; ſed gratia adoptionis ſolùm eſt principium merendi gloriam, & augmentum gratiæ, & gloriæ, in eo, in quo eſt, & non in alijs : ergo nulla creatura &c. Prob. min. : ſi gratia adoptionis eſſet de condigno meritoria, & ſatisfactoria pro alijs, hoc conveniret Apoſtolis, & Deiparæ, qui illam acceperunt in gradu perfecto ; ſed hoc non dicitur : ergo &c. Reſpondeo conceſſa mai., diſtinguendo min. ; ſed gratia adoptionis ſolùm eſt &c., *de potentia abſoluta*, nego min. ; *de facto*, ſubdiſtinguo min. : *de defectu promiſsionis, & ordinationis Dei*, conc. min. : *defectu alicuius perfectionis gratiæ*, nego min., & conſeq. cum ejus probatione. Sicút enim Deus animæ Chriſti contulit ſummam gratiam, ità, ùt per ejus opera, nèc beatitudinem, nèc augmentum gratiæ, & gloriæ ſibi mereretur, ſed tantùm alijs ; ita poſſet conferre puro homini, conſtituendo ipſum caput aliorum, promittendoqué ejus operibus gratiam, & gloriam, non ſibi, ſed alijs. Idem dic de Deipara, & Apoſtolis.

21 Arguitur 4. pro Jeſuitis : licét offenſa ſit ſimpliciter finita, tamén ratione perſonæ offenſæ eſt ordinis ſuperioris ad quamcumque ſatisfactionem à pura creatura exhibitam ; ſed hoc ipſo pura creatura nequit ſatisfacere pro ipſa : ergo. Maior habetur ab ipſis, ut proloquium, eó, quòd gravitas offenſæ, inquiunt, attenditur ex Perſona offenſa, & valor ſatisfactionis ex Perſona ſatisfaciente. Minorem probant paritate peccati venialis, quod nunquàm aſcendit ad gravitatem mortalis. Secundô paritate injurię vitæ, & famæ, quę compenſari non poteſt per pecunias ; alijſquè paritatibus. Confirmatur : inter offenſam Dei, & ſatisfactionem creaturæ eſt notabilis exceſſus ; cùm Deus, & Creatura infinité diſtent ; ſed hoc ipſo nequit á pura creatura ſatisfieri offenſa Dei : ergo pura Creatura &c. Huic argumento ſatisfactum eſt ex dictis in noſtris impugnationibus, pro varijs reſponſionibus Jeſuitarum. Tamèn breviter

22 Reſpondeo, omittendo maiorem, ad cuius probationem diſtinguo mai. : gravitas offenſæ creſcit ex dignitate Perſo-

næ offenſæ, ſe habentis per modum formæ, vêl ſubjecti illius injuriæ, nego mai.: per modum objecti, ſubdiſtinguo mai.: creſcit *arithmeticè*, nego mai.: creſcit juxtà menſuram cognitionis, & conatus, conc. min.; & nego conſeq. Hęc ſolutio datur ab ipſiſmet R. R. argumentis Thomiſtarum, conantibus probare, peccatum lethale eſſe ſimpliciter infinitum. Itaquè licét dignitas Perſonę offenſæ extrinſecé, & objectivé reddat maiorem injuriam, cûm tamèn injuria limitetur intrinſecè ex cognitione, voluntate, conatu, modoquè tendendi; hinc licèt dignitas Perſonæ infinitæ det offenſę infinitatem, & ſuperioritatem extrinſecam, & *ſecundûm quid*, non tamén aliam. Et hoc modo etiam actus charitatis habet infinitatem, & ſuperioritatem ordinis.

23 Replicabis: offenſa lethalis ſaltim *ſecundûm quid* eſt infinita: ergo ſatisfactio de condigno debet eſſe talis. Núnc ſic; ſed hęc nequit eſſe à pura creatura: ergo &c. Probatur ſubſump.: ſatisfactio à pura Creatura exhibita caret principio, à quo conſtituatur infinita *ſecundûm quid*: ergo. Probatur antec.: non conſtituitur talis, nèc à voluntate, nèc à ſuppoſito, nèc à gratia, nèc ab alio comprincipio ſuperno; cùm omnia ſint finita; ſed nequè ab objecto; aliás quodlibet opus meritorium creaturæ haberet talèm infinitatem: ergo &c. Reſpondeo, diſtinguendo antec.: offenſa lethalis eſt infinita *objectivè*, & *extrinſecè*, conc. antec.; *intrinſecè*, & *formaliter*, nego antec. Eiſdem terminis diſtinguo conſeq.,& nego ſubſumpt. & minorem ipſius probationis. Non enim quęvis creatura quovis actu meritorio poteſt ſatisfacere pro offenſa lethali ob ſuam ſuperioritatem; ſed ſolúm dicimus, quòd creatura ornata omni plenitudine gratiæ poterit ipſam exæquari per actus intenſos, & meritorios, multiplicatoſqué.

24 Arguitur ultimô, eſtquè replica: offenſa gravis ex genere ſuo nequit ſatisfieri de condigno per obſequium leve; ſed offenſa lethalis eſt gravis offenſa Dei, & quævis ſatisfactio puræ creaturæ eſt leviſsimum obſequium ipſius Dei: ergo &c. Prob. min. quoád ſecundam partem, in qua eſt difficultas: ad magnitudinem alicuius Perſonæ expectat, ità excedere obſequia ipſi præſtita, ut cenſeantur levia: ſic honores præſtiti magno Regi à ſubdito ſuo reputantur ab illo, ùt exiles; ſed magnitudo Dei eſt infinita ſimpliciter, & quævis creatura quomodocumqué ornata eſt finita: ergo quævis ſatisfactio &c. Confirmatur 1.: peccatum lethale eſt vir-

virtualis contemptus Dei, per quod peccator poſtponit Deum creaturę ; ſed magnitudo contemptus ſumitur ex magnitudine Perſonæ contemptæ, & ex vilitate Perſonæ, cui poſtponitur ; magnitudo verò obſequij ex magnitudine Perſonę honorantis : ergo cùm Perſona contempta per peccatum ſit infinita, & Perſona honorans finita, nunquàm obſequia iſtius poterunt æquare gravitatem peccati lethalis.

25 Confirmatur 2. : diſplicentia Dei in contemptu eſt multò maior, quàm complacentia in obſequijs á creatura exhibitis : ergo &c. Probatur antec.: ideò obſequium Deo placet, & eſt bonum, quia eſt acceſſus ad Deum ; & ideò offenſa diſplicet, quia eſt receſſus ab ipſo ; ſed quęvis offenſa lethalis eſt maior receſſus à Deo, quàm ſint acceſſus per omnia, & ſingula obſequia puræ creaturæ ; quia offenſa lethalis eſt efficax deſtructio omnis acceſſus moralis ad Deum, omniſquè gradus amicitię, cuius oppoſitum non reperitur in omnibus, & ſingulis obſequijs puræ creaturæ : ergo &c. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem argumenti: offenſa gravis ex genere ſuo nequit de condigno ſatisfieri per obſequium leve, tam *in ſe abſolutè*, quàm *comparativè*, conc. mai. : quod ſit leve *comparativè præcisè*, nego mai. : & diſtinguo min. quoâd 2. part. : ſed quævis ſatisfactio puræ creaturæ eſt leviſsima *comparativè* ad Deum, conc. min.: *abſolutè*, *& in ſe*, *& comparativè ad injuriam*, nego min. & conſeq.

26 Licèt enim, quôdlibet creaturæ obſequium ſit leve reſpectu Dei, utpoté ipſi Deo debitum aliis infinitis titulis ; tamen abſolutè, & in ſe poteſt eſſe itá magnum, ut adæquet injuriam per offenſam Deo illatam ; itá, ut per ipſum tantum honoris Deo præſtetur, quantum per offenſam fuit ablatum. Maximé cùm ad ſatisfactionem condignam nullatenùs ſit neceſſaria æqualitas Perſonarum, ſed ſolúm æqualitas ſatisfactionis cum injuria illata, ut, velint, nolint, fateri tenentur recentiores, defenſantes poſsibilitatem condignæ ſatisfactionis exhibitæ à pura creatura pro peccato veniali. Deindé : maior probationis ſecundę partis minoris eſt abſolutè falſa, ut ſatis conſtat ex dictis num. 8. huius.

27 Ad 1. confirmationem, omiſſa pro nùnc maiori, nego min., cuius falſitas apparet tùm in peccante venialiter ; quia peccatum veniale etiam eſt contemptus Dei, etſi levis comparativé ad mortale. Tùm in contemptu gravi facto *Regi* à Plebeio, ut in exemplo poſito in argumento.

Ad 2. confirmationem nego ant.: ad cuius probationem omiſſa mai., nego abſoluté min.; quia, ut manet dictum, ſi peccatum eſt inimicitia cum Deo, gratia eſt amicitia cum illo. Si peccato debetur ęterna miſeria, gratiæ eſt debita ęterna felicitas. Si peccatum conſtituit hominem in ſtatu infimo, gratia elevat hominem ad ſtatum ſupernaturalem, conſtituendo ipſum Filium Dei. Tandèm, ſi peccatum avertit á Deo creaturam, gratia ipſam convertit ad ipſum.

28 Alia Argumenta hic omittimus, vél quia ex dictis facillimæ ſunt ſunt ſolutiones, vèl quia fundantur in infinitate peccati; vèl quia ſolúm probant ſatisfactionem puræ creaturæ non eſſe ex toto rigore juſtitię; eó, quia fundantur ejus obſequia in gratia creditoris, & quia ex aliis titulis ſunt Deo debita, quod gratis concedimus, de quoqué ex profeſſo agemus, Deo dante, tract. 3. tractando de ſatisfactione Chriſti Domini; ſed ex hoc non formatur argumentum contra præſentem concluſionem, quæ ſolùm loquitur de ſatisfactione purè de condigno; præſcindendo, án poſsit eſſe ſuperabundans, & ex toto rigore juſtitiæ?

*** *** ***
*** ***
***

QUÆST. IV. ET ULTIMA.

AN PURA CREATURA POSSIT de condigno ſatisfacere pro peccato lethali proprio?

1 SUPPONO 1., poſſe purum hominem cúm auxilio ſupernaturali condignè, & ad æqualitatem ſatisfacere pro peccato veniali proprio. Eſt communis Theologorum Sententia contrà aliquos, quos citat P. Marin, Diſp. 3. de Incarn. Sec. 5.. Ratio eſt, quia poteſt juſtus ponere contritionem, qua formalitèr, aút virtualitèr deteſtetur peccatum veniale; sèd contritio iſta plùs Deo placet, quàm diſplicuit illi peccatum veniale: ergò poteſt juſtus de condigno ſatisfacere pro tali peccato. Maior eſt omninó certa. Min. etiàm conſtat; quia plùs Deo placet actus heroicus amoris Filij, & amici, merens perfectam amicitiam, & gloriam æternam, quàm diſplicet actus non merens perfectam inimicitiam ipſius Dei.

2 Undé, etſi homo per peccatum veniale contrahat debitum carendi auxilio ad reſurgendum á peccato veniali, (quod abſoluté non concedimus; cûm peccatum veniale non tollat à juſto amicitiam Dei, nêc faciat ipſum indignum divinis be-

beneficijs) séd admiſſo; hoc debitum, quod contrahit, non eſt pro ſemper, séd pro tempore determinato; quia juſtus habet jus ad gloriam, & hæreditatem, & ſic habet jus, né pro ſemper impediatur gloria, & hæreditate, qua privaretur, ſi pro ſemper ipſi ob peccatum veniale negaretur auxilium efficax ad ſatisfaciendum pro tali peccato.

3 Suppono 2., quòd homo purus actu naturali elicito ſiné auxilio ordinis naturalis, imò & cum illo, non poteſt de potentia ordinaria ſatisfacere pro ſuo peccato lethali, nèc veniali, néc perfectè, nèc imperfectè. Prima pars definita eſt in Concil. Trident. Seſ. 6. cap. 5. contra Pelagianos, & Semipelag. his verbis: *nèquè etiàm ſinè gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coràm illo, libera ſua voluntate poſsit.* Secunda pars eſt communis Theologorum cum N. Doct. in 2. Diſt. 9. q. 2. §. *contra quartum art.* Ratio eſt; quia ſatisfactio debet eſſe redditio alicuius obſequij, quod habeat aliquam proportionem cum debito contracto per peccatum, quod quidèm eſt contra finem ſupernaturalem; séd actus merè naturalis elicitus ex auxilio ordinis naturalis non habet proportionem cum aliquo ſupernaturali: ergó. Imò nèc poteſt eſſe diſpoſitio remota ad juſtificationem; nàm túnc, ſi infidelis antè fidem eliceret talem actum, & haberet talem diſpoſitionem remotam, quod eſt contra Trid. Seſ. 6. Can. 8., ubi fidem ponit pro initio, & fundamento humanæ ſalutis.

4 Suppono 3., poſſe purum hominem de potentia Dei abſoluta actu merè naturali imperfectè ſatisfacere pro ſuo, vèl alieno peccato; non verò perfectè. Prima pars docetur á N. Doct. in 1. Diſt. 17. q. 2. & quodl. 17. §. *ad argumentum*, ubi ait: *dico, quod Deus de potentia abſoluta benè poteſt acceptare naturam beatificabilem exiſtentem in puris naturalibus, & ſimiliter actum ejus, ut meritorium.* Ratione etiàm conſtat; quia opus bonum merè naturale eſt aliquod obſequium Deo factum: ergó poterit Deus illud acceptare pro ſatisfactione peccatorum ſaltèm imperfecta; quia eſtó non habeat proportionem cum debito per peccatum contracto; hæc tamén proportio ſolùm eſt neceſſaria de potentia ordinaria, non verò abſoluta; quo ſenſu hìc loquimur. Nèc tale peccatum pro tùnc remitteretur à Deo ex aliqua juſtitia, sèd ex mera fidelitate; nàm ùt ex juſtitia remittatur

pec-

peccatum, debet ſatisfactio inducere obligationem, & conſequenter eſſe perfecta.

5 Secunda pars ſuppoſitionis, ſcilicèt, quòd talis ſatisfactio non ſit perfecta, probatur ex Scoto in 3. diſt. 20. §. *contrà iſtud*; & 4. diſt. 15. quæſt. 1. art. 2. § *quantum ad iſtud*: omnis perfecta, & condigna ſatisfactio debet reſarcire totum honorem Perſonę offenſę; sêd contritio merê naturalis nequit reſarcire hunc honorem: ergò &c. Maior conſtat in humanis; ſi enim quis Petrum offendat ut publicam Perſonam, minimê perfectê ſatisfacit per obſequium præſtitum illi, ut Perſonę privatæ. Minor verò probatur: per peccatum non ſolùm læditur honor Dei, ut finis naturalis, séd etiàm ut ſupernaturalis; sêd contritio meré naturalis reſarcire nequit honorem Dei, ut finis ſupernaturalis; quia, cùm contritio illa ſupponatur merê naturalis, nullatenús Deum reſpicit, ut finem ſupernaturalem: ergò. Nêc Deus poteſt acceptare hanc contritionem pro condigna ſatisfactione; quia ex dicendis agendo de merito, & ſatisfactione Chriſti, ſola extrinſeca Dei acceptatio nequit conſtituere ſatisfactionem condignam, ſi ex ſe in actu primo condigna non eſt.

6 Suppono 4., poſſe purum hominem cum auxilio ſupernaturali imperfectê ſatisfacere pro ſuo peccato mortali. Eſt communis, & probatur: Contritio eſt actus ſupernaturalis, & retractatio peccati, hominem quantùm eſt ex parte ſui convertens ad Deum, cui reſtituit honorem, & obſequium, & obedientiam, & elicitur animo ſatisfaciendi; ac demùm eſt diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem: ergó & eſt imperfecta ſatisfactio pro peccato mortali proprio. Nêc obſtat, quòd Concil. Trid. Seſ. 6. Cap. 8. ex Apoſt. dóceat, juſtificationem fieri gratis; quia nihil eorum, quæ juſtificationem antecedunt, ſivê opera, ſivè fides, juſtificationem promerentur. Non obſtat; Concil. enim, & Apoſt. ſolùm excludunt meritum de condigno, non de congruo; nàm cap. 9. ait: *gratiam dari ſecundùm propriam cuiuſquam diſpoſitionem ex gratia Dei.*

7 Suppono tandèm cum N. Quiroga, aliud eſſe, actum contritionis, aút dilectionis Dei ſuper omnia elicitum ab homine juſto, eſſe condignam ſatisfactionem, quantùm eſt ex ſe, & in actu primo; & aliud eſt, eſſe condignam ſatisfactionem in actu ſecundo pro peccato proprio hominis elicientis talem actum. De pri-

primo non procedit difficultas: nàm hoc, ut certum ſupponunt Scotiſtæ ex dictis quæſt. antec.; quia ſi talis actus, quantùm eſt ex ſe, & in actu primo, non poſſet eſſe condigna ſatisfactio, nullo modo poſſet pura creatura ſatisfacere condignè pro peccato alieno per illum actum, quamtumvis intenſum, & multiplicatum. De 2. itaquè eſt quæſtio, in qua non ſtat difficultas in valore, bonitate, & dignitate actus cum peccato, quantùm eſt ex ſe, & in actu primo; ſed in actu ſecundo, reſpectivè ad proprium ſubjectum ſatisfaciens pro proprio peccato.

8 Quaré, ſenſus quęſtionis eſt: ân pura creatura, ſuppoſita in ipſa tota plenitudine gratiæ, quæ in Chriſto fuit, unione hypoſtatica excepta, potuerit ſatisfacere de condigno, & ad ęqualitatem pro ſuo peccato mortali? Qua in re duplex eſt oppoſita ſententia. Prima, & magis communis eſt negativa. Sic Thomiſtæ, & Jeſuitæ, pluresquè ex Scotiſtis cum N. R. A. P. Quiroga in quęſtionibus ſelectis, quæſt. 23.. Secunda eſt affirmativa. Quam tenet N. Maſtrius in 3. diſp. 4. quęſt. 5. art. 3. à num. 235. Poncius in 3. ſententiar. Gallus in 3. diſt. 20. diſp. 6. cap. 2., citans pro ipſa Scotiſtas melioris notæ. Ex parte eam tenent Salmaticenſes; ex ſuppoſitione, quod offenſa lethalis non ſit ſimpliciter infinita. Meo videri hæc ſententia eſt conformior menti N. Doctoris poſteà citandi. Sed antè concluſionem nota, quòd hæc difficultas propriè ſpectat ad materiam *de juſtificatione impij*. Quarè ab ea breviter expediemur, ut ad proprias difficultates huius diffuſiſſimi tractatus gradum faciamus. Sit ergo

CONCLUSIO.

9 De potentia Dei abſoluta (etiam Verbo non incarnato) potuit pura creatura ornata plenitudine gratiæ condignè, & ad ęqualitatem ſatisfacere pro offenſa lethali propria. Eſt conformis ſecundæ ſententiæ. Prob. 1. ex S. Doct. in 3. Diſtinct. 20. §. *contra illud*, verſic. *Prætereà*, ubi ſic ait: *prętereà videtur, (de poſsibili dico) quòd quilibet poteſt ſatisfacere pro ſe; quia ſi data fuiſſet cuilibet homini prima gratia ſinè meritis, ſicùt modò, licèt quilibet ſit Filius iræ, cuilibet tamèn dat primam gratiam ſinè meritis proprijs: & tunc mereretur beatitudinem: igitur potuit etiam meruiſſe deletionem culpę.* Et in 4. diſt. 15. quęſt. 1. art. 2. §. *quantum ad iſtud ergò*, hæc verba habet: *poteſt dici, quòd Deus de potentia abſoluta poſſet*

ſet dediſſe peccatori poſt attritionem congruam, & meritum de congruo, gratiam, per quam motus ejus fieret contritio: & ſatisfactionem deleviſſe peccatum; quia per actum illum redderet Deo æquivalens illi bono, quod abſtulit peccatum. Hæc Subt. Doct. in quibus ſatis expreſsè noſtram tenet concluſionem.

10 R. P. N. Quiroga reſpondet 1., quòd ex his authoritatibus Doctoris nihil infertur contra ipſum; quia ſolùm dubitativè loquitur, ut patet exillis verbis: *videtur: poteſt dici.* Sèd contra; nàm, ut inquit N. Cavellus in Scholio ſuper tertium citatum, Doctor intendebat probare, quòd poſſet, ſi Deus vellet, purus homo, innocens, & Sanctus ſatisfacere pro genere humano ſufficienter, & ſecundùm juſtitiam: & ad hoc adducit tertiam rationem propoſitam, arguens à paritate, ſivé à maiori ad minùs, ſcilicèt: non videtur repugnantia, quod de potentia abſoluta poſſet quilibèt pro ſe ſatisfacere: ergò & pro omnibus, ſi Deus vellet. Infero: nùnc hæc conſequentia eſt juxta mentem poſitivam Doctoris, ut ipſe Quiroga cum omnibus Scotiſtis fateri tenetur: ergò & antec. eſt juxta ipſius mentem poſitivam; aliàs non benè inferretur conſequentia. Deindè: Doctor cit. in 4. arguit contra Div. Anſelmum aſſerentem, non eſſe poſsibile homini ſatisfacere de peccato Deo, quem offendit; quia per peccatum aufertur honor Deo debitus: nihil autèm æquivalens honori ejus poteſt à nobis ſibi reddi; séd non benè argueret Doctor, ſi poſitivè non teneret, quod de potentia abſoluta eſt poſsibile homini ſatisfacere Deo, quem offendit, de peccato, quo ipſum offendit, hoc eſt, de peccato proprio: ergò non tenet reſponſio Quirogæ.

11 Reſpondet 2. ſub num. 58., quòd S. Doct. in his locis ſolùm vult, contritionem eſſe ſatisfactionem condignam quantùm eſt ex ſe, & in actu primo; non verò eſſe condignam ſatisfactionem in actu ſecundo, & reſpectivè ad proprium peccatum; quæ quidem ſatisfactiones ſunt inter ſe valdé diverſæ, ut ſatis conſtat ex ſuppoſitione ultima num. 7. hujus. Hanc eandem reſponſionem tradit Noſter Felix cap. 2. diffic. 3.

12 Sèd contrà: hæc reſponſio eſt expreſsè contra mentem Doctoris: ergò non tenet. Prob. antec. Doctor in illis locis loquitur de ſatisfactione condigna poſsibili elici à peccatore pro deletione proprij peccati: ergò loquitur de ſatisfactione in actu

actu 2. reſpectivè ad proprium peccatum. Conſeq. infertur : antec. probatur 1. ; quia in 3., ubi proponit hanc concluſionem, *præterea videtur* &c., loquitur de peccato proprio cuiuslibet hominis, ut patet ex illis verbis *poteſt ſatisfacere pro ſe* ; & ad hoc probandum, adducit hanc rationem : ſi data fuiſſet cuilibet homini prima gratia ſine meritis :: iſte túnc mereretur beatitudinem : ex quo infert: igitur potuit etiam meruiſſe deletionem culpæ. Núnc ſic ; sèd ſi in hoc conſequenti non loquitur Doct. de ſatisfactione condigna in actu 2. reſpectivè ad proprium peccatum, non probaret ſuum intentum, quod non dicet Quiroga : ergò loquitur de ſatisfactione in actu 2. reſpectivè &c. Probatur 2. idem antec. ; quia in 4. cit. expreſsé loquitur de pecatore, cui poſt attritionem, tamquam poſt diſpoſitionem congruam, Deus de potentia abſoluta dediſſet gratiam, qua eliceret contritionem; ſed per hanc contritionem, tanquam per ſatisfactionem, aſſerit Doct., quód deleviſſet peccatum : ergò hic expreſsé loquitur Doct. de ſatisfactione condigna in actu 2. reſpectivè ad proprium peccatum ; cum hæc verba, ut omnibus notum eſt, actuale exercitium deletionis culpę ſignificent.

13 Probatur 2. concluſio ratione deſumpta ex Subt. Doct. cit. in 4. : poſsibile fuit (Verbo non incarnato) Deum prædeſtinare Petrum v. g. ad gloriam: ergó Petrus ſic prædeſtinatus erit infallibilitér ſalvandus. Totum hoc entimema eſt certum. Núnc ſic ; ſed Petrus in hac ſuppoſitione poſsibili non eſſet cum impotententia ad peccandum : ergò maneret Petrus cum plena libertate ad peccandum, vel non peccandum. Conſequentia infertur. Subſumpta patet; quia prædeſtinatio non tollit talem libertatem, nec confert impotentiam ad peccandum. His ſuppoſitis, ſic argumentor : demus, Petrum mortalitér peccaſſe, adhúc Deus in iſto caſu, ſuppoſita infallibilitate prædeſtinationis, poſſet, imò neceſsitate conſequentię teneretur, Petrum ſalvare ; ſed non ſine ſatisfactione à Petro exhibita : ergò poſsibile eſt, Petrum ſatisfacere de condigno pro proprio peccato lethali.

14 Confirmatur : poſſet Deus de ſua potentia abſoluta in illo caſu donare Petro peccatori gratis gratiam in excellentiſſimo gradu : ergó poſſet Petrus ornatus, & decoratus iſta gra-

tia elicere actum charitatis, ſeù dilectionis Dei ſuper omnia in excellentiſsimo gradu ad menſuram gratiæ gratis infuſæ. Antecedens eſt omnium A. A., contra quos agimus. Conſequentia verò patet; quia nulla eſt repugnantia, quod actus adæquet intenſione, & perfectione habitum, à quo procedit. Nunc ſic; ſed nihil impedit, quod talis actus charitatis adæquet malitiam moralem peccati, & offenſam in ratione offenſæ; cùm néc iſta ſit ſimpliciter infinita, néc ſit in ſuperiori ordine ex Perſona offenſa, ita út impediat talem æqualitatem: ergo talis actus poteſt eſſe condignè ſatisfactorius pro proprio peccato Petri.

15 Reſpondet Illms. Godoy, quód in hoc caſu ſupponitur peccatum à Petro commiſſum iàm remiſſum per gratiam gratis infuſam, & conſequenter Petrus eſſet impotens ſatisfacere pro illo; cùm ſatisfactio ordinari nequeat ad debitum, quod ſupponitur extinctum. Sed contra 1.: juxtà Godoy, & communem ſententiam, homo poteſt ſatisfacere, ſaltèm imperfectè, pro ſuo peccato lethali; ſed hoc non teneret in principijs Godoy, ſi tenet ſua reſponſio: ergo nulla eſt. Prob. min.: in principijs Godoy, nedùm ſatisfactio condigna, & perfecta, ſed etiam imperfecta procedit á gratia ſanctificante: ergo tàm una, quàm altera ſupponit remiſſum peccatum per gratiam gratis infuſam. Nùnc ſic; séd juxtá reſponſionem, quia ſupponitur per gratiam gratis infuſam peccatum commiſſum à Petro iam remiſſum, nequit Petrus ſatisfacere pro illo ſatisfactione condigna, & perfecta: ergo nec ſatisfactione proportionali, & imperfecta; cum ſatisfactio, juxta Gonet, ex conceptu ſatisfactionis nequeat ordinari ad debitum, quod iam ſupponitur extinctum.

16 Contra 2.; quia hic non loquimur, ut quàm optimé arguunt Salmaticenſes contra Vazquez, de ſatisfactione pro toto debito, quod Petrus contraxit peccando; ſed de ſatisfactione pro offenſa, & injuria Deo irrogata, quæ juxta Salmaticenſes, eſt offenſa paſsiva Dei, & extrinſeca peccato: &, juxta Godoy, eſt offenſa perſonalis diſtincta ab offenſa deſumpta ex objecto: ergo admiſſo, (non conceſſo, ſcoticè diſcurrendo) quod homo nequeat ſatisfacere pro culpa, ſeu macula intrinſeca peccato, aut deſumpta ex objecto, quam remiſſam per gratiam ſanctificantem ſupponit ſolutio Godoy, adhúc non erit repugnans quod poſsit ſatisfacere de condigno pro offenſa paſ-

ſi-

ſiva Dei, & extrinſeca peccato, aut pro offenſa perſonali: cùm hæc ab illa diſtinguatur in eorum principijs: & ſic claudicat reſponſio.

17 Contra 3.: quia in Scoti ſententia aſſerente habitum gratiæ, & charitatis eſſe realiter indiſtinctum; & gratiam non juſtificare ex natura rei, ſed ſolùm moraliter, & ex ordinatione divina; conſequenterque poſſe eſſe ſimùl de potentia Dei abſoluta habitum charitatis, aut gratiæ, & peccatum in eodem ſubjecto. In hac ergo ſententia, per quam optimè intelligitur, poſſe Deum in alia providentia de ſua potentia abſoluta infundere gratis Petro habitum charitatis, & gratiæ, quo ſimùl exiſtente cum peccato, eliciat Petrus in iſtanti immediato actum contritionis, aut dilectionis Dei ſuper omnia, quo què actù de condigno mereatur remiſsionem peccati; túnc ergò etiàm de condigno pro ipſo ſatisfaceret. Notetur hæc doctrina; nam multum premit Scotiſtas nobis adverſarios; ipsàque ſolvi poſſunt varia argumenta, quę nobis objiciuntur, nùnc verò principaliora.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

18 Arguitur 1.: ſi purus homo poſſet de condigno ſatisfacere pro ſuo peccato mortali, eſſet medio actu contritionis; ſed hoc non: ergo &c. Probatur min.: vél contritio fieret ab homine peccatore, vel ab homine juſto; ſed homo peccator nequit ſic ſatisfacere media contritione; nec aliàs homo juſtus: ergo nullo modo poteſt ſatisfacere media contritione &c. Prob. min. quoàd 1. part.: valor ſatisfactorius præcipuè ſumitur ex dignitate Perſonæ ſatisfacientis, ſicut gravitas offenſę; ſed homo peccator nullam habet dignitatem apùd Deum in ordine ad ſupernaturalia, qualis eſt remiſsio offenſæ: ergo &c. Prob. eadem min. quoàd 2. partem: actus contritionis elicitus ab homine juſto, ſupponit culpam remiſſam; ſed actus conſequens remiſsionem culpæ nequit eſſe condigna ſatisfactio pro culpa iam remiſſa: ergo &c. Prob. min.: ſatisfactio pro culpa eſt cauſa moralis efficiens remiſsionis culpæ: ergo debet antecedere remiſsionem ipſius: ergo actus conſequens nequit eſſe ſatisfactio condigna pro culpa. Dupliciter reſponderi ſolet huic difficultati, quę eſt præcipuum fundamentum contrariorum

19 Reſpondeo 1. negando min.: & minorem probationis quoàd 1. partem. Ad

probationem diſtinguo min.: ſêd homo peccator nullam habet dignitatem apùd Deum &c. regulariter, & juxtá præſentem providentiam, conc. min. : in illa ſpeciali providentia de infuſione gratuitæ gratiæ, nego min. & conſeq.. In tali ergò caſu ſupponitur ſimùl cum peccato gratia gratis data, & infuſa, media quâ, in inſtanti immediato poſſet homo elicere perfectiſsimam contritionem, aut dilectionem Dei ſuper omnia; unde ſupponitur dignitas Perſonæ operantis ratione gratiæ; ita ùt pro illo ſigno elicientiæ actus contritionis, ſeù dilectionis Dei ſuper omnia, Deus non eſſet illi homini offenſus; cùm iàm pro illo ſigno homo intelligeretur Deo conjunctus, & dignus amoris amicitiæ Dei, juxta illud Joan. 14. : *qui diligit me, diligetur à Patre meo.*

20 Reſpondeo 2. permiſſa probatione 1. partis minoris, negando 2.; quia talis contritio procedere poſſet ab homine juſto : & nego mai. probationis, ſcilicet, quod actus contritionis elicitus à gratia, ſeú ab homine juſto ſupponat culpam remiſſam; quia, ut ait N. Maſtrius cit., actus contritionis procedens à gratia eſt prior natura, quàm remiſsio peccati. Sicut dicitur de facto, quòd in eodem inſtanti temporis eſt infuſio gratiæ, & expulſio peccati; ita út priùs natura ſit infuſio gratiæ, quàm expulſio peccati, utpote effectus ſecundarius gratiæ in genere cauſæ formalis, licèt moralis : ſic ſimiliter dicimus, quòd de potentiâ abſoluta poſſet etiam eſſe ſimùl in eodem inſtanti temporis, contritio formata gratiâ, & expulſio peccati, ita út priùs natura ſit illa, quam iſta: & sic peccator poſſet mereri de condigno remiſsionem peccati; nam ad merendum non requiritur, quod meritum præcedat tempore præmium. Deinde : cùm in illo caſu actus contritionis ſit informatus gratia in eſſe gratiæ, erit à Perſona grata, & amica Deo elicitus : ergo poterit eſſe meritorius de condigno remiſsionis culpæ.

21 Arguitur 2., & eſt replica : vel in illo caſu talis gratia neceſſaria in illo homine ad ſatisfaciendum de condigno pro peccato eſſet gratis data; vel daretur ex intuitu actus contritionis, aut dilectionis Dei ſuper omnia exhibendi à tali homine pro ſatisfacione de condigno? Sed ſi primùm, nequit non culpa eſſe gratis remiſſa ante talem actum contritionis: ſi 2., ſequitur magnum inconveniens, ſcilicèt, quod principium me-

meriti, quale eſt gratia, cadat ſub merito, hoc eſt, ſub actu contritionis poſtea exhibendo: ergò. Variè reſpondent huic difficultati Scotiſtę. Gallus enim citatus ait; quod cùm gratia, & peccatum in noſtra ſententia non opponantur ex natura rei, non inconvenit, ut Deus homini ſatisfacienti pro ſuis peccatis intuitu ſatisfactionis futuræ, remittat peccatum quoàd culpam, & donet gratiam ſanctificantem, ex qua, cooperante homine illo, eliciat contritionem, ac omnia alia opera, quibus ſatisfactio compleri poſsit. Undè gratia, per quam elicitur contritio illa, non eſt effectus, ſed ſola cauſa ſatisfactionis: & ita vitatur illud inconveniens, *quod principium meriti cadat ſub merito.* Verùm, quia reſponſio hæc videtur valdè confuſa, & difficultatem non ſolvit; ideò aliter cum N. Maſtrio

22 Reſpondeo, quòd in illo caſu gratia ſanctificans eſſet gratis infuſa, & non intuitu ſatisfactionis in inſtanti ſequenti exhibendæ ab homine illo; quin ex hoc ſequatur, quòd ſicùt gratia gratis infunditur, ità & culpa gratis remittatur. Ratio eſt; quia cum infuſio gratiæ, & remiſsio culpæ ſint duo effectus, non ex natura rei, aut metaphyſicè connexi, ſed ſolùm moraliter, & juxta præſentem providentiam: & ex alia parte remiſsio peccati ſequatur in poſteriori ſigno naturæ ad infuſionem gratiæ, hinc non ſequitur, quod de potentia Dei abſoluta, ſi gratuita eſt infuſio gratiæ, ſit etiàm gratuita expulſio, aùt remiſsio peccati; ità út hæc non poſsit cadere ſub merito de condigno talis actus contritionis, aùt dilectionis Dei ſuper omnia; cùm in tali actu adeſſet tanta bonitas moralis, & Theologica, ut adæquaret malitiam moralem, & Theologicam peccati, ſivé proprij, ſivé alieni.

23 Arguitur ultimò: vél actus contritionis ſupponit culpam remiſſam, vel non? Si ſupponit: ergo conſequitur remiſsionem culpæ; & conſequenter nequit eſſe condigna ſatisfactio ipſius. Si non ſupponit; ſic argumentor: ex hoc ſequitur, quod actus contritionis, quo impius diſponitur extrà Sacramentum, ſit de facto condigna ſatisfactio pro ſuo peccato; ſed hoc eſt falſum: ergo, quia falſum eſt, quod non ſupponat culpam remiſſam. Probatur min.: remiſsio culpæ fit gratis à Deo, ut definit Trid. Seſ. 6 de *juſtificatione* cap. 7. 8. & 9. dicens: *ideo nos dici, gratis juſtificari quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides*

des, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promerentur; ſed non minùs opponitur conditioni gratiæ ſatisfactio condigna, quàm meritum condignum; cùm non minus ex juſtitia extinguatur debitum ſatisfactione condigna, quàm tribuatur præmium merito de condigno: ergo actus contritionis extrà Sacramentum elicitus à peccatore non eſt ſatisfactio condigna pro proprio peccato mortali. Sic arguit N. R. Quiroga. Sed venia ipſius

24 Reſpondeo, quòd in tali providentia actus contritionis non ſupponeret culpam remiſſam. Ad impugnationem hujus nego mai., imò, & ſuppoſitum, quod debebat probare Quiroga, & non minorem, quam nullus negat. Maior ergo eſt falſa; quia actus contritionis, quo impius diſponitur extra Sacramentum, nequit eſſe ſatisfactio condigna; cùm non procedat à gratia pro inſtanti ſequenti infundenda. Vl ſi procedit, ut ſupponere videtur Quiroga, ad hoc ut eius argumentum teneat, ex hoc nego ſuppoſitum; quia in Scoti principijs abſolutè falſum eſt, quod ulla diſpoſitio ſive remota, ſivé proxima ad juſtificationem, procedat à gratia ſanctificante; ſed unicè elicitur cum auxilio ſuperno gratiæ actualis. Vel ſupponit, quod ſinè gratia ſanctificante ſit poſsibilis condigna ſatisfactio, quod etiam eſt falſum; cum gratia ſanctificans ſit principium condignè merendi, & ſatisfaciendi. Omitto alia argumenta, quæ ex dictis tàm quæſt. antecedenti, quàm tract. de juſtificatione impij facilé ſolvuntur. Undè dicta ſufficiant tàm pro hac quæſt., quàm pro toto hoc primo tractatu.



TRACT.

TRACT. II.

DE ANIMA CHRISTI,

EJUSQUE POTENTIIS: FILIATIONE, Gratia, ſanctitate, & impeccabilitate ipſius.

PROOEMIUM.

CUM in tractatu præcedenti egerimus de poſsibilitate, convenientia, eſſentia, exiſtentia, àc neceſsitate huius ineffabilis myſterij; nùnc ordo doctrinę poſtulat, ùt de donis ipſius Chriſti agamus, quod eadem methodo exequemur in hoc ſecundo tract... Pro quo ſit

DISPUT.

DISP. I.

DE ANIMA,

INTELLECTU, ET VOLUNTATE CHRISTI Domini.

Eſt anima ſubjectum gratię, & ſanctitatis; ejuſquè potentiæ, his informatę, principia operationum. Undè ab his incipiendus eſt hic tractatus. Sit ergo

QUÆST. I.

IN QUA SOLVUNTUR OMNIA DUBIA circà animam Chriſti Domini.

DUbitabis 1.: ân in Chriſto fuerit anima rationalis ſimilis noſtrę? Tamquàm de fide ſupponendum eſt contrà Apollinarem, in Chriſto Domino fuiſſe animam rationalem. Quod conſtat ex illo Symboli Athanaſij: *perfectus homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens*; & ex illo Math. 26.: *triſtis eſt anima mea uſquè ad mortem.* Undè ſi quæ eſt difficultas, eſt, ân talis anima rationalis fuerit ejuſdem ſpeciei cum noſtra? Reſpondeo affirmativé. Probaturquè ex ipſiſmet textibus Sacræ Scripturæ: Chriſtus Dominus loquitur de anima ſua, ut veré humana: ergo quià habuit animam ejuſdem ſpeciei cum noſtra. Probatur antec.: Chriſtus Dominus tribuit animę ſuæ aliquas paſsiones ſimiles noſtris, ut triſtitiam, quod patet ex loco prælegato Math.: turbationem, út Joan. 2.: *nùnc turbata eſt anima mea*: odium: *ſolemnitates veſtras odit anima mea,*

mea, Iſaiæ 1.; & alia huiuſmodi; ſed hæc omnia non poſſunt dici nèc de anima ſenſitiva, nèc de divinitate: ergo de anima rationali habente aliquas ex noſtris paſsionibus. Deindé: Chriſtus Dominus fuit verus homo, & ſimilis homini, qui peccavit: ergo &c.

2 Dices: damnata eſt quædam propoſitio aſſerens, animam Chriſti non fuiſſe perfectiorem animâ Judæ; sèd ſi fuiſſet ejuſdem ſpeciei cum noſtra, non fuiſſet perfectior: ergo. Probatur min.: individua omnia unius, & ejuſdem ſpeciei ſunt æqualia in perfectione: ergo ſi anima Chriſti &c. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: damnata eſt quędam propoſitio aſſerens, animam Chriſti non fuiſſe perfectiorem animâ Judę, *tàm quoàd dona accidentalia naturæ, quàm gratię*, conc. mai.: *quoàd eſſentialia animæ*, nego mai.: inverſis terminis diſtinguitur min., & probatio ipſius; itaquè illa comparatio animæ Chriſti, cum anima Judæ, eſt odioſa abſolutè ſumpta; undè ſempèr cum addito, & explicatione intelligenda eſt, ſcilicét, quód in ſpecie, & quoàd eſſentialia ſit æquè perfecta; quoàd dona verò accidentalia tàm naturæ, quàm gratię eſt ab què ulla comparatione anima Chriſti longé perfectior ſupér omnes animas creatas, & ipſos Angelos.

3 Dubitabis 2.: ân anima in Chriſto habuerit perfectum uſum rationis ab inſtanti conceptionis? Reſpondeo affirmativè, & probatur ex N. S. Doct. in 3. diſtinctione 18. num. 11. ubi tenet, Chriſtum potuiſſe mereri in primo inſtanti conceptionis. Et etiàm docet, eum fuiſſe beatum, & beatitudinem fuiſſe illi coævam; sèd hæc omnia nequeunt verificari de Chriſto Domino, niſi à primo inſtanti conceptionis habuiſſet perfectum uſum rationis: ergo ipſum habuit. Hoc idem docetur à S.S. P. P. ſuper illud Jeremiæ 3.: *creavit Dominus novum ſupèr terram; fœmina circundabit virum; vir oriens nomen ejus*; hoc eſt, ût communiter exponunt S. S. P. P., à conceptione erit virformatus, & perfectus, non quidém corpore, ſed mente.

4 Dices: Chriſtus Dominus (excepto peccato, & quæ comitantur peccatum) aſſumpſit humanitatem noſtram cum omnibus ſuis infirmitatibus; sèd carentia uſus rationis in illo iſtanti non eſt peccatum: ergo in tali primo inſtanti non habuit perfectum uſum rationis. Reſpondeo diſtinguendo mai.: Chriſtus, excepto &c., aſſumpſit humanitatem noſtram cum omnibus in-

firmitatibus conducentibus ad paſsionem, & meritum, conc. mai.: cum omnibus infirmitatibus abſolutè, nego mai.: & diſtinguo min.; séd carentia uſus rationis non eſt peccatum, nèc conducit ad meritum & paſsionem, conc. min.: & conducit, nego min., & conſeq. De hoc amplus dubio ſequenti.

5 Dubitabis 3.: ân in anima Chriſti fuerit ignorantia? Pro ſolutione nota, quód ignorantia eſt triplex. Prima dicitur *ſimplex*, & eſt carentia notitiæ rerum nullatenùs utilium ſtatui hominis, v. g., quót ſint arenæ, & piſces in mari: quę vocatur *ſimplex neſcientia*, ſeu negatio icientiæ. Secunda ignorantia eſt *privativa*, & eſt carentia notitiæ neceſſariæ, & debitę ineſſe homini pro ſtatu ſuo. Tertia eſt *poſitiva*, ſeú pravæ diſpoſitionis, aùt affectata, quâ quis non curat, aút non vult ſcire, quę debet, ut liberiùs omittat agenda, aút agat omittenda. De iſta ignorantia non quærimus in præſenti; quia certum eſt, quod, út culpabilis, non potuit eſſe in Chriſto Domino. Nèc quærimus de ignorantia ſimplici, ſeú ſimplici neſcientia; nàm nihil intereſt ad gloriam, & perfectionem animæ Chriſti, quòd ſciverit, vèl ignoraverit numerum Muſcarum ab initio mundi, uſquè ad finem, & ſic de ſimilibus. Quaré difficultas ſolùm eſt de ignorantia privativa.

6 Dico: in anima Chriſti non fuit ignorantia *privativa*. Eſt communis contrá aliquos veteres hæreticos. Prob. primó ex Scriptura: Iſaię 11. dicitur: *requieſcet ſuper enim ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientię, & intellectus.* Et ad Coloſſenſes 1.: *in eo ſunt theſauri omnes ſapientiæ, & ſcientiæ Dei.* Et Joan. 1.: *vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis*; sèd ſi Chriſtus Dominus fuit plenus ſcientia, & veritate, nullus fuit locus ignorantiæ privativæ: ergo eam non habuit Chriſtus Dominus. Confirmatur ex Div. Aug. lib. 2. *de peccatorum meritis*, cap. 29. ubi ait: *in infantilibus membris anima rationalis miſerabili ignorantia pregravatur; quam plenè ignorantiam nullo modo crediderim fuiſſe in infante illo, in quo Verbum caro factum eſt.* Hęc concluſio etiam conſtat ex dictis concluſione antec. & ex dictis diſp. 5. quæſt. 6. tract. precedentis.

7 Dices 1.: inquiſitio alicuius rei arguit ignorantiam de tali re; sèd Chriſtus Dominus inquiſivit de pluribus rebus, ut conſtat ex variis locis Sac. Scripturę: ergo habuit ignoratiam. Reſpondeo, negando abſolutè mai.;

mai.; aliàs deberemus tribuere Deo ignorantiam, cùm in Paradyſo quærat ab Adam: *ubi es?* & à Cain: *ubi eſt Abel Frater tuùs?* Inquiſitio ergo perſepé ſolùm quærit confeſsionem à reſpondentibus, vél ad eorum inſtructionem, vèl ex alijs motivis licitis. Sic enim ab Apoſtolis quærebat: *undè ememus panes? Quot panes habetis?* Joan. 6.. Et addit ipſemet textus: *hoc autèm dicebat tentans eum, ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus.* Undè benè componitur inquiſitio alicuius rei cum notitia, & ſcientia ipſius.

8 Dices 2.: qui proficit in ſapientia non eſt antè profectum perfectè ſapiens; sèd Chriſtus Puer proficiebat ætate, & ſapientia: ergo ab initio non erat perfectus in omni ſcientia. Reſpondeo diſtinguendo minorem: sèd Chriſtus puer proficiebat ætate, & ſapientia, vél quoàd oſtenſionem, & manifeſtationem gratiæ, & ſapientię, vél quoád acquiſitionem ſcientiæ experimentalis, conc. min.: quoàd acquiſitionem perfectionis, vél notitię rei aliàs ignotę ſibi, & apùd ſe, nego min., & conſequentiam. Replicabis: Chriſtus ignoravit diem judicij, juxtà illud: *de die illa nemo ſcit, nequè Angeli in Cœlo, nequè Filius, niſi Pater*: ergo habuit ignorantiam privativam de illa die. Qui concedunt antec., dicunt, quòd notitia talis diei non expediebat Chriſto Domino pro tùnc. Sèd meliùs cum N. Cardin. Laurea nego antec.; nàm ſi Chriſtus ſic loquitur, eſt, ùt reprimat curioſitatem diſcipulorum, quibus talis notitia non expediebat, juxta illud: *non eſt veſtrum noſſe tempora, vèl momenta.* Undè Chriſtus non ſciebat, ùt diceret Diſcipulis ſuis, sèd talem notitiam reſervat ſibi cum Patre.

9 Dibitabis 4.: ân in anima Chriſti fuerint paſsiones humanæ ſimiles noſtris? Nomine paſsionum apùd Philoſophos communiter intelliguntur motus quidam appetitus ſenſitivi, vèl rationalis, quibus fertur in bonum ſuùm, vèl quibus fugit malum ſibi; de quibus fusè agitur ibi. Vide N. Maſtrium in libris de anima, diſp. 5. quæſt. 10. Undé breviter de his agemus hic, proùt ad Chriſtum pertinent. Hę autém animæ paſsiones ſunt in duplici differentia: quædam pertinent ad potentias ſenſitivas, ortæ ab appetitu ſenſitivo prævia cognitione ſenſus. Aliæ ſunt ſpirituales, ortæ ab appetitu rationali prævia cognitione intellectus. Iſtę ſunt: *amor, odium, deſiderium, concupiſcentia, fuga, dolor, triſtitia, gaudium, ſpes,*

deſperatio, *audacia*, *timor*, *ira*, *& admiratio*. De iſtis ergo quæritur: àn fuerint in anima Chriſti, & ejus potentijs, & quomodò? Certiſsimum eſt, quòd non fuerunt in Chriſto cum plurimis defectibus, quibus ſunt in nobis; in nobis enim præveniunt uſum rationis; rationem, & rectum judicium perturbant; movent contra dictamem rationis; avertunt à bono honeſto; & feruntur in illicita; maximè ex quo per peccatum excitata eſt diſſenſio inter appetitum ſenſitivum, & rationalem. His ſuppoſitis,

10 Dico 1.: in Chriſto Domino fuerunt omnes noſtræ paſsiones (excipimus nùnc dolorem, & triſtitiam de quibus poſteà). Prob. Concluſio diſcurrendo per ſingulas. Fuit amor, & odium; nàm de illo dicitur: *dilexiſti juſtitiam*, *& odiſti iniquitatem*. Diligebat abs dubio bonum virtutis, & odiebat malum peccati. Fuit etiàm deſiderium, & fuga; nàm ipſe dicebat: *deſiderio deſideravi*, *hoc Paſcha manducare vobiſcum*. Fuit fuga; quia *abſcondit ſe ab eis*, *& fugit in montem*. Deindè: deſiderabat convérſionem peccatorum, & fugiebat peccata, & duritiem Judæorum. Fuit gaudium; nàm ipſe dicebat: *Lazarus mortuûs eſt*, *& gaudeo propter vos* :: *locutus ſum vobis*, *& gaudium meum in vobis ſit*. Fuit timor, & audacia; nàm de ipſo dicitur Marci 14.: *cœpit pavere*, *& tedere*. Et cùm timor nihil aliud ſit, quàm odium, & fuga imminentis mali, cùm hæ paſsiones fuerint in Chriſto, etiàm fuit timor. Fuit audacia; nàm veré audacem ſe oſtendit, cùm quærentibus illum ad mortem dixit: *quem quæritis? Ego ſum*.

11 Fuerunt in Chriſto Domino ſpes, & deſperatio. Fuit ſpes; nàm de ipſo dicitur: *caro mea requieſcet in ſpe*; *&* certé, cùm ſpes ſit expectatio boni habendi cum aliqua certitudine, ſinè dubio Chriſtus ſperavit reſurrectionem ſuam, alia bona, & præmia mortis ſuæ. Fuit *deſperatio*, non in ſenſu, quo ipſi impiè tribuitur à Calvino, ſèd deſperatio quæ reſpicit malum ſenſibile imminens, & inevitabile; ſic enim, cùm nulla eſſet eſpes in ipſo evadendi mortem crucis, habuit deſperationem de vitanda morte. Fuerunt tandém in Chriſto Domino ira, & admiratio. Ira; quià Marci 3. dicitur: *circunſpiciens eos*, ſcilicèt Phariſeos, *cum irâ contriſtatus ſupèr cæcitatem eorum*. Et irâ motus, fecit flagellum de funiculis, & ejecit de Templo profanatores. Tandém fuit admiratio; nàm miratus eſt fidem Centurionis, & Cananeæ. De primo dixit: *non in-*

inveni tantam fidem in Iſraèl. De ſecunda : *ò Mulier magna eſt fides tua* !. Sèd nota , quòd admiratio Chriſti non erat de ignotis ; cùm in Chriſto Domino non fuerit ignorantia, ex dictis dubio 3. ; sèd fuit de rebus inſolitis, quales fuerunt fides Centurionis , & Mulieris.

12 Probatur generaliter concluſio de omnibus his paſsionibus;& primò ex Concil. Chalcedon. action. 6. ubi dicitur: *Chriſtum rationalem animam , ſalva omni ejus proprietate,& per omnia nobis ſimilem , abſquè peccato &c.*;ſed non eſſet per omnia nobis ſimilis , ſi non eſſet affecta omnibus motibus , & paſsionibus, quibus afficitur noſtra : ergo omnes paſsiones noſtræ fuerunt in Chriſti anima. Deindé, Apoſtolus ad Hebræos ait : *debuit in omnibus fratribus aſsimilari, ut miſericors fieret : : nàm habemus Pontificem , qui poſsit compati infirmitatibus noſtris* : ergo habuit omnes noſtras paſsiones. Confirmatur : Chriſti animæ concedendę ſunt omnes illi affectus , ex quibus nulla imperfectio ſequitur ; ſed ex eo , quod habuerit omnes paſsiones animæ noſtræ , ſi eas potuit habere ſinè imperfectionibus , quæ ſunt in nobis, ut potuit, cedunt in ejus perfectionem : ergo eas habuit. Argumentum præcipuùm, quod contra hanc concluſionem proponitur , proponetur , & ſolvetur concluſione tertia.

13 Dico 2. : in Chriſto tales paſsiones fuerunt ordinatiſsimæ , & ſinè defectibus, quibus ſubjacere poſſunt in Creaturis. Prob. ex Sexta Sinod. generali , act. 8., ubi „ dicitur : nulla enim poteſt eſſe „ pugna , ubi nulla eſt reſiſten- „ tia , ſed potiùs plena , & per- „ fecta ſubordinatio ex parte „ unius , & plena poteſtas , & „ imperium reſpectu alterius, ſèd in Chriſto Domino omnis motus animi fuit ſubordinatus imperio , & nutui rationis : ergo paſsiones in Chriſto &c. Confirmatur : iſti defectus in nobis , vel oriuntur ex fomite peccati , & rebellione appetitus contra ſpiritum : vel ex præventione , qua illi motus inſurgunt inconſulta ratione , & deliberatione ; ſed nullo ex his modis potuerunt in Chriſto Domino eſſe , qui nec habuit peccatum, & aliàs habuit ſummam ſapientiam ; unde Aug. 14. de Civitate Dei cap. 9. ait : *hos motus certè diſpenſationis gratia, ita , cùm voluit , ſuſcepit animo humano , ut , cùm voluit , factus eſt homo* : ergo , &c.

14 Dico 3. : in Chriſti anima verè fuit triſtitia , & dolor. Dixi in anima ; nàm de ſen-

ſenſibus nemo dubitat, cùm dicatur: *verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.* Deindé in Evangelio dicitur: *oportuit Chriſtum pati*; undé in omnibus partibus ſui corporis læſus eſt in ſua Paſsione; ſed læſio non eſt ſine dolore: ergo in omnibus ſenſibus Chriſti fuit dolor verus. Dolor ergo, & triſtitia ſic definiuntur: *dolor eſt offenſio animæ ex carne, & quædam ab ejus paſsione diſſenſio.* Triſtitia verò eſt *animi dolor, ſeù ejus diſſenſio ab his rebus, quæ nobis nolentibus accidunt.* ſed nota ex Doctore, quód licèt anima Chriſti, ſicût omnium hominum, ſit in ſua entitate indiviſibilis, tamén in illa diſtingui ſolent pars ſuperior, & inferior: illa eſt, quæ reſpicit ſola æterna: iſta verò, quæ reſpicit temporalia. Undè hîc videndum eſt, ân Chriſtus triſtatus fuerit, vèl de morte, & vulneribus corporeis, quæ reſpiciuntur á parte inferiori; vél etiàm de peccatis, quæ in ejus paſsione comittebantur à Judæis, quæquè tamquàm oppoſita ultimo fini, & legi æternę, reſpici poterant à parte ſuperiori animæ. Et de omnibus loquitur affirmativé concluſio. De dolore iàm dictum eſt.

15 Probatur de triſtitia; illud Math. 26., *cœpit triſtari, & mœſtus eſſe :: triſtis eſt anima mea*, communitér à Concilijs, & P. P. intelligitur de triſtitia voluntatis; ſic Agatho Papa in ſua Epiſt., in 6. Synodo act. 4.; & Sophronius; nàm hos textus afferunt contrá Monothelitas, ût probent in Chriſto fuiſſe voluntatem humanam cum divina; quod utiqué non probarent, niſi hęc triſtitia fuerit in voluntate: ergo fuit. Confirmatur: anima Chriſti non ſolùm habuit triſtitiam ſenſitivam in inferiori parte ſenſus, ſêd etiàm intellectivam in ſuperiori parte mentis: ergo. Prob. antece.: Chriſtus Dominus dixit: *verumtamèn non ſicùt ego volo, sèd ſicùt tu*; séd hęc ſunt expreſſa ſigna ſpiritualis triſtitię, qua pro túnc ſanctiſsima Chriſti anima affligebatur: ergo in Chriſti anima fuit vera triſtitia.

16 Probatur brevitèr ratione: triſtitia eſt dolor de malo præſenti, quod nobis nolentibus accidit; séd animæ Chriſti Domini, etiàm ſecundúm partem ſuperiorem, erant præſentia quàm plura mala graviſsima, quę noluiſſet: ergo de illis habuit triſtitiam in parte ſuperiori. Probatur min.: videbat blaſphemias, & offenſas in Deum, duritiem Judęorum, perditionemquè animarum, quęquè reſpiciuntur à parte ſuperio-

riori æquè, àc ab inferiori ; nám offenſa Dei eſt objectum ſuperioris partis, quæ reſpicit æterna, àc ultimum finem : ergo. Et certé, cùm Chriſtus ſummé cuperet gloriam Patris ſui, & hominum ſaluten, non potuit ſiné ſumma triſtitia videre tot peccata, Patris offenſas, & hominum damnationem : ergo habuit triſtitiam in anima, tàm ſecundùm partem inferiorem, quàm ſuperiorem.

17 Dices tamén : licèt in parte inferiori Chriſti Domini potuerit eſſe vera triſtitia, ſecús verò in parte ſuperiori : ergò quoàd hanc partem non tenet concluſio. Prob. antec. : Chriſtus quoád partem ſuperiorem animę habuit á primo inſtanti gaudium beatificum, & quidèm perfectum ; sèd gaudium beatificum replet totam animam, & ex ſua natura excludit omnem triſtitiam à voluntate : ergó. Hęc difficultas adeò gravis vidètur, ût pro ejus ſolutione in varias vias abierint A. A. Ipſos licet videre in N. Maſtrio Diſp. 5. quæſt. 6. á num. 132. Séd certé ſolutio expreſsé habetur in N. Doct. in 3. diſt. 15. quæſt. unic. num. 33. ubi ait: „ ad primum „ principale antè oppoſitum, „ quandó arguitur, quòd gau„ dium, & triſtitia ſunt oppoſi„ ta, & oppoſita non ſunt in ea„ dem potentia ; & ſic non fuē„ runt in portione ſuperiori vo„ luntatis Chriſti: dicendum, quòd „ minor eſt falſa; gaudium enim, „ & triſtitia non ſunt oppoſita, „ niſi ſint reſpectu ejuſdem ob„ jecti ::: Undé ſummè amare „ Deum, & odire peccatum non „ ſunt oppoſita. Hęc Doctor, in quibus habetur expreſſa ſolutio. Séd quia hæc non ab omnibus Scotiſtis admittitur, ideò alitèr

18 Reſpondeo negando antec. : & diſtinguo min. ; séd gaudium beatificum ex ſua natura excludit omnem triſtitiam a voluntate, ſecluſo miraculo ſpecialiſsimo divinæ omnipotentię, conc. min. : tali miraculo admiſſo, nego minorem. Sicút enim ex diſpenſatione Dei fuit Chriſtus Dominus ſimùl viator, & comprehenſor, ſic dici poteſt, quòd ex ſuprema diſpenſatione, & poteſtate Dei, potuit Deus velle, quód gaudium illud Chriſti Domini, etſi ſummum, non excluderet triſtitiam : maximè, cùm hæc non fuerint circà idem objectum. Vide Maſtrium ſupèr hoc in loc. cit., cui partîm aſſentio, partim non ; nàm ex utraque ſolutione debet confici adæquata ſolutio difficultatis ; né dictis in Philoſophia, agendo de qualitatibus, expreſsè adverſemur.

QUÆST.

QUÆST. II.

DE INTELLECTU, ET SCIENtia animę Chriſti.

1 SUppono 1., tanquàm de fide certum, in Chriſto Domino dari duplicem intellectum, duplicemquè voluntatem; ſic infertur ex varijs definitionibus Conciliorum, in quibus definitur, in Chriſto fuiſſe duas naturas integras, & perfectas, & cùm proprietatibus, quę conſequuntur ad utramque naturam. Primò enim Concil. Chalcedon. action. 5. definitur: *Verbum Divinum aſſumpſiſſe animam rationalem perfectam, ſalva omni ejus proprietate, & in omnibus nobis ſimilem, abſquè peccato.* Et 6. Synodo, actione 4. definitur, in Chriſto fuiſſe duas operationes creatam & increatam, ſicut, & duas naturas. Hoc etiam ratione patet; quià cùm intellectus, & voluntas ſint proprietates, & potentiæ animæ rationalis, cum ipſa realiter identificatę, hinc infertur manifeſtè, quòd cùm in Chriſto fuerit anima integra, & perfecta, ſicut probatum manet quęſt. antec., fuerint etiàm intellectus, & voluntas humanę.

2 Suppono 2., quòd ſicut intellectus divinus in Chriſto habuit ſcientiam increatam, ità pariter intellectus humanus animæ Chriſti habuit ſcientiam creatam. Quod ſatis conſtat ex authoritate 6. Synodi, act. 4. cit. num. antec.. Ratio hoc idem ſuadet; quia intellectus animę Chriſti neque intellexit, nèc intelligere potuit per illam eamdem numeró intellectionem, qua Deus ſe ipſum, & alia à ſe intelligit, ergò neceſſe eſt admittere in Chriſto ſcientiam creatam. Deindè: impoſsibile eſt propriam operationem unius naturę fieri operationem alterius; sèd ſcientia increata eſt propria naturæ divinæ: ergó non potuit eſſe propria intellectus animæ Chriſti. Tandèm; quià ſapientia Dei increata, quę eſt communis tribus Divinis Perſonis, non fuit ſubſtantialitér immediatè communicata animæ Chriſti; nàm ſubſtantialitér, & immediatè ſolùm communicata fuit animæ Chriſti ſubſiſtentia Verbi Divini terminans naturam humanam. Undé concludendum eſt, quód, ſi anima Chriſti habuit aliquam ſcientiam, fuit creata.

3 Suppono tandèm, quòd triplex ſcientia diſtingui ſolet in Chriſto Domino, ſcilicét, *beata, infuſa, & acquiſita*, ſeú *experimentalis*. Prima eſt, per quam intuitivè videbat eſſentiam, Perſonas Divinas, aliaquè ad ſtatum beatificum pertinentia. Infuſa eſt, quæ

quę indita fuit animæ Chriſti ſupernaturalitér. Acquiſita tandèm eſt, quam in dies per experientiam ſibi comparabat, quapropter experimentalis dicitur. In preſenti ergò quęſt. quęrimus, àn in intellectu Chriſti Domini fuerint omnes hę ſcientiæ; & quid per eas noverit intellectus Chriſti? Ut claritate poſsibili procedamus, quęſtionem in varias ſectiones ſecabimus. Sit ergo

SECT. I.

AN CHRISTUS DOMINUS HAbuerit ſcientiam beatam, quidquè per eam cognoverit?

4 REſolutio primæ partis difficultatis ſatis conſtat ex dictis tract. 1. diſp. 5. q. 6., ubi á num. 2. ſtabilitum eſt, quód anima Chriſti Domini fuit beata ab inſtanti Conceptionis. Undé conſequentèr ad ibi dicta dico: quòd Chriſtus Dominus ab inſtanti ſuæ conceptionis habuit ſcientiam beatam perfectiſsimam, non tamén comprehenſivam. Prob. breviter prima pars: anima Chriſti fuit beata ab inſtanti unionis ipſius cum Verbo; sèd non potuit eſſe ſic beata, quin habuerit ſcientiam beatam perfectiſsimam: ergò eam habuit. Mai. conſtat ex loc. cit.: vide ibi. Prob. min.: beatitudo perfecta animæ conſiſtit in perfectis operationibus ejus potentiarum, intellectus, ſcilicèt, & voluntatis, hoc eſt in viſione, & fruitione, ut communitèr docetur in tract. de beatitudine: ergò ſi anima Chriſti fuit perfectiſsimè beata, fuit medijs operationibus ſuarum potentiarum, viſione, ſcilicét, & fruitione; sèd viſio beata eſt ſcientia beata: ergó quià ab inſtanti ſuæ conceptionis habuit ſcientiam beatam perfectiſsimam.

5 Quòd autèm talis ſcientia non fuerit comprehenſiva, probatur: ex dictis in Philoſophia, ſcientia perfectè comprehenſiva adæquatur cognoſcibilitati objecti; sèd ſcientia intellectus animę Chriſti non potuit adæquari cognoſcibilitati Dei; cúm Deus ſit abſolutè infinitus, cognitio autèm creaturæ, qualis eſſet intellectus humani animæ Chriſti, eſt finita, & limitata: ergò non fuit comprehenſiva Dei. Mai. patet ex Div. Aug. lib. 83. quęſtionum, quæſt. 14. ubi ait: *quod ſe comprehendit, finitum eſt ſibi.* Nec facit, quód Chriſtus viderit eſſentiam Dei, ut infinitam; quia non videt infinitè: undè infinitas eſt ſolùm in eſſentia, non autèm in ſcientia, ſeú viſione; undè néc in ipſa fuit comprehenſio. Quód veró fuerit perfectiſsima conſtat ex Doct. in 3. diſt. 14. q.

2. num. 2. ubi tenet, quòd viſio beata, & fruitio dantur ad menſuram gratię, & charitatis; sèd gratia, & charitas in anima Chriſti fuit ſumma, & perfectiſsima: ergo, & ejus viſio, ſeú ſcientia. Argumenta contra iſtam concluſionem ſunt propoſita, & ſoluta in tract. 1. hùius cit.

6 Maior autèm difficultas eſt in reſolvenda ſecunda parte difficultatis propoſitæ: quid, ſcilicèt, noverit intellectus Chriſti per hanc ſcientiam beatam. Thomiſtæ cum Div. Thom. 3. part. quæſt. 10. tenent, quòd licèt anima Chriſti videat in Verbo omnia, quę Deus novit ſcientia viſionis; non tamèn videt, néc videre poteſt omnia poſsibilia; quæ Deus novit ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Hanc ſententiam tuentur, quàm plures Scotiſtæ, út Faber, Bellutus, Poncius, Dupaſquier, & alij. Dicunt enim, quòd hæc eſt conformior Doctori in 3. Diſp. 14. q. 2. num. 20. Nos verò brevitér ab hac difficultate expediemur, eò, quià de ipſa ex profeſſo agit curſus huius Almę Prov. tom. 4. Diſp. 7. q. 4. per totam. Undè non eſt opus, út eamdem difficultatem bis repetamus. Quarè conformitèr ad ibi dicta, ſit

CONCLUSIO.

7 Anima Chriſti de facto vidit in Verbo omnia poſsibilia, & futura, quæ Verbum videt; & hoc, vèl pluribus viſionibus, vèl eâdem numerò viſione, qua videt Eſſentiam Divinam. Hæc concluſio eſt de mente noſtri Doct. cit. in 3. num. 16., & 17. quęſtionis 2. Hanc ſententiam defendunt, quàm plures Scotiſtæ, út Gallus, Vulpes, Maſtrius Diſp. 5. huius quæſt. 1. Probatur primò: juxtà Subt. Doct. perſæpé cit. Diſt. 13. q. 4.: *in commendando Chriſtum Dominum malo excedere, quàm deficere à laude ſibi debita, ſi verè rationi non repugnat*; sèd aſſerere, quòd Chriſtus Dominus de facto novit omnia poſsibilia in Verbo, ſeù in Eſſentia divina, cedit in laudem Chriſti Domini, & aliàs veræ rationi non repugnat: ergò hoc de facto aſſerendum eſt. Maxima Doctoris fundatur in illo dicto Auguſtini lib. 3. de libero arbitrio, ubi docet, quòd circà humanitatem aſſumptam, quidquid tibi vera ratione melius occurrit, ſcias, hoc Deum magis feciſſe, quàm non feciſſe, ſi hoc non repugnat veræ rationi. Minor quoàd primam part. eſt certa; quoàd ſecundam verò probatur: non repugnat, quòd Beatus videat in Verbo, ſeú in eſſentia divina omnia poſsibilia; sèd quòd non repugnat de potentia Dei abſoluta reſpectu cuiuſ-

li-

libet beati, hoc de facto aſſerendum eſt reſpectu intellectus animæ Chriſti: ergò aſſerere, quòd Chriſtus Dominus de facto, & actualitèr cognoſcat omnia poſsibilia in Verbo, non repugnat veræ rationi. Mai. conſtat ex 4. tom. Theolog. huius Almæ Provinciæ tract. 10. diſp. 7. q. 4. per totam. Ex quo

8 Probatur ſecundò concluſio: ſi intellectus Chriſti Domini in Verbo, ſeú in Eſſentia divina actû non cognoſceret omnia poſsibilia, eſſet proptér rationes implicantiæ, quæ in oppoſitum ſolent adduci; ſic enim probandę ſunt concluſiones, in quibus agitur de potentia Dei abſoluta; sèd repugnantiæ, quę ad hoc adducuntur, nullæ ſunt: ergo &c. Prob. min.: repugnantię, quæ adducuntur à Thomiſtis, ſunt; quia ſequeretur, quòd talis viſio omnium poſsibilium in Verbo eſſet comprehenſiva eſſentiæ divinæ, aút omnipotentiæ; & ad minús ſequeretur, quòd talis viſio eſſet infinita, utpotè infinitorum objectorum; (hoc ſecundum eſt præcipuùm fundamentum Scotiſtarum nobis adverſantium) sèd nulla ex his repugnantijs ſequeretur ex eo, quód intellectus animæ Chriſti actualitér noſcat in Verbo una numero viſione, vèl pluribus, omnia poſsibilia: ergò de facto ipſa cognoſcit. Min. plenè probata manet in tom. 4. cit., ubi ex profeſso proponuntur contrariorum argumenta. Quaré remitto lectorem ibi, ùt videat probationes, argumenta, eorumquè ſolutionem.

9 Fateor tamén, quòd Subt. Doct. in hac quæſtione 2. diſtinct. 14. lib. 3. proponit alium modum, quo defendi poteſt, intellectum Chriſti videre omnia poſsibilia in Verbo. Sub numero enim 20. ait: *séd ſi iſta via tertia non placet* (loquitur de ſententia à nobis propoſita, & probata) *poteſt dici, quòd videt omnia habitualitèr, non tamèn actualitèr.* Et certé hic modus dicendi eſt valdé probabilis in via Scoti, ipſumqué tuentur Scotiſtæ nobis contrarij, quoſquè citavimus num. 6. At, quia ipſemet Subt. Doct. ſub num. 13. proponit opinionem Henrici, & Div. Bonavent. aſſerentium, animam Chriſti poſſe videre omnia in Verbo habitualitèr, non autém actualitér; iſtamqué poſitionem ex profeſſo impugnat ſub num. 14. & 15.; ideò, nè aliqua æquivocatio ſequatur, aut judicetur, Subtilem Doct. proponere, út medium ſatis probabile ad ſolvendam hanc difficultatem illudmet, quod ex profeſſo impugnat,

10 Notandum eſt, quód ly *habitualitèr* diverſim dé ſumebatur ab Henrico, àc ſumitur â Subt. Doct.. Henricus enim dicebat, quòd in anima Chriſti erat aliquis habitus ſupernaturalis, qui ſit, vèl lumen gloriæ, vél aliquis alius infuſus repreſentans omnia poſsibilia; per quemqué habitum intellectus Chriſti conſtituatur omnia ſciens. Subt. autém Doctor per ly *habitualitèr* intelligit, quód intellectus Chriſti eo actu, quo videt Verbum, facit ſibi præſentia in actu primo omnia, quę ſunt in Verbo; quià Verbum paratum eſt, omnia repręſentare, & propter iſtam præſentialitatem, & quià aliàs anima Chriſti eſt in potentia proxima, ut poſsit exire in actum ſecundum, dicuntur ſibi *habitualitèr* nota. Undè non opponitur Subt. Doct., quia diverſimodè loquitur, âc Henricus.

11 Hunc autém modum dicendi ſic probat Doct.: alitèr ſe habet Deus in oſtendendis in Verbo objectis reſpectu animę Chriſti, âc reſpectu cæterorum beatorum; quia eſtò reſpectu omnium ſit ſpeculum voluntarium, hoc tamèn intereſt diſcrimen intér animam Chriſti, & cæteros beatos, quod cuilibet alij beato eſt ſpeculum voluntarium, repræſentans determinata objecta ſecundúm merita illorum, vèl ſecundúm ſpeciale beneplacitum Dei; át reſpéctu intellectus Chriſti, etſi ſit ſpeculum voluntarium, tamén ipſi repręſentat omnia in actu primo propter ſpecialem prærogativam ipſius animæ, & intellectus; & in hoc ſenſu intelligunt S. S. P. P. illud Apoſt. ad Coloſſenſ. 2.: *in quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ, & ſapientię Dei.* Fateor, inquam, quód hic modus dicendi eſt ſatis probabilis ex Subt. Doct.; pro quo vide N. Dupaſq. hic Diſp. 6. 6. q. 4. concluſ. 1.. Sed hoc non obſtante, primus modus magis mihi arridet.

SECT. II.

AN IN CHRISTO DOMINO fuerit ſcientia infuſa, & quid per eam noverit?

12 NOmine ſcientiæ infuſę intelligimus eam, quę habetur per Dei liberalitatem ſinè labore, & ſtudio per ſpecies infuſas a Deo, quaſquè ſpecies habens cognoſcit res in proprio genere. Sed hæc ſcientia infuſa, alia eſt *per ſe*, *alia per accidens*; prima eſt, quæ eſt de rebus, quæ nullo humano labore poteſt haberi. Secunda eſt, quæ poteſt haberi ſtudio, & labore, séd non ita facilè, ac perfectè.

Hæc

Hęc ſcientia infuſa vocatur à Thologis *veſpertina*; diſcriminatur enim â ſcientia beata, qua res cognoſcuntur in Verbo, quæquè vocatur *matutina*. Et ratio diſcriminis eſt: quia quæ videntur in Verbo, ſeú divina Eſſentia, clariùs videntur, quàm quæ videntur per Species. Prima enim eſt intuitiva; ideó dicitur *matutina*, ſeú *meridiana*. Altera verò eſt abſtractiva, & ſic benè dicitur *veſpertina*. De hac ergo quæritur, àn fuerit in Chriſto Domino: quidquè per eam noverit? Pro reſolutione primæ partis

13 Dico; Chriſtus Dominus habuit ſcientiam infuſam. Eſt communis, & probatur: Chriſtus Dominus, cùm factus eſſet annorum duodecim, diſputabat cum Doctoribus, qui ſtupebant ſupèr prudentia, & reſponſis ejus, ùt habetur Luc. 2.; & Joan. 7.: *quomodò litteras ſcit, cùm non didicerit.* Et ipſemet Chriſtus de ſe ajebat: *mea doctrina, non eſt mea, sèd ejus, qui miſit me, Patris*: ergo quia habuit ſcientiam infuſam. Confirmatur 1.: hęc ſcientia infuſa fuit in Angelis, & Adamo: ergo & in Chriſto Domino; cùm ipſi non ſit deneganda illa perfectio, quæ conceditur alijs Creaturis. Confirmatur 2.: in voluntate Chriſti Domini fuit plenitudo gratiæ, ùt videbimus Diſp. 3. hujus: ergo & plenitudo omnis ſcientię in ejus intellectu; nám æque dicitur plenus veritatis, ac gratiæ.

14. Dices 1: in Chriſto Domino ex dictis fuit ſcientia beata; sèd cum hac incompatibilis eſt infuſa: ergo non fuit in Chriſto Domino. Probatur min.: ſcientia beata eſt clariſſima, & matutina: infuſa verò eſt obſcura, imperfecta, & abſtractiva; sèd tales ſcientiæ ſunt incompatibiles in eodem ſubjecto: ergo &c., Confirmatur: ſcientia, & opinio de eodem objecto repugnant in eodem intellectu ſimúl: ergo & ſcientia beata repugnat cum infuſa. Reſpondeo, diſtinguendo min.; sèd cum beata imcompatibilis eſt infuſa de eadem re, per eadem media, & lumina, conc. min.: per diverſa media, & lumina, nego min. & conſeq.; & conſequentiam probationis. Claritas ſcientię beatæ venit ex lumine glorię, & perfectione eſſentiæ, & ſcientiæ Dei, in qua repreſentantur objecta omnia creata perfectiùs, quàm in ſpeciebus infuſis, à quibus provenit ſcientia infuſa. Ad confirmationem, omiſſo antec., nego conſeq., & paritatem; opinio enim parit aſſenſum incertum, ſcientia verò certum; at

utra

utraque ſcientia tàm infuſa, quàm beata parit aſſenſum certum; & ſic non eſt inter eas repugnantia. Omiſi antec.; quia forsàm ſcientia, & opinio ex diverſis medijs non repugnant in eodem intellectu, ſaltem quoàd habitum, de quo tract. de Fide.

15 Dices 2.: in beatis non manebit fides, nèc ſcientia abſtractiva ſimúl cum intuitiva beata, juxtá Apoſtolum dicentem: *cum venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt*: ergo nèc in Chriſto fuerunt ſimúl ſcientia beata, & infuſa. Confirmatur: ſcientia infuſa ſuperfluit cum beata; ſed in Chriſto nihil eſt ſuperfluum: ergo. Reſpondeo conceſſo antec., negando conſeq., & paritatem; Apoſtolus enim loquitur de obſcuritate fidei, quæ evacuabitur per lumen gloriæ, & per viſionem; non de alijs cognitionibus, & ſpeciebus infuſis, quę forté manebunt in Patriá. Ex quo ad confirm. nego antec.; quiá licèt verum ſit, quód habens perfectam cognitionem, non indigeat imperfecta, ex hoc tamén non ſequitur minùs perfectam ſuperfluere; quiá utraque perficit ſubjectum in ſuo genere, nèc una minuit perfectionem alterius. Et hoc maximé in Chriſto Domino, qui, cúm ſimùl fuerit viator, & comprehenſor, maximé ad perfectionem ejus animæ conducebat, quòd, quâ viator, haberet ſcientiam infuſam, & quâ comprehenſor, haberet beatam.

16 Pro reſolutione ſecundæ partis difficultatis, quid, ſcilicèt, noverit intellectus Chriſti per hanc ſcientiam infuſam? Noto primò, ex dictis tom. 3. huius curſus, tract. 7. Diſp. 3. q. 3. ſect. 4. per totam, quòd eſt magnum diſcrimen circà ſpecies intelligibiles. Thomiſtæ enim dicunt, quod ſunt ſpecies infuſæ univerſales in repræſentando; ità ùt quantòplura repræſentent, eó univerſaliores dicuntur. Undé admittunt quaſdam ſpecies, quæ non unam, ſèd plures naturas ſpecificas, diſparataſquè repræſentant cum omnibus individuis illarum ſpecierum, non ſolùm quoàd proprium eſſe individuale, ſéd etiàm cum omnibus accidentibus, ſivè naturaliter, ſivé contingentér convenientibus individuis. Has ergo ſpecies vocant Thomiſtæ infuſas quiá naturaliter non poſſunt acquiri, ſèd immediate à Deo infunduntur. Et conſequentér dicunt, quòd ſcientia habita medijs talibus ſpeciebus, eſt per ſe infuſa. E contrá Scotiſtę nolunt admittere hanc univerſalitatem ſpecierum, ùt videri eſt in loco prę allegato ubi

ubi ex profeſſo de hoc igitur.

17 Notandum eſt ſecundò, ex tom. 4. ejuſdem Curſus, tract. 10. Diſp. 6. q. 8. per totam, quòd notitia, ſeù ſcientia habita per ſpecies, ſivé infuſas, ſivè acquiſitas, nequit eſſe cognitio intuitiva ſingularium. Et ratio in promptu eſt; quià ſpecies repræſentat objectum, út abſtrahit ab actuali exiſtentia, ſiquidèm ipſum repræſentat eodem modo, ſivé exiſtat, ſivé non exiſtat; sèd ad cognitionem intuitivam requiritur neceſsé, quòd objectum repræſententur præſens, & exiſtens, proùt in ſe præſens, & exiſtens eſt, út ex ejus definitione conſtat: ergo notitia habita per ſpeciem infuſam nequit eſſe intuitiva. Undé illa, quæ intellectus Chriſti novit per ſcientiam infuſam, novit non intuitivé, séd abſtractivé; quamquàm verum ſit, quòd in linea cognitionis, & ſcientiæ abſtractivæ, perfectiſsima fuerit. Tandém notandum eſt, ex tom. cit. q. 7. talis Diſput., quòd poſsibilis eſt ſpecies impreſſa clarè, & diſtinctè repræſentans eſſentiam divinam. His ergo notatis, hanc difficultatem per varias concluſiones reſolvam. Sit ergo

PRIMA CONCLUSIO.

18 Intellectus animæ Chriſti pèr hanc ſcientiam cognovit myſterium Trinitatis, & Incarnationis: inſupér myſteria gratię, & glorię, aliaquè entia ſupernaturalia. Eſt communis, probaturque 1.; ex dictis tract. de viſione jàm citato, poſsibilis eſt ſpecies impreſſa eſſentiæ divinæ, ejus attributorum, & conſequenter myſteriorum gratiæ, media qua habeatur notitia clara, & diſtincta, etſi abſtractiva, horum omnium objectorum; sèd ſi poſsibilis eſt, de facto concedenda eſt infuſa intellectui Chriſti Domini; ergo habuit talem, aùt tales ſpecies. Prob. min.: ex dictis in materia de Angelis, hæc cognitio de facto fuit conceſſa ipſis in ſtatu vię: ergo non debuit negari intellectui Chriſti Domini. Confirmatur: Chriſtus habuit ſcientiam abſtractivam omnium eorum, de quibus potuit habere ſpecies; sèd potuit habere ſpecies gratię, & ſimilium donorum ſupernaturalium: ergo & ſcientiam infuſam. Prob. min.: non minús debuit perfici ut viator in his, quæ ad intellectum pertinent, quàm in his, quæ ad voluntatem ſpectant; sèd hæc habuit habitus, & dona omnia, tàm naturalia, quám ſupernaturalia gratię: ergo & eorum ſcientiam, & ſpecies debuit habere in intellectu. Omnia, quę

hic

hic objici poterant, propoſita, & ſoluta manent planè, & plenè in materijs de Ang., & viſion. cit. Videte ibi.

SECUNDA CONCLUSIO.

19 Intellectus animæ Chriſti per hanc ſcientiam infuſam medijs ſpeciebus novit abſtractivè omnia univerſalia, ſivé quidditates, & naturas creatas, quàm pluraquè ſingularia, ſaltîm habituáliter. Eſt Doct. varijs in locijs, & plús eget explicatione, quàm probatione. Pro cuius explicatione nota, quód ly *habituáliter* ſumitur in eodem ſenſu, quo explicatum fuit num. 10. ſect. ant.. Deindè, notandum eſt, Chriſtum habuiſſe ſpecies omnes infuſas illorum objectorum, quæ cognovit, aút cognituruſ erat in proprio genere per ſcientiam infuſam; undè ſolùm ipſi negari poteſt ſpecies illarum rerum, quas nunquàm cognovit, nèc cognituruſ erat. Ità diſcurrit N. Poncius diſp. 39. q. 1. concluſ. 4. Et certé non diſplicet hic diſcurſus; quià fruſtrà communicatę illi fuiſſent ſpecies rerum, quæ nunquám ejus uſui deſervituræ erant, & ſatis ad ejus dignitatem eſt, quòd haberet omnes illas, quæ aliquandó erant deſervituræ.

20 Ultrá adverte ex Subt. Doct. in 2. Diſt. 3. quæſt. 9. & 11., quód in intellectu Chriſti tot debent poni ſpecies infuſę, quot ſunt quidditates ſpecie diſtinctæ. Ratio eſt; quiá una ſpecies intelligibilis nequit eſſe ratio formalis cognoſcendi plures quidditates ſpecie diſtinctas. Ex quo infertur, quód ſi intellectus Chriſti Domini non habuit ſpecies infuſas, niſi univerſalium, & quidditatum, per has non potuit cognoſcere ſub proprijs rationibus; quià ſicút univerſale non dicit totam entitatem ſingularium, ſic nec totam cognoſcibilitatem. Quarè, quod eſt propria ratio cognoſcendi univerſale, non eſt propria ratio cognoſcendi proprié, claré, & diſtinctè ſingulare. Undè, qui dicunt, intellectum Chriſti Domini cognoviſſe per ſcientiam infuſam omnia, & ſingula ſingularia, & poſsibilia, ex conſequenti tenentur admittere in tali intellectu plures ſpecies ſingularium, & poſsibilium, quaſi infinitorum, ùt ea cognoſcat in proprio genere, quod ſatis non placet Doct. cit. His animadverſis, iàm

21 Probatur brevitèr concluſio: notitia omnium univerſalium, quidditatum, & naturarum creatarum, eſt perfectionis in intellectu creato: ergò hæc notitia tribuenda eſt intellectui ani-

animæ Chriſti. Conſeq. conſtat ex dictis in probatione concluſionis antec.. Prob. antec.: intellectus eſt paſsivus reſpectu cuiuſcumque objecti intelligibilis, quia non habet in ſe perfectionem omnium intelligibilium: & aliàs carere perfectione ſibi poſſibili reſpectu alicuius objecti eſt imperfectio : ergò , né hoc ſequatur in intellectu Chriſti Domini , dicendum eſt , quòd ei conceſſæ fuerunt ſpecies horum objectorum , & aliquorum ſingularium , & poſsibilium , quæ aliquandò cogniturus erat. Nota , quòd tales ſpecies erant habituales , in quantùm habens ipſas , erat in potentia propinqua, ad cognoſcenda objecta ſucceſsivè , quorum habebat ſpecies infuſas.

22 Dices : ea ratione, qua probatur , intellectum animæ Chriſti habuiſſe ſpecies infuſas aliquorum ſingularium,probatur etiam habuiſſe , & omnium , ſivé futurorum , ſivè poſſibilium ; cùm ex carentia talium cognitionis arguatur imperfectio in intellectu Chriſti Domini : ergò vél illa ratio non probat concluſionem , vèl contrà ipſam probat. Confirmatur: in intellectu animę Chriſti nulla fuit ignorantia , út dictum manet. quæſt. 1. huius ; sèd , ſi Chriſtus Dominus non habuiſſet notiam infuſam multarum rerum in proprio genere , laboraret ignorantia : ergò &c. Reſpondeo negando antec.; quià, ùt nulla ſequatur imperfectio in intellectu Chriſti ex eo , quod actû non noverit omnia ſingularia, & poſsibilia , ſufficit , quód *habitualiter* ea cognoverit, eò quod Deus ſemper paratus fuerit infundere illi ſpeciem de illa re, quam anteà non habuit , ità, ùt quotieſcumquè de ea interrogaretur,poſſet dare reſponſum.Nàm etiám ex contrario ſequeretur, quòd tales ſpecies eſſent fruſtraneę, cùm nunquám ipſis uſurus foret. Ad confirmationem nego min. Ad ſummum inferretur in Chriſto inſcientia , non verò ignorantia de talibus rebus. Vide dicta in reſolutione primæ part. huius ſectionis , ubi proponuntur , & ſolvuntur argumenta contra iſtam concluſionem.

TERTIA CONCLUSIO.

23 Intellectus animæ Chriſti per ſcientiam infuſam non novit futura libera , ſivè abſoluta, ſivé condicionata. Eſt Doctoris in 2.diſt. 3. q. 11.. Prob.: veritates contingentes non poſſunt cognoſci per ſpecies quaſcumque innatas: ergò &c. Probatur antec.: ex cognitione terminorum non poteſt cognoſci veritas comple-

xorum contingentium de illis terminis; quia illorum complexionum veritas non includitur in terminis, ſicut in ſpeciebus, & terminis earum includitur veritas neceſſaria complexionis ſcientialis: ergò veritates contingentes non poſſunt cognoſci per ſpecies quaſcumque innatas. Confirmatur, & declaratur hęc ratio: vèl ſpecies horum terminorum: *me ſedere cras*, repræſentant determinatè hanc veritatem contingentem, vèl indeterminatè? ſi determinatè? ergò impoſsibile eſt per ipſos terminos, vel per ſpecies illorum haberi notitiam, quòd ſeſsio mea craſtina ſit contingens: ſi indeterminatè? ergò nunquàm per hos terminos, vèl per ſpecies illorum habebitur notitia, quod determinatè ſim ſeſſurus cràs: ergò Chriſtus Dominus non habuit ſcientiam infuſam per ſpecies talium futurorum.

24 Sèd quià, meo videri, aliqui nobis contrarij in hac concluſione diſputant de nomine, notandum eſt, quòd Deus potuit cauſare in intellectu animæ Chriſti conceptum repræſentantem hoc totum complexum futurum: *Anti-Chriſtus erit*, quo etiàm modo loquebatur Prophetis; & potuit hæc revelatio habere evidentiam, & certitudinem in ſcientia beata, quam Chriſtus habebat in Verbo; quarè non eſt neceſſe ponere aliud lumen diſtinctum in Chriſto, ſicùt ponitur in Prophetis, ex quo lumine talis revelatio habet certitudinem, & evidentiam ex atteſtante; nàm tale lumen in Chriſto eſſet ſuperfluùm, cùm adſit lumen beatificę viſionis. Undé ſi hanc revelationem de futuris contingentibus liberis velint contrarij vocare ſcientiam infuſam, & quòd hac ratione, Chriſtus per ſcientiam infuſam certò, ac determinatè cognoverit futura contingentia, certè facient quæſtionem de nomine, de qua hic non curamus.

ULTIMA CONCLUSIO.

25 De rebus præteritis, quę nunquàm fuere præſentes Chriſto Domino: & de cogitationibus hic, & nùnc exiſtentibus, ſed extrà ſphæram activitatis intellectus Chriſti, habuit etiam ſcientiam infuſam mediis ſpeciebus. Probatur: talia objecta fuerunt ex ſe apta nata parere in ſe notitiam reſpectu intellectus Chriſti; ſèd hoc ipſo de illis habuit notitiam per ſpeciem infuſam, propter rationem datam in concluſione antec.: ergò eam habuit. Et certè, quod Chriſtus Dominus habuerit ſcientiam ſecretorum cordis, conſtat ex

ex pluribus textibus Sac. Scripturæ. Nam de Chriſto dicitur: *quid iſta cogitatis in cordibus veſtris? Ut vidit cogitationes eorum. Ipſe videns cogitationes eorum.* Et ſic alia pené innumera teſtimonia Sac. Scripturæ. Deinde: hęc cognitio ſecretorum cordis poſſibilis fuit Angelis, imo aliquorum de facto eam habuerunt in probabili opinione Scotiſtarum; út dicitur in materia de Angelis: ergó de facto concedenda eſt intellectui Chriſti Domini.

SECT. III.

An in intellectu Chriſti fuerit ſcientia acquiſita, de quibuſquè obiectis?

26 Pro reſolutione 1æ. partis notandum eſt, quòd etſi omnes Theologi conveniant, intellectum Chriſti habuiſſe ſcientiam acquiſitam, non omnes eodem modo explicant Thomiſtæ enim aliqui volunt, hanc ſcientiam humanam fuiſſe in Chriſto acquiſitam ex induſtriâ, & propriis viribus comparatam miniſterio ſenſuum, & abſtractione ſpecierum intelligibilium à ſenſibilibus virtute intellectus agentis, eo pacto, quo nos ſcientias acquirere ſolemus. Alij verò Thomiſtæ dicunt talem ſcientiam habuiſſe Chriſtum ab initio conceptionis per accidens infuſam; undé eam vocant per ſe acquiſibilem, non verò acquiſitam; undé conſequentèr dicunt, in Chriſto non fuiſſe re ipſa ſcientiæ verum augmentum; séd ſolúm ſecundùm oſtenſionem, & operationem. Subt. verò Doctor cit. in 3. q. 3. dicit, ex authoritate Aug., & Ambroſii, intellectum Chriſti re ipſa profeciſſe, habuiſſequè ſcientiam acquiſitam, non abſtractivam; hanc enìm habuit per ſpecies infuſas, ùt iâm diximus; sèd intuitivam, tàm actualem, quàm habitualem, ſecundùm quod obiecta ſeſe illi offerebant in propria exiſtentia. Undé conformitèr ad hanc doctrinam N. Doct.

27 Dico: in intellectu Chriſti Domini fuit vera ſcientia intuitiva acquiſita, ſeû experimentalis. Prob. 1. concluſio ex illo Lucæ 2.: *Ieſus proficiebat ætate, & ſapientia apúd Deum, & homines*; sèd hæc authoritas, ait Subt. Doct., nequit exponi ità, út tantûm profecerit ſecundùm apparientiam, & operationem: ergò re ipſa proficiebat ſecundûm acquiſitionem ſcientiæ. Minorem probat Doct. ex Div. Aug. lib. 83. quæſtionum, quęſt. 9., ubi contrà Apollinariſtas tenet, *quód Evangeliſtæ narrant hiſtorias, & ideó verba eorum vera ſunt, ut exprimuntur; non ſic de aliis ſermonibus tropicis*: ergò. Probatur etiam ex illo Apoſt. ad Hebræos 5.: *cùm eſſet Filius Dei, didicit ex his, quæ paſſus eſt, obedientiam.* Deindè, Ambroſius ſupér locum Lucæ cit. ait: *proficiebat*

ſapientia hominis ; ſapientia enim ſenſu profi.t , quiá à ſenſu ſapientia , ſcilicèt , ab experientia.

28 Probatur concluſio ratione : anima Chriſti Domini debuit eſſe perfecta, non ſolúm ſecundùm ſuperiorem portionem, sèd etiàm ſecundúm inferiorem, & partem ſenſibilem, ſeú ſecundúm ſtatum viæ, ſicút ſecundùm ſtatum patriæ ; sèd ad hoc erat neceſſe , quód ſecundùm quod viator haberet ſcientiam acquiſitam, ſeú experimentalem de rebus , quæ ſeſe illi offerebant: ergó eam habuit. Probatur min.: ſecundúm partem ſuperiorem talia obiecta cognoſcebat intuitivé in Verbo ; & abſtractivè pér ſpecies infuſas : ergó, ùt eius anima eſſet undequaquè perfecta, ultrá debebat eas cognoſcere in ſe ipſis per ſcientiam experimentalem ; cùm hę tres ſpecies cognitionis dentur. Confirmatur: Chriſtus non tantúm in Verbo , nèc ſolùm per ſpecies infuſas , séd etiàm de facto , & ſenſibiliter cognovit , & expertus eſt miſerias, labores , & dolores huius vitæ, iuxtá illud : *verè langores noſtros ipſe tulit , & labores noſtros ipſe portabit* : ergó de his habuit ſcientiam acquiſitam , ſeù experimentalem.

29 Dices 1. contrá hoc: in 5. Synod. damnatur Theodorus , qui dicebat , *Chriſtum à paſſionibus animæ ::: & á deterioribus paulatim recedentem , & ſic ex profectu operum melioratum* ; ſed , ſi acquiſiviſſet ſcientiam aliquam , ab ignorantia receſsiſſet, & fuiſſet melioratus ſcientia acquiſita : ergo incurrimus in propoſitionem damnatam. Confirmatur : nàm Div. Bernard. ait : *non minús habuit ſapientię , vél non minor fuit ſapientiá Jeſu, conceptus , quàm natus : parvus , quàm magnus* : ergò nihil de novo ſcivit , vél ſcire potuit. Reſpondeo, quòd Concilium , & P. P. expellentes à Chriſto meliorationem, acquiſitionemqué ſcientię loquùntur quoàd ſupernaturalia dona; non verò quoàd aliqua naturalia. Agebant enim contra Theodorum, & Neſtorianos , qui docentes duas in Chriſto Perſonas , volebant, eum eſſe purum hominem , & obnoxium iiſdem defectibus, quibus nos ; ex quo deducebant, eum á deterioribus recedentem, ex profectu operum melioratum quoád ſupernaturalia dona , quod & nos meritó negamus. Séd negari nequit aliquod incrementum humanitatis quoàd naturalia ; ſic enim ex infantili corpore crevit ad virilem ſtaturam , & operationes ; & accumulavit merita pro nobis. Undè ſecundùm quod erat Deus nullum profectum habuit ; benè verò ſecundùm quod homo. Di-

30 Dices 2. : virtutes morales, ùt juſtitia, manſuetudo &c. non fuerunt à Chriſto acquiſitæ, sèd infuſæ à Deo : ergo idem dicendum eſt de virtutibus intellectualibus, quales ſunt ſcientiæ diſcurſivæ, ùt Phyſica, metaphyſica, moralis &c. ; & conſequentèr non habuit ſcientiam acquiſitam. Reſpondent aliqui, quòd eadem eſt difficultas de virtutibus moralibus, ac de ſcientijs; undé dicunt, quòd Chriſtus acquiſiverit virtutes morales, ſicùt & ſcientias. Sèd, hac ſolutione pro núnc omiſſa, reſpondeo, conceſſo antec., negando conſequentiam. Non enim eſt paritas de virtutibus ad ſcientias ; quià decuit, Chriſtum ſempèr eſſe facilem, & promptum ſad omnia opera virtutis ; àt non fuit opus, eum eſſe ità completum ex parte intellectus ad omnes cognoſcendi modos ; cùm faciliter ex objectis occurrentibus temporis decurſu poſſet acquirere ſcientiam. Deindè : cùm ſcientiam talium objectorum, quam Chriſtus per ſcientiam acquiſitam comparare poterat, perfectiori modo haberet in ſcientia beata, non poterat dici ignorantia laborare; nàm ſcientia Chriſti acquiſita non erat de nova veritate, séd de novo modo cognoſcendi, ſcilicét humano, & ad inſtàr viatoris.

31 Dices 3. : ſi Chriſtus decurſu temporis poſſet aliquam ſcientiam acquirere, poſſet etiam à Magiſtris aliquid addiſcere medio ſenſu auditus ; sèd conſequens eſt contrà Scripturam, & P. P. ; ergo. Reſpondeo, negando mal. ; indecens erat enim Chriſtum acquirere ſcientiam per eruditionem, & Magiſterium humanum ; cùm eſſet Præceptor, & Doctor omnium hominum, & Angelorum ; non autém ſequitur inconveniens ex eo, quod acquiſiverit talem ſcientiam per inventionem, & motionem ab objectis ; quia res, & objecta ſunt ſigna, & voces divinæ ſapientiæ; quarè ſicùt diſcere à Deo nulla eſt imperfectio, ita nèc à rebus, quæ Dei ſapientiam manifeſtant. Et hoc certé non eſt diſcere ; cùm hoc ſignificet aliquid antea ignotum de novo cognoſcere, quod Chriſto repugnat, utpoté habenti ſcientiam beatam ; sèd ſolùm eſt, habere novum modum ſciendi. Quoád ſecundam part. quæſtionis

32 Dico 2. ; intellectus animæ Chriſti habuit ſcientiam acquiſitam intuitivam omnium individuorum materialium, & immaterialium, quæ decurſu temporis fuerunt ſibi præſentia, & intra ſphæram ſuæ activitatis naturalis. Eſt Doctoris in 3. diſt.

3.

3. cit., & in 2. diſt. 3. q. 11. Probatur: Chriſto Domino concedenda eſt ſcientia perfectior poſsibilis haberi; sèd ſcientia intuitiva talium objectorum in proprio genere eſt perfectior, quàm abſtractiva, & aliàs poſsibilis eſt haberi ab intellectu Chriſti Domini: ergò eam habuit. Maior ex perſæpé dictis conſtat. Minor quoàd primam partem eſt communis; quoàd ſecundam verò probatur: ſi talis ſcientia acquiſita intuitiva non eſſet poſsibilis intellectui Chriſti, eſſet, quia talia objecta debebat intelligere cum dependentia à phantaſmatibus; & phantaſmata ſolùm repræſentant ſenſibilia, & materialia; séd hæc ratio nulla eſt; quia intellectus Chriſti non fuit alligatus ſenſibus, séd ad libitum potuit uti phantaſmatibus, vél non uti: ergo talis ſcientia intuitiva de talibus objectis poſsibilis fuit intellectui Chriſti. Confirmatur: intellectus ſeparatus poteſt immediatè intueri objecta creata ſibi debitè approximata, tám materialia, quàm immaterialia; & recipere ſpecies impreſſas immediatè ab illis: idem dic de Angelis; séd quod conceditur intellectui ſeparato, & Angelis, non eſt denegandum intellectui Chriſti; ergo.

33 Ex hac concluſione infertur primó, quód intellectus Chriſti Domini cognoverit hac ſcientia intuitiva cogitationes hominum, & ſecreta cordium, quandò huiuſmodi objecta erant intrà ſphęram activitatis ſuę cognitionis intuitivæ; quod certé ſatis colligitur ex illo Lucæ 11.: *ut vidit cogitationes eorum*; nám ly *vidit* denotat cognitionem intuitivam. Infertur ſecundò, quód habuerit cognitionem rememorativam ſingularium omnium, quę illi aliquandò fuerunt præſentia; quæ cognitio à N. Doct. appellatur intuitiva imperfecta; eò quòd non totalitèr abſtrahit ab exiſtentia, sêd eam aliquomodò concernit. Hæc cognitio rememorativa, vèl memoria eſt diſtincta à cognitione pręteritorum, quam habuit ab inſtanti conceptionis per ſpecies infuſas. Ratio eſt; quià recordatio eſt cognitio alicuius actus præteriti ipſius recordantis, in quantúm pręteriti, qui ſpeciem ſui in potentia intellectiva impræſsit, per quamquè concurrit ad actum recordationis; cognitio verò præteritorum per ſpecies non eſt recordatio actus præteriti, sèd ipſius pręteriti.

34 An intellectus Chriſti per hanc ſcientiam acquiſitam cognoverit futurá contingentia? ſub dubio eſt. Aliqui dixerunt, quôd ea cognoverit, quorum habuit

buit Chriſtus antecedenter aliquod ſignum conjecturale præſens. Probabilius tamèn eſt, nullum futurum ad hanc ſcientiam acquiſitam pertinere, quia hæc cognitio de illis per ſigna, & conjecturas præcedentes, eſt imperfecta, dubia, & obſcura. Undé, cúm Chriſtus habuerit de futuris cognitionem certam, & claram, tùm in Verbo, túm in genere proprio per infuſionem alicuius conceptus cum aliquo lumine ſupernaturali, modo dicto, & explicato, num. 24. ſectionis antec.; hinc eſt, quòd talem notitiam opinativam, & conjecturalem, ad ſcientiam acquiſitam pertinentem, admittere non debemus.

35 An hęc ſcientia acquiſita incœperit in Chriſto Domino ab inſtanti ſuę conceptionis, & fuerit aucta progreſſu temporis? Diſputant A.A.. Reſpondeo affirmativè; probatur: ratio, cûr intellectus noſter in infantili ętate non poſsit comparare notitiam talium rerum, eſt, quia in ſuis operationibus eſt alligatus ſenſibus: & ſenſus pro tùnc non ſunt apti ad ſua munera obeunda; séd hæc ratio non militat in propoſito; quià intellectus animæ Chriſti non fuit ſenſibus alligatus, nequè in intelligendo indiguit converſione ad phantaſmata: ergo, quia primo ſuæ conceptionis inſtanti potuit haberè talem ſcientiam. Confirmatur exemplo pręcurſoris, qui in utero matris fuit capax Verborum B. Virginis in ſalutatione Eliſabeth. Verum tamèn eſt, quod, cúm Chriſtus acceptaverit exercere omnes operationes naturæ humanæ, ad oſtendendam veritatem Incarnationis, regularitèr actus huius ſcientiæ exercuit miniſterio ſenſuùm, & per converſionem ad phantaſmata, more cęterorum hominum; sèd hoc non officit, quin ab initio potuerit exercere ſe ſinè tali ſenſuùm miniſterio. Qui plura circa has ſcientias deſideraverit, legat N. Maſtrium hic Diſp. 5. q. 2. & 3. Núnc vero ſit

SECT. IV.

IN QUA BREVITER RESOLVUNTUR aliæ difficultates.

36 DUbitabis 1.: ân in intellectu Chriſti fuerint aliqui habitus intellectuales? Reſpondeo affirmativè; nam in primis fuit habitus luminis glorię, quo ejus intellectus elevabatur ad intuitionem Eſſentię Dei: fuit ſapientia, ad cognoſcenda ſublimia, & altiſsima: fuit habitus prudentię, quo dirigebatur circà agibilia. Fuit ſcientiæ, ùt ſatis probatum eſt in antecedentibus. Maior difficultas eſt

eſt de habitu fidei. Dico, quòd fuit quoad habitum, non tamen quoàd actum. Probatur prima pars: nulla apparet repugnantia in eo, quod fuerit fides quoàd habitum in Chriſto Domino; nàm multi tenent, quòd ille habitus remaneat in animabus beatis ſaltim ad ornatum: ergò hoc probabilitèr poteſt dici de anima Chriſti. Probatur quoàd ſecundam; quia viſio clara, & intuitiva non compatitur ſimúl in eodem intellectu cum cognitione obſcura, ſicút néc fides, & ſcientia actualis. De hoc in tract. *de fide.*

37 Dubitabis 2.: ân ſcientia infuſa Chriſti Domini fuerit habitus inhærens ejus intellectui diſtinctus à ſpeciebus. Reſpondeo affirmativé. Probatur: per talem ſcientiam Chriſtus cognoſcebat objecta ſupernaturalia per actus ſupernaturales; ſéd ad tales actus requiritur non ſolùm ſpecies ex parte objecti, quæqué ſuppleat vices ejus, sèd etiàm ex parte potentiæ; nàm ad actùm ſcientiæ concurrit objectum, & potentia, & utrumque debet eſſe in actu primo completum, & perfectum, quod non habet potentia per ſpeciem; quia hæc ſe tenet ex parte objecti: ergo prætér ſpecies infuſas debuerunt eſſe habitus etiàm infuſi talium ſcientiarum in intellectu Chriſti.

38 Dubitabis 3.: ân tales ſpecies, & habitus fuerint ſupernaturales per ſe: ân per accidens tantùm? Sub diſtinctione reſolvenda eſt hæc difficultas; quia, cûm reſpectu ſcientiæ infuſæ Chriſti Domini fuerint objecta ſupernaturalia in ſubſtantia, quorum cognitio viribus naturæ non poterat haberi: & fuerint alia objecta naturalia, quorum cognitio haberi poterat viribus naturæ; hinc dicimus, quòd ſpecies, & ſcientia objectorum ſupernaturalium quoàd ſubſtantiam fuerunt ſupernaturales abſolutè, & infuſæ per ſe. Species autèm, & habitus objectorum naturalium fuerunt ſolúm ſupernaturales quoàd modum, & infuſę per accidens.

39 Dubitabis 4.: ân Scientia Chriſti fuerit diſcurſiva: ân vero omnia intelligeret per ſimplicem intuitum? Communis R. R. ſententia eſt, ſcientiam infuſam Chriſti Domini non fuiſſe diſcurſivam, ſicút néc ſcientia naturalis Angelorum, sèd fuiſſe per modum ſimplicis aprehenſionis, & intuitus. Subtilis tamèn Doct. tenet, Chriſtum Dominum potuiſſe uti ſcientia infuſa per diſcurſum. Probatur: ratio diſcurſus propriè dicti in eo conſiſtit, ùt ſit cognitio unius rei orta ex cognitio-

tione alterius ; séd per ſcientiam infuſam potuit anima Chriſti habere cognitionem unius rei ortam ex cognitione alterius: ergo potuit habere diſcurſum media tali ſcientia. Maior eſt certa ; probatur minor ; ex cognitione cauſæ potuit Chriſtus Dominus cognoſcere effectum: *ùt quod homo eſt riſibilis , quia eſt rationalis* : ergo potuit habere cognitionem effectus ortam ex cognitione cauſæ.

40 Dices : diſcurſus ità eſt cognitio unius rei orta ex cognitione alterius, ùt ſit proceſſus à noto ad ignotum ; séd huiuſmodi cognitio repugnat Chriſto Domino ; aliàs fuiſſet in ipſo aliqua ignorantia : ergo in Chriſto Domino non fuit hęc ſcientia per diſcurſum. Reſpondeo , negando mai. ; quia , ut inquit Subt. Doct. , diſcurſus non ſempèr facit acquirere cognitionem de concluſione , ad quam diſcurritur ; sèd ſufficit út alitèr cognoſcatur , quàm antè diſcurſum. Facit enim , quód in actu ſecundo cognoſcatur , quod anteà non cognoſcebatur , niſi habitualitèr : vèl facit , quód cognoſcatur modo ſcientifico, quod antè ſciebatur ſimplici notitia , & intuitu , aut in genere.

41 Dices 2: intellectus non poteſt uti habitu primorum principiorum per diſcurſum; quia ex naturâ ſua tendit in principia immediatè , & per ſimplicem intuitum ; ſed eadem eſt ratio de habitu ſcientiæ: ergo &c. Reſpondeo, omiſſa mai., negando min.. Ratio diſparitatis eſt , quiâ habitus principiorum ob ſui limitationem dicit tantùm modum cognoſcendi per ſimplicem aprehenſionem terminorum , ſicùt per oppoſitum habitus ſcientię acquiſitæ dicit modum cognoſcendi unum ex alio; at ſcientia infuſa ob ſuam excellentiam dicit utrumque modum cognoſcendi , ſcilicèt , per ſimplicem intuitum , & aprehenſionem , âc etiàm per cognitionem unius deductam ex alio. Undè non dicimus , quòd ſcientia infuſa Chriſti Domini neceſſariò fuerit diſcurſiva ; sèd quod aſſerimus eſt , quòd poterat eſſe per ſimplicem intuitum , & poterat eſſe per diſcurſum, pro ſuo libito.

42 Dubitabis 5. : ân Chriſtus Dominus potuerit uti hac ſcientia infuſa ſinè converſione ad phantaſmata ? Reſpondeo , quòd Chriſtus Dominus non eguit , convertere ſe ad phantaſmata in uſu hujus ſcientiæ ; potuit tamèn ſe convertere pro ſuo libito. Eſt Doctoris in 3. Diſt. 14. q. 3.. Probatur: indigentia in nobis ad uti phantaſmatibus non oritur ex natura intellectus ut ſic ; néc ex eo,

anima ſit unita corpori ; nec ex eo, quod anima unitur corpori mortali ; sèd præcisè ex eo, quod, cùm contraxerimus peccatum originale Adę, in ejus pœnam datus eſt nobis hic infimus modus intelligendi per converſionem ad phantaſmata ; sèd Chriſtus Dominus caruit omni peccato : ergo non habuit neceſsitatem convertendi ſe ad phantaſmata. Maior quoàd primam partem conſtat ; quià tùnc anima ſeparata neceſſariò intelligeret cum dependentia à phantaſmatibus. Quoàd ſecundàm etiàm liquet ; quià anima unita corpori poſt reſurrectionem ſic intelligeret in gloria. Quoàd tertiam patet ; quià homines in ſtatu innocentię habebant corpora mortalia, & tamèn non erant adſtricti ad iſtum modum intelligendi. Quoàd ultimam eſt Div. Aug. 15. de Trinit. cap. ultimo.

43 Probatur quoàd ſecundam partem : actus ſcientiæ infuſę non impediebat operationem ſenſitivam, quinimó attenta naturali ſubordinatione intèr potentias animę noſtræ, valdè conſentaneum erat, operationem ſenſitivam conjungi cognitioni intellectivæ circà objectum commune utrique, & proportionatum ; ſed tùnc intellectus Chriſti Domini poterat uti converſione ad phantaſmata, ſi vellet, ſeù pro ſuo libito : ergo &c. Si autèm quæras, an intellectus Chriſti uti potuerit ſpeciebus acquiſitis ſinè converſione ad phantaſmata ? Dico, quód etſi intellectus Chriſti in acquiſitione talium ſpecierum & in prima, út ajunt, motione, dependeret à ſenſibus, tamèn in earum uſu, & in ſecunda motione non neceſſariò dependebat á ſenſibus. De hoc Sect. antecedenti num. 32. & 33.

44 Dices : ſcientia tám infuſa, quàm acquiſita fuit in Chriſto Domino, ut Viatore; séd de ratione neceſſaria Viatoris eſt, intelligere, & cognoſcere cum dependentia à phantaſmatibus : ergo in uſu ſcientiæ ſivé infuſæ, ſivé acquiſitæ eguit Chriſtus Dominus converti ad phantaſmata. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem : ſcientia tám infuſa, quam acquiſita fuit in Chriſto Domino, ut Viatore, & Comprehenſore, conc. mai. ; ut ſolùm in Viatore, nego mai. ; inverſis terminis diſtinguitur minor, vèl negatur abſolutè cum conſeq.. Chriſtus ergò erat ſimúl Viator, & Comprehenſor ; quarè ex parte corporis habebat conditiones Viatoris ; ex parte verò animæ intellectivæ conditiones comprehen-

henſoris. Deindè, licèt eſſet Viator, tamèn erat Viator abſquè omni peccato, quod in nobis eſt præcipua cauſa huius infimi modi intelligendi per converſionem ad phantaſmata.

45 Dubitabis 5.: ân ſcientia tàm infuſa, quàm acquiſita Chriſti Domini fuerit perfectior ſcientia Angelorum? Dico 1.: ſcientia infuſa Chriſti Domini fuit perfectior ſcientia Angelorum. Probatur: habitus, & ſpecies infuſæ Chriſti Domini fuerunt perfectiores habitibus, & ſpeciebus Angelorum, juxtá illud Apoſtoli: *tantò melior effectus Angelis, quantò differentiùs præ illis nomen hæreditavit*; séd ex perfectione habituum, & ſpecierum creſcit perfectio ſcientiæ: ergò ſcientia infuſa Chriſti Domini fuit perfectior ſcientia Angelorum. Confirmatur: Eſſentia Divina eſt ſpeculum voluntarium, ſi vult videtur, ſi non vult, non videtur: ergo potuit ſe manifeſtare, & oſtendere abundantiùs, & perfectiùs, intellectui Chriſti Domini, quàm ulli Angelo. Nèc obſtat, quòd intellectus Chriſti fuerit imperfectior intellectu Angelico; & intellectus cum ſpeciebus concurrat ad perfectionem intellectionis; non obſtat, quià hæc imperfectio ex parte potentiæ ſupplebatur per maiorem perfectionem habituum, & ſpecierum.

46 Dico 2.: ſcientia acquiſita, & experimentalis intuitiva Chriſti Domini non fuit perfectior, intuitivâ, & acquiſitâ Angelorum. Ità Doct. cit. Probatur: ad hanc ſcientiam acquiſitam intuitivam non concurrit ipſa ſpecies infuſa, ſeú objectum in ea relucens, ſed objectum immediatè in propria præſentia, & exiſtentia; sèd hoc ipſo hæc ſcientia Chriſti non fuit perfectior tali ſcientia reperta in Angelis: ergo non fuit. Mai. conſtat; probatur min.: in productione talis ſcientiæ non fuit aliquid, quod ſuppleret minorem perfectionem potentiæ intellectivæ Chriſti comparativè ad intellectum Angelicum: ergò notia intuitivà Chriſti Domini &c. Néc nos terrere debet cenſura Caietani (ut ſui moris eſt) in Scotum, eò quòd ponat os ſuùm in Cœlum Chriſtum Dominum, faciendo ipſum imperfectiorem Angelis. Nam qua fronte Caietanus non ponit os in Cœlum Chriſti, aſſerendo ſpecies infuſas ipſius eſſe imperfectiores ſpeciebus Angelis? Reſpondeat, & reſpondebimus.

47 Dices contra primam concluſionem: ſpecies infuſæ debent commenſurari cum earum naturis; sèd natura humana Chriſti eſt imperfectior Angelica: ergo & ipſius ſpecies infuſę ſunt

imperfectiores illis ; & conſequentèr notitia habita medijs talibus ſpeciebus erit imperfectior , quàm Angelica. Confirmatur : quanto aliqua ſcientia eſt immaterialior , tantò eſt perfectior ; sèd ſcientia Angelorum eſt immaterialior , quàm ſcientia Chriſti : ergo & perfectior. Probatur min. : anima Chriſti eſt actus corporis , & habet converſionem ad phantaſmata ; sèd hoc nequit dici de ſcientia Angelorum : ergo horum ſcientia eſt immaterialior,& perfectior ſcientia Chriſti.

48 Reſpondeo 1. , negando mai. ; quià ſpecies potiùs debent commenſurari objectis, quæ repreſentant , quàm naturis , quas informant. Sèd hoc omiſſo reſpondeo ſecundó , diſtinguendo min. ; sèd natura humana Chriſti nudè conſiderata eſt imperfectior Angelica , conc. min. : non nudé conſiderata, sèd ut unita Verbo , nego min. , & conſeq.. Ad confirmationem nego min. : ad probationem reſpondeo, quòd, licèt anima Chriſti ſit actus corporis , non tamèn ſcientia infuſa ejus eſt talis actus , nequé fit ex natura ſua per converſionem ad phantaſmata;ita, út neceſſaria , indiſpenſabiliſqué ſit huiuſmodi converſio ; sèd ſolùm per accidens , & per meram concomitantiam , pro libitoqué ſuo , modo explicato difficult. antec.



QUÆST.

QUÆST. III.

DE VOLUNTATE

CHRISTI DOMINI.

Ex dictis num. 1. queſt. antecedentis, tamquàm de Fide ſupponimus, dari in Chriſto Domino duplicem voluntatem, divinam, & humanam: de humana agimus in preſenti, dequè ejus libertate: de qua ſit

SECT. I.

An voluntas humana Chriſti fuerit libera in omnibus actibus ſuis?

1 Difficultas hęc proùt tangit actus præceptos Chriſti Domini, acritèr diſputatur inter A. A., cum quibus & nos, Deo dante, diſp. 5. quæſt. 4. inquirendo: *quomodò Chriſtus Dominus, ſalva ejus impeccabilitate, habuerit ſufficientem libertatem ad meritum?* Núnc autèm loquimur de actibus ſolùm cadentibus ſub conſilio; etſi verum ſit, quód hæc difficultas ex ibi dicendis plenè reſolvetur; & ſic breviter de ipſa diſputabimus. Senſus ergo ipſius eſt: ân Chriſtus, ut homo, potuerit elicere actum minús perfectum, omiſſo perfectiori? Ità, út ex hoc nulla imperfectio ſequeretur in Chriſto Domino. Sed pro clariori reſolutione

2 Nota, quod imperfectio moralis dupliciter ſumi poteſt: vél *poſitivè*, vel ſolùm *negativè*. Imperfectio moralis *poſitiva* eſt, quę includit peccatum mortale, aút veniale, vel dicit aliquam oppoſitionem cum lege, etiàm non obligante ad ullum peccatum. Hęc reperitur in tranſgreſ-

greſsione quarumdam regularum aliquarum religionum, quę etſi non obligent adhùc ſub veniali, tamèn illarum tranſgreſsio dicit imperfectionem moralem, & indecentem; undé, etſi Religioſus eas non obſervans non peccet, tamèn eſt dignus aliqua reprehenſione. Hæc imperfectio moralis poſitiva repugnat Chriſto, tùm ratione unionis, tùm ratione viſionis beatæ. Imperfectio moralis *negativa* conſiſtit in hoc, út non fiat ſummum opus, quod fieri poterat: & in hoc ſenſu actus minùs perfectus, vèl, quiá habet minorem honeſtatem objectivam, vél minorem intenſionem formalem, propriè non debet dici actus imperfectus; quià ſic videretur includere imperfectionem moralem poſitivam: ſed ſolúm dici debet actus minùs perfectus comparatione perfectionis: & de hac imperfectione morali negativa diſputatur: án repugnet Chriſto? Sit ergo

CONCLUSIO.

3 Chriſtus Dominus habuit nedúm libertatem phyſicam, séd etiam moralem erga actus ſub conſilio cadentes; itá, út potuerit abſqué imperfectione eligere minùs bonum. Prob. 1. concluſio: ſi aliqua ratio obſtaret ad hoc, eſſet eximia ſanctitas, qua Chriſti humanitas redditur Deo amabilis; sèd hæc ratio non obſtat: ergo &c. Prob. min.: hęc ratio ſolúm probat in humanitate Chriſti nullum poſſe reperiri peccatum, aút imperfectionem moralem poſitivam; non tamèn probat, ut humanitati Chriſti tribuamus omnes perfectiones poſitivas: ergo nulla eſt ratio obſtans &c. Confirmatur: actus minùs perfectus comparatus ad perfectiorem non dicit imperfectionem moralem poſitivam; ſed potiús perfectionem propriam, correſpondentem tali actui, tam ex parte objecti, quàm ex parte intenſionis ipſum elicientis: ergo ex eo, quod Chriſtus habeat libertatem ad eliciendum actum minùs perfectum, tám phyſicam, quàm moralem, nulla ſequitur imperfectio in Chriſto Domino; & conſequentèr eam habuit.

4 Prob. 2. concluſio, & roboratur præcedens ratio: Deus ipſe non determinatur ad efficiendum ad *extra* opera optima, & perfectiora: ergo néc humanitas Chriſti Domini erit determinata ad actus perfectiſsimos. Ant. conſtat; quià potuit meliorem Mundum efficere, & ſic de alijs operibus ad *extra*; cùm omnia, quæ ad *extra* operatus eſt, liberé operatus fuerit. Conſeq. conſtat; quià ſanctitas Dei,

ut-

utpotè infinita in omni linea, plùs urgebat, ùt Deus efficeret ad *extra* omnia opera perfectiſima, cum poſsibiliquè perfectione: quià Deus nulla perfectione carere valet; quàm urgere poteſt Chriſtum, qui etiàm poſt unionem eſt capax carendi multis perfectionibus, quamvis nullam imperfectionem poſitivam habere valeat. Confirmatur: ideo Chriſtus non eſſet liber, nèc phyſicè, nèc moraliter ad actus perfectiſsimos, quia Chriſtus de facto in operando ſemper elegit, quod melius, & perfectius erat ſibi, omnibus penſatis; ſed hoc ità fecit, út fecerit cum libertate ad eligendum aliquando, quód minús bonum erat; cum in tali electione non peccaret, nèc imperfectionem aliquam poſitivam contraheret: ergo &c. De hoc latiùs in loco cit. Nùnc

SOLVUNTUR ARGUmenta.

5 Arguitur 1.: ex Joan. 6. dicitur de Chriſto Domino: *deſcendi de Cœlo, non ùt faciam voluntatem meam, sèd voluntatem ejus, qui miſit me.* Et cap. 8.: *quæ placita ſunt ei, facio ſemper*; ſed ex his authoritat. infertur, quòd Chriſtus ſecundum voluntatem humanam non ſolùm nunquàm de facto diſcordaſſet, ſed quód nèc diſcordare potuit; ità ut in actu primo fuerit ſemper determinatus ad meliora, ac magis Deo placentia: ergo quia voluntas Chriſti non habuit libertatem nèc phyſicam, nec moralem ad non operandum melius. Aliqui reſpondent, quòd ex his authorit. ſolum deduci poteſt in Chriſto neceſsitas moralis ad meliora. Et certè hac ſolutione admiſſa, adhùc ſalvatur in Chriſto libertas ad meliora ſufficiens ad meritum; quià, ſicút moralis neceſsitas non excuſat à peccato, ſaltim veniali, út patet in éo, qui omnia collectivè ſumpta vitare nequit ſinè auxilio ſpeciali, ità manet cum tali neceſsitate libertas ad meritum. Sed hoc omiſſo,

6 Reſpondeo, negando min.; quià in communi modo loquendi ea, quæ nunquàm de facto eveniunt, licèt evenire poſſint ſiné ulla repugnantia etiam morali, dicuntur evenire non poſſe; qui modus loquendi frequenter uſurpatur, etiàm in Sac. Scriptura. Quaré authoritates adductę *accommodatè* intelligi debēt; ità, ût Chriſtus Dominus non habuerit potentiam proximam ad omittendum opera pręcepta; quoàd opera verò de conſilio, non habuerit etiàm potentiam proximam ſecundúm humanum

ſen-

ſenſum ; qui ex his, quæ videt, ſiequentér judicium fert.

7 Arguitur 2.: Sanctitas Chriſti Domini eſt ſumma ſaltim negativè, expellens â Chriſto Domino omnem imperfectionem moralem ; séd non facere, quod optimum eſt, eſt imperfectio moralis : ergó repugnat cum ſanctitate Chriſti, quód non ſit determinatus ad id, quod melius eſt. Confirmatur : ſanctitas communicata Chriſto Domino eſt maxima, quę eſſe poteſt : ergò debet continere omnem perfectionem poſsibilem : ergó debet determinare humanitatem Chriſti ad volendum, quòd optimum eſt. Reſpondeo, diſtinguendo mai. : Sanctitas &c., expellens à Chriſto omnem imperfectionem moralem *poſitivam*, conc. mai.; omnem imperfectionem *negativam*, nego mai. ; & inverſis terminis diſtinguo min., & nego conſeq.. Solutio ſatis claret ex dictis.

8 Ad confirmationem, conceſſo antec., & omiſſa prima conſeq., nego ſecundam ; quià ſi Sanctitas increata non determinat Deum ad habendum ſimpliciter nobiliſsimum actum, conſiderata perfectione actus ex ordine ad nobiliùs, & perfectius objectum ; tantò minús id faciet ſanctitas creata Chriſti circá actus ſuos ; aliàs omnes ejus actus eſſent æquales in perfectione, quod falſum eſt. Undé, ſi conſideretur perfectio actuüm ex perfectione Perſonæ operantis, tùnc omnes æquales ſunt ; ſi verò conſiderentur actus ſecundúm totum, quod habent, tàm ex parte operantis, quàm ex parte objecti, non habent omnimodam inter ſe æqualitatem. Ex quo ſequitur, quód ſanctitas Chriſti, quamvis maxima, non determinat voluntatem ejus ad id, quod optimum eſt ſimpliciter, & abſoluté ; cùm habeat actus magis, vèl minùs æquales in perfectione deſumpta ex parte objecti.

9 Arguitur 3.: ſi voluntas Chriſti non eſſet neceſsitata tám phyſicè, quàm moralitèr ad eligendum optimum ; nèc beatus eſſet ſic neceſsitatus ad faciendum in beatitudine, & eligendum illud, quod eſt optimum; sèd hoc eſt abſurdum : ergò & id, ex quo ſequitur. Mai. conſt.; quià Chriſtus Dominus in ſimúl erat Viator, & comprehenſor, ſeú beatus : ergó, ſi non obſtante beatitudine, & viſione beata, poterat eligere minús bonum, hæc poſſent & beati. Min. verò probatur : contrà perfectionem beatæ viſionis eſt, poſſe beatum nolle aliquam rem, quæ Deo magis placet, in qua qué magis illi gratificatur Beatus;

cùm

cûm beatitudo ità eum rapiat ad gratificandum Deo in omnibus, ùt non ſit in ejus poteſtate, ei non gratificari : ergò abſurdum eſt, dicere, quòd beatus ex vi viſionis beatificæ non ſit determinatus tám phyſicè, quàm moralitèr, ad eligendum ſempèr id, quod judicat magis optimum, magiſqué placere Deo. Varié reſpondent aliqui huic argumento.

10 Reſpondeo tamèn, negando min.; non eſt enim abſurdum, nequé contrà perfectionem beatificæ viſionis, quòd voluntas beati non ſit neceſsitata ad optimum, & ad magis placens Deo; nâm ad perfectionem beatitudinis ſatis eſt, quòd ex vi ejus, per denegationem concurſus parati ad oppoſitum, tollatur à voluntate beati potentia proxima ad peccandum tàm gravitèr, quam levitèr, & ſimùl, quòd determinetur ad amandam bonitatem divinam intenſiſsimè. Nulla veró adeſt ratio cogens ad dicendum, beatum determinari vi viſionis beatificæ ad omnes alios actus optimos, & magis Deo placentes; nâm eorum omiſsio non eſt offenſa minima Dei, nèc imperfectio moralis poſitiva, sèd tantùm negativa, quæ non dedecet beatitudinis ſtatum, cûm ex vi illius non debeantur beato omnes perfectiones poſitivæ.

11 Dices: Doct. in 2. diſt. 21. q. 1. docet, quòd veniale ex genere, eſſet mortale in beato; & ratio, quiá habet præcepta de ſempèr operando optima: ergò viſio beata neceſsitat voluntatem beati ad optimum in omni genere virtutum. Reſpondeo, quod Doct. ibi non loquitur in ſenſu noſtro; quiá loquitur de peccato veniali, quod eſſet contrà conſilium non propriè dictum, út hic à nobis ſumitur; séd proùt importat legem divinam obligantem ad aliquid, & de hoc ait Doct., quod veniale in nobis, eſſet mortale in beatis proptèr præceptum de non agere contrà divinam legem obligantem ad aliquid abſoluté. Nos veró in præſenti ſumimus conſilium *propriè*, hoc eſt, proút præſcindit ab omni obligatione; ideoqué contra ipſum agens non peccat; & in hoc ſenſu dicimus hic, nèc Chriſtum, nèc beatum eſſe in actu primó determinatos, & neceſsitatos ad optimum.

12 Arguitur ultimó: Chriſtus in ſua ſanctitate fuit perfectiſsimus, & irreprehenſibilis: ergò non potuit eligere opus conſilij minùs perfectum. Prob. conſeq.: ſi habuiſſet talem potentiam, fuiſſet in actu primo imperfectus, & reprehenſione dignus, quandò non peccaſſet: ergo &c. Reſpondeo conceſſo an-

antec., negando conseq.: & nego antec. probationis; quià omissio consilij non est imperfectio moralis positiva, & reprehensione digna. Hoc clarè patet in sæculari uxorem ducente, qui nulla reprehensione dignus est, aut pœnitentia, eó quod religionem non sit ingressus, aut castitatem voverit contrà consilium Divi Pauli; *consilium autèm do.* Nec Sanctitas perfectissima Christi, seú summa negativè, ad hoc facit, ùt dictum manet in solutione primi argumenti; de hoc, ùt dixi, latiùs in tract. seq. loc. cit. Nùnc verò sit

SECT. II.

AN VOLUNTAS HUMANA Christi fuerit semper conformis divinæ?

13 DUPLEX voluntas distinguitur: efficax una, & inefficax alia: voluntas efficax, proùt ad præsens attinet, est illa, quæ est principium operandi, & movet ad operationem, vél executionem: inefficax verò est, quæ non est principium operandi, sèd consistit in simplici complacentia boni, vél displicentia mali. Actus primæ voluntatis est ab omni conditione independens. Actus vero secundæ, etsi sit in se absolutus, regularitér tamèn habet annexam conditionem; quarè hac voce explicatur: hoc bonum mihi placet, & vellem facere, si non esset aliquod impedimentum. Hoc ergo notato, quærimus in præsenti: àn voluntas humana Christi tam efficax, quàm inefficax sempér, & pro sempér fuerit conformis in omnibus actibus suis voluntati divinæ? Rem per duplicem conclusionem declarabo, sit ergo

PRIMA CONCLUSIO.

14 Voluntas humana efficax Christi D. semper fuit conformis divinæ in omnibus actibus suis. Hæc conclusio est Doctoris in 3. dist. 15. q. unica. Probatur 1. ex illo Ioannis 8.: *ego, quæ placita sunt ei, facio sempèr.* Et cap. 5.: *non potest Filius facere à se quidquam, nisi quod viderit patrem facientem::: descendi de Cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sèd eius, qui misit me.* Item, in 6. Syn. Gen. act. 4. in Epist. Agat. Papæ dicitur: *prædicamus duas naturales voluntates, non contrarias*; sèd ex his, aliisqué authorit. clarè infertur, quòd humana Christi voluntas efficàx semper fu't conformis, & nunquam contraria voluntati divinæ: ergò ità fuit.

15 Probatur conclusio ra-

ratione: ſi voluntas efficax humana Chriſti Domini voluiſſet aliquid contrà Dei voluntatem, hoc foret, vél volendo aliquod impoſsibile, vél volendo aliquid illicitum; séd neutrum dici poteſt de voluntate Chriſti Domini: ergò. Prob. min. quoàd primam partem: ſi voluiſſet efficacitèr aliquid, quod Deus abſolutè non vult fieri, voluiſſet impoſsibile, & quidèm ſcientêr; nàm pèr ſcientiam beatam ſciebat, quòd ea, quæ abſolutè Deus non vult fieri, ſunt abſolutè impoſsibilia Creaturæ; séd hoc dedecet ſummam Chriſti ſapientiam, & prudentiam; quiâ vir ſápiens, & prudens ſempèr agit ex plena deliberatione, & omnibus circumſtantiis penſatis: ergò nequit dici, quòd vellet aliquod impoſsibile. Prob. eadem min. quoàd 2. part.: ſi voluiſſet aliquid illicitum, voluiſſet, quod per Dei voluntatem erat prohibitum, & non licitum; sèd túnc peccaſſet, quod horrendum eſt, dicere: ergò ſicùt Chriſtus non potuit errare, nèc peccare, ità néc potuit habere voluntatem humanam efficacem contrariam, & diſformem voluntati divinę.

16 Probatur 2. concluſio: ſi Chriſtus D. habuiſſet voluntatem contrariam voluntati divinæ efficacem, ſequeretur, quòd voluiſſet efficacitér aliquid, vél potuiſſet velle, quod nunquàm impleretur; sèd hoc dedecet Chriſtum D.: ergo &c. Mai. eſt certa; quiá nihil impletur, niſi illud, quod eſt juxtà beneplacitum Dei. Prob. min.: ſi Chriſtus abſolutè, & efficacitér voluiſſet, aliquid fieri, quod poſteá non fuiſſet implerum, ſequeretur, ipſum voluiſſe, vèl ignorantér, vél imprudentèr; quorum neutrum dici poteſt; cúm primum ſit contrà ejus ſummam ſapientiam, & ſecundum contrá ejus prudentiam: ergò &c. Confirmatur: Deus voluit efficaciter, & abſolutè mortem Filij ſui, cui voluitioni Chriſtus Dominus liberè ſe conformavit efficacitér, juxtà illud: *oblatus eſt, quià ipſe voluit.* Supponamus ergó, quód in ſimúl Chriſtus Dom. actu efficaci noluiſſet mortem ſuam, qui eſt caſus, communitér apoſitus â Theologis hic. Sic argumentor: in ſuppoſitione facta voluntas humana Chriſti Domini habuiſſet duos actus oppoſitos de eodem objecto, ſcilicèt, volitionem, & nolitionem mortis; séd tales actus repugnant, ex dictis in Philoſ.: ergo quiâ ſi Chriſtus D. habuit volitionem efficacem mortis, non habuit nolitionem efficacem ipſius, séd ad ſummum inefficacem.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

17 Arguitur 1.: Agath Papa citatus ex voluntate Chriſti, qua volebat vitare mortem, probat in Chriſto voluntatem humanam diſtinctam â divina; sèd hæc probatio non teneret, ſi illa voluntas Chriſti erat ſolùm conditionata, & inefficax: ergò. Prob. min.: potuit enim voluntas humana Chriſti eadem velle abſoluté, & efficacitèr mortem, ût â Patre præceptam; & inefficacitèr nolle, ût naturæ contrariam: ergò dicendum eſt, quòd hęc voluntas, qua nolebat mortem, fuit abſoluta, & efficax; & conſequentér, quòd fuit aliqua voluntas efficax Chriſti contraria divinæ. Reſpondeo, quòd S. S. P. P. benè probabant contrà hæreticos, duplicem eſſe in Chriſto voluntatem; sèd non ex eo, quod una voluntas fuerit abſoluta, & efficax, altera verò conditionata, & inefficax; neque præciſe ex affectu ſimplicis diſplicentiæ ergà mortem. Sèd probant 1. ex modo, quo Chriſtus protulit illa verba, ſcilicet, cum triſtitia, & mœrore; quorum affectuum non eſt capax voluntas divina. ſecundò ex ipſiſmet verbis: *non mea, ſed tua voluntas fiat*, in quibus verbis ipſemet Chriſtus manifeſtè condiſtinguit voluntatem ſuam â voluntate Dei; ex his capit. benè probabant P. P. & Concilia duplicem voluntatem in Chriſto; non autem ex eo, quod fuerint voluntas efficax, & inefficax; quià eadem voluntas poteſt eſſe efficax, & inefficax reſpectu diverſorum, ût conſtat.

18 Arguitur 2.: plura Chriſtus D. voluit in hac vita efficacitèr, quę nunquàm evenerunt: ergo ſaltim in his volitionibus efficacibus voluntas humana Chriſti efficax non fuit conformis divinæ. Prob. antec.: oravit pro perſecutoribus ſuis, & ſatis efficacitèr, juxtà illud: *Pater ignoſce illis* &c.; sèd hæc oratio effectum non habuit: ergo &c. Reſp. negando mai.: ad prob. nego min.; quia illa oratio eo modo, quo efficax fuit, fuit impleta; quià Chriſtus Dominus orando pro ſuis perſecutoribus, quod efficacitér à Patre petebat erat, út ſuis perſecutoribus largiretur auxilia ſufficientia ad reſurgendum â ſuo ſtatu perverſo; quod ſanè adimpletum fuit.

19. Arguitur 3.: Chriſtus volitione efficaci, & non ſola velleitate, renuit mori, & ex alia parte voluit efficacitér mori; er-

ergó hæ voluntates efficaces fuerunt in Chriſto D. ; & conſequentèr illa, qua renuit mori, non fuit conformis voluntati divinæ. Prob. ant. quoàd primam part.: ille actus eſt efficax volitio finis, ex cuius motivo adhibemus media ad talem finem obtinendum, ſivè finis acquiratur, ſivè non; séd Chriſtus ex odio mortis adhibuit prudentiſsimum medium ad mortem fugiendam, ſcilicèt, orationem ad Patrem: *tranſeat à me calix iſte*: ergó habuit nolitionem efficacem mortis. Confirmatur: licèt nolitio illa mortis fuerit conditionata, hoc eſt, ex ſuppoſitione divini beneplaciti, tamèn fuit efficax ex ſe: ergó &c. Prob. antec.: quandò nos petimus â Deo aliquod beneficium, ſempèr petimus includendo divinum beneplacitum, ſcilicèt, *ſi Deo ità placet*; sèd hoc non obſtat ad hoc, ùt noſtra voluntas ſit efficax, ſic petendo: ergó &c.

20 Reſpondeo, negando antec. quoad primam part.; ad probationem diſtinguo mai.: ille actus eſt efficax volitio finis, ex cuius motivo adhibemus media efficacia, conc. min.: media ſolùm inefficacia, nego mai.: inverſis terminis diſtinguó min., & nego conſeq.. Chriſtus ergó Dominus ea oratione non adhibuit media efficacia ad evitandam mortem, sèd inefficacia; quandò enim dixit: *tranſeat à me calix iſte*, ſtatim ſubdidit: *verumtamèn non mea, sèd tua fiat voluntas*, apponendo volitionem efficacem mortis, & abſolutam, oppoſitam illi nolitioni; ex quo infertur, quód talis nolitio fuit pura, & ſimplex nolleitas necis, non verò abſoluta, & efficax poſtulatio. Ad confirmationem, nego antec.: ad probationem poſſunt concedi præmiſſę, & negari conſeq.; diſparitas eſt, quià voluntas Dei non eſt nota nobis; & ſic adhibemus omnia poſſibilia media, quæ ſunt in noſtra poteſtate; Chriſto autém manifeſta erat divina voluntas de ſua morte, & ſic nolitio ipſius non erat efficax. Sèd reſpondeo, negando min.: probationis; quià dùm petimus aliquid ſub conditione divini beneplaciti, ſolùm petimus abſolutè, & efficacitèr conformitatem noſtram cum divina voluntate; rem verò ipſam petitam ſolùm conditionatè, & inefficacitér poſtulamus.

21 Arguitur ultimó: in nobis poſſunt eſſe duę voluntates abſolutæ oppoſitæ circà idem objectum ſub rationibus formalibus, vèl finibus opoſitis: ergó & Chriſtus Dominus potuit habere nolitionem mortis abſolutam

tam ſub reſpectu deſtructivæ ipſius, & velle abſolutè mori, quatenùs mors erat ad ſalutem hominum, & ad honorem Dei. Mai. conſtat exemplo Filij, cuius Pater moritur, & ex cuius morte obveniunt ei divitiæ magnæ: hic Filius ex una parte non vult efficaciter mortem Patris, quem diligit: ex alia verò parte vult abſolutè eam ob reſpectum ſubſtantiæ ipſi provenientis. Reſpondeo, negando abſolutè mai.; quiá licèt poſſint dari duę voluntates abſolutę circà idem objectum, quarum una ſit efficax, inefficax alia, ût iàm ſuprá dictum eſt; non poſſunt tamèn dari illæ voluntates oppoſitæ, ità quód ambæ ſint efficaces, quamvis ſint ſub diverſis motivis formalibus, & finibus.

22 Ratio eſt clara in Exemplo allato de Filio, cuius Pater moritur; nâm per priorem actum ex uno motivo nollet, Patrem mori, sèd vivere: & per poſteriorem actum vellet efficaciter, eum mori, & non vivere, ex diverſis motivis attactis in argumento; iſtæ ergo duæ volitiones non ſunt efficaces, & abſolutæ; quià eſtò ſint ex diverſis motivis, tamén opponerentur in objecto materiali, ſcilicèt, morte. Undè, ſi ambo ponantur efficaces, una voluntas deſtruit aliam, ſicût objectum unius deſtruit objectum alterius, ſcilicèt, mors vitam, & vita mortem; quod omninò repugnat, etiám ſi id fieret ex diverſis motivis formalibus.

SECUNDA CONCLUSIO.

23 Chriſtus Dominus habuit voluntatem inefficacem, & conditionatam difformem voluntati efficaci divinæ, ſeù non conformem; minimè verò contrariam formaliter, niſi ad ſummum ex parte objecti materialis voliti. Concluſio ſic explicata reconciliat, meo videri, diverſas opiniones in hoc puncto verſantes; quæquè, ût notat N. Maſtrius hic ſub num. 117., multum diſputant de nomine. Probatur prima pars concluſionis: indubitatum eſt, ût perſæpé diximus, Chriſtum D. habuiſſe voluntatem inefficacem non moriendi, juxtà illud: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat á me calix iſte :: non mea voluntas, sèd tua fiat*: & etiàm certum eſt, Deum habuiſſe voluntatem abſolutam, & efficacem, qua decrevit mortem Filij ſui; séd hæ voluntates erant difformes, aût non erant conformes; ſiquidèm *velle mori, & nolle mori* non conformantur intér ſe ex parte objecti: ergo in Chriſto Domino fuit actû voluntas inefficax non conformis

mis voluntati efficaci divinæ.

24 Probatur ſecunda pars concluſionis, ſcilicèt, quòd hæc voluntas inefficax Chriſti non fuit proprié contraria voluntati efficaci divinæ : contraria ſunt affirmatio, & negatio ejuſdem de eodem, & ſecundùm idem; séd Deus voluntate abſoluta voluit mortem Chriſti, tamquàm medium Redemptionis humanæ; voluntas autèm Chriſti inefficax noluit mortem, tamquàm ſibi diſconvenientem : ergo hæ duæ voluntates non fuerunt de eodem objecto formali, & ſecundùm idem; cûm Chriſti voluntas refutaret mortem ſub diverſa ratione, & conditione formali ab illa, ſub qua proponebatur à voluntate divina : ergó tales voluntates non fuerunt propriè, & formalitér contrariæ. Confirmatur : volitio divina fuit actus abſolutus, & efficax, nolitio verò Chriſti fuit conditionatus, & inefficax; sèd hi actus non contrariantúr intèr ſe : ergò &c. Prob. min. : nos paſsim habemus volitionem efficacem alicuius objecti proptér unum motivum, & ineſficacem ejuſdem objecti proptèr aliud, ût conſtat in projiciente merces in mari metu naufragij : vult enim efficacitèr illarum projectionem ad conſervandam vitam : & eam inefficacité non vult, utpoté deſtructivam ſuorum bonorum : ergò hi actus, volitio efficax, & nolitio inefficax ejuſdem objecti, non contrariantur intér ſe; & conſequentèr volitio inefficax, qua Chriſtus noluit mortem, non erat propriè contraria voluntati efficaci Dei illam decernenti.

25 Probatur 3. pars concluſionis, ſcilicèt, quod tales voluntates fuerunt contrariæ ex parte objecti materialis voliti : volitiones non ſolùm contrariantur ex parte motivi formalis, sèd etiàm ex parte objecti materialis; sèd objecta materialia volitionis efficacis Dei, ſcilicèt, *mors Chriſti*, & volitionis inefficacis Chriſti D., ſcilicét, *vita*, intér ſe contrariantur, cûm mors, & vita ſint oppoſita : ergo huiuſmodi volitiones ex parte objecti materialis voliti erant intèr ſe contrariæ. Confirmatur : ſi ad contrarietatem non ſufficeret oppoſitio objectorum materialium, séd ultrà requireretur identitas motivorum formalium, ſequeretur, quòd peccator, ùt in plurimúm non contrariaretur dîvinæ voluntati; séd hoc nequit dici : ergò, quià ad contrarietatem ex parte objecti materialis ſufficit oppoſitio ipſius; quamvis rationes formales ſint diverſæ. Prob. mai.: Divina voluntas, v. g., prohibet mendacium, vel furtum, quià

quià malum in ſe ; mendax verò, vèl fur, non vult illa, quià mala in ſe ; ſiquidèm nemo aſpiciens ad malum operatur, sèd quià utilia, aût delectabilia: ergo &c.

26 Dices : ſi Chriſtus habuiſſet huiusmodi voluntatem inefficacem non moriendi difformem voluntati efficaci divinæ, peccaſſet ; sèd hoc eſt nefas dicere: ergò &c. Prob. mai. : talis volitio inefficax ſufficit in aliis materiis ad peccatum ; út in materia vindictæ, & luxuriæ, &c. Reſpondeo, negando mai. : ad probationem, conceſſo ant., negatur conſeq. ; quià eſtò in quibuſdam materiis ipſæ volitiones inefficaces ſint peccatum, quià ob ſpecialem rationem adiunctam habent malitiam moralem, non bené trahitur conſequentia ad propoſitum ; nàm velle aliquod obiectum inefficacitér ob honeſtum aliquem finem, út voluit Chriſtus Dominus eius vitam inefficacitér, non eſt peccatum. Undè non ponimus in Chriſto Domino volitiones inefficaces reſpectu omnium obiectorum, sèd ſolùm reſpectu illorum, quæ ipſi non repugnant.

*** *** ***
*** ***
***

SECT. III.

An in voluntate Chriſti fuerint habitus ſupernaturales, & virtutes morales?

27 DE virtute charitatis tàm ergà Deum, quàm ergà nos propter Deum, nullus eſt dubitandi locus ; cùm in Evangelio ſint plurima teſtimonia ergà charitatem Chriſti in gradu heroico. De ſpe verò poteſt eſſe aliqua difficultas; quamvis ex dictis ſect. 4. dub. 1. quæſt. antec. facilè reſolvi valeat. Sèd pro faciliori captu nota, quòd ſpes theologica reſpicit Deum, út poſſidendum, & Deus in ſe, út poſſidendus, eſt obiectum eius primarium : bona verò, quæ acceſſoriè comitantur poſſeſſionem Dei, út immortalitas, gloria corporis, &c., ſunt obiecta ſecundaria. Ultrà nota, quòd ſpes, alia eſt habitualis, & eſt qualitas permanens, & inhærens animę, qua elevatur, & inclinatur ad actus ſpei. Alia actualis, & eſt actualis expectatio tantæ poſſeſſionis, út futurę. His notatis,

28 Dico 1. : in Chriſto Domino non fuit proprie, & rigoroſè ſpes theologica actualis quoàd obiectum primarium, benè verò quoàd obiecta ſecundaria

ria : habitualis verò poteſt probabilitèr admitti. Eſt communis. Probatur brevitèr : propria , & rigoroſa ſpes theologica debet reſpicere Deum , út poſsidendum, & quidèm ſibi ; sèd Chriſtus ab inſtanti conceptionis perfectè poſſidebat Deum , & cum omnimoda certitudine de eius æterna poſſeſsione : ergò non poterat ſperare illum , út poſsidendum ; & conſequenter non poterat habere ſpem theologicam actualem de eius primario obiecto.

29 Probatur , quôd eam habuerit de obiecto ſecundario: Deus , út aliis poſsidendus, & út poſsidendus cúm gloria corporis , & alia comitantia, ſunt obiecta ſecundaria ſpei theologicæ , tàm actualis , quám habituales ; séd de his omnibus potuit Chriſtus Dominus habere ſpem : ergò eam habuit. Probatur min. : licèt ſpes requirat aliquam incertitudinem , ſufficit tamèn incertitudo ex parte obiecti , hoc eſt , quód talia obiecta ſint ex ſe , & phyſicè defectibilia ; sèd talia ſunt ex ſe , & phyſicé defectibiliá obiecta ſecundaria ſpei theologicæ : ergó &c. Tandém , quód probabilitèr habuerit ſpem habitualem , probatur ex dictis ſect. ult. queſt. antec. , agendo de habitu Fidei. Deindé : hæc virtus non dedecebat , nèc repugnabat in Chriſto: ergô non defuit ipſi. Conſequentia infertur : probatur antec. : ſi dedeceret , aùt repugnaret Chriſto, maxime, quiá poſsidebat Deum, & ſecurus erat de æternitate poſſeſsionis ; sèd hęc ratio non impedit : ergó. Prob. min. : poterat , út viator , ſperare deſinere eſſe viator , & ſolùm eſſe comprehenſor ; sèd ſperare ſolùm eſſe comprehenſorem eſt obiectum ſpei : ergò. Res eſt parvi momenti. Undè pro reſolutione ſecundæ partis difficultatis

30 Dico 2. : in Chriſto Domino fuerunt virtutes morales ſiné defectibus , & in gradu heroico. Eſt communis. Probatur: in Chriſto Domino ponendę ſunt omnes perfectiones , quę nullam dicunt implicantiam , & repugnantiam ; sêd quód in voluntate habuerit virtutes morales , ſcilicét iuſtitiam , fortitudinem , & temperantiam , nullam dicit implicationem , & repugnantiam: ergò iſtæ admittendæ ſunt in eius voluntate. Mai. conſtat ; quiá Chriſtus dignificandus eſt , quantum poteſt abſque implicantia, vel inconvenientia , ita út nulla defuerit ei perfectio naturalis, vêl ſupernaturalis, & moralis. Probatur min. : virtutes etiàm morales perficiunt animam humanam: ergò ex eo , quod fuerint in anima Chriſti , & eius voluntate, nulla ſequitur implicantia , àc re-

pugnant'a. Antecedens conſtat ex Aug. 1. de Civitate Dei, cap. 17. ubi ait: *virtutes ſunt quidam amores boni honeſti.* Et ſubi. Doct. in Reportatis in 3. Diſt. 33. num. 18. ait: *virtutes morales perficiunt hominem, ût homo eſt; id eſt, ſecundùm quòd natus eſt, agere ſecundùm rectam rationem.* Ex quo virtus moralis ſic communiter definitur: *eſt, qua benè vivitur, & nullus male utitur*: ergo virtutes morales perficiunt animam humanam. Confirmatur: Chriſtus fuit fons omnium virtutum, & perfectionum: ergó in ipſo debuerunt eſſe omnes virtutes, ſublatis imperfectionibus, quas nos habemus.

31 Prob. 2. diſcurrendo per ſingulas: in primis fuit *juſtitia*; nâm juſtitia virtus eſt conſtans, & perpetua voluntas jus ſuùm unicuique tribuens pro ſua dignitate; séd hoc perfectiſsimè præſtitit Chriſtus Dominus, ût ſatis conſtat ex illa reſponſione, quam dedit Phariſæis: *reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & quę ſunt Dei, Deo*: ergò in Chriſto fuit virtus juſtitia. Deindé, fuit *fortitudo*; nâm fortitudo eſt intrepiditas in ſuſtinendis adverſis; sêd nullus fuit intrepidior Chriſto in ſuſtinendo tot, âc tantas perſecutiones; quinimó ſponte ſe manifeſtabit militibus ipſum quærentibus ad necem, juxtá illud: *eamus, ecce appropinquat, qui me tradet ::: quem quæritis? Ego ſum*: ergô in Chriſto fuit fortitudo virtus. Tandém fuit *temperantia*, non præût hæc virtus verſatur tantùm circà moderationem, aût mortificationem appetituùm carnis; cuius actus principales, & continuos perſępè elicuit, etiámſi ejus caro perfectiſsimè ſubjiciebatur ſpiritui; sèd etiam fuit temperans ergá moderationem mundanorum, hoc eſt, pomparum, aût bonorum temporalium; & in jeiunijs, vigilijs, & alijs pœnis, âc laboribus, in quibus exercetur noſtra temperantia, juxtá illud: *jeiunavit quadraginta diebus, & noctibus*: ergô in Chriſto fuit vera temperantia.

32 Dices 1.: aliquæ virtutes morales pugnant cum ſtatu perfectiſsimo ſanctitatis, & beatitudinis, quem habuit Chriſtus Dominus ab inſtanti conceptionis: ergó illæ non fuerunt in ipſo. Prob. antec.: pœnitentia, & temperantia repugnant cum tali ſtatu: ergo &c. Prob. antec.: pœnitentia ſupponit peccatum præteritum; & temperantia rebelliones paſsionum, quę ſunt moderandæ; séd neutrum fuit in Chriſto Domino, ût ex ſe conſtat: ergo. Reſpondeo, negando antec.: ad probationem, diſtinguo antec.: pœnitentia, & tem-

temperántia, quoád *materiale* ipſarum, repugnant cum illo ſtatu, conc. antecedens; quoád *formale* ipſarum, nego antec.: eiſdem terminis diſtinguitur mai. probationis, & minor, & negatur conſeq.. Habitus ergò illarum virtutum inclinant ad bonum, & honeſtatem earum, quod eſt formale, & primarium objectum illarum; licèt deſit illis materia circà quam â nobis exercentur in hac vita, & máximé in ſtatu naturæ corruptæ. Undè, cùm Chriſtus amaverit bonum, & honeſtatem temperantiæ, & pœnitentiæ, recté dicitur, quòd habuit habitus talium virtutum.

33 Dices 2. : in Chriſto Domino non potuit eſſe virtus *liberalitas*; sèd hęc eſt una ex virtutibus moralibus: ergò in Chriſto non fuerunt omnes virtutes morales. Prob. mai.: Chriſtus Dominus nihil poſſedit de bonis temporalibus, quæ poſſet diſpenſare, sèd ſempèr vixit in perfectiſsima paupertate: ergó non habuit liberalitatem. Reſpondeo, negando mai.: ad probationem dico, quòd iſtæ virtutes non conſiſtunt in ſolis actibus, hoc eſt, in largitione actuali bonorum temporalium, sèd in habitibus inclinantibus, ad tales actus, & in amore illorum, v. g. liberalitas in affectu largiendi bona indigentibus: & hic affectus certè in pauperrimis inveniri valet. Deinde: pluſquam mediocris liberalitas fuit illa, qua Chriſtus Dominus cibavit uſquè ad ſacietatem, imò uſquè ad ſuperabundantiam tot millia hominum in deſerto. Et quid dicendum de illis occaſionibus, in quibus largitus eſt ſanitatem ægrotantibus?

34 Si quęras: ân iſtę virtutes fuerint acquiſitæ à Chriſto, ân vero infuſæ? Reſpondeo, quòd maiori ex parte fuerunt infuſæ. Ratio eſt; quià Chriſtus Dominus ût in plurimúm non habuit materiam exercendi actus, quibus illæ poſſent acquiri; nullas enim habuit paſſiones reprimendas, nulloſquè motus inordinatos moderandos, quibus augetur temperantia, & ſic de cęteris. Deindé: eadem eſt ratio de his habitibus, âc de alijs; séd alij fuerunt infuſi, & quidém in inſtanti conceptionis, ex quo habuit uſum rationis ad poſſe uti talibus habitibus: ergò &c. Tandem hæ virtutes fuerunt in Chriſto in gradu heroico, hoc eſt, in gradu ſupremo, & perfectiſsimo poſsibili, ſicût alij habitus, & gratiæ habituales: ergò ſicùt illi habitus fuerunt in Chriſto infuſi, ſic etiàm habitus harum virtutum. Non ob hoc negamus, quòd, cùm habuerit actus harum virtum, ex iſtis repetitis aliquomodó potuerunt acquiri habitus acquiſiti.

DISP. II.

DE FILIATIONE,

ET SERVITUTE CHRISTI DOMINI.

ETsi Filiatio Chriſti Domini maxima gratia ſit; tamén, quiá hæc ſequitur ad eſſe naturale, & conſtitutivum Chriſti Domini, ideò priuſquàm ſermonem inſtituam de gratia tàm actuali, quàm habituali; opere prætium duxi, agere de filiatione, & conſequentèr de ſervitute Chriſti Domini. Sit ergò

QUÆST. I.

An Chriſtus, ut homo, ſeù ſecundùm humanitatem ſit Filius Dei adoptivus?

1 IN hac quæſt., ni fallor, multum laboratur de nomine. Undè, ût omnis æquivocatio tollatur, & brevitér eam reſolvamus, aliqua prælibanda ſunt. Noto primò, certum eſſe, Chriſtum, proùt dicit ſuppoſitum divinum in natura humana ſubſiſtens, eſſe Filium Dei naturalem, non adoptivum; & ideò apponitur conſultò in titulo particula, *ùt homo*, *vèl ſecundùm humanitatem*: & non intelligimus naturam humanam in communi, sèd ſingularem in Chriſto exiſtentem. Undé ſenſus quæſtionis eſt: ân, ſicút Chriſto ratione propria humanitatis conveniunt hæc prædicata, *eſſe creaturam*, *incœpiſſe*, *mortuam*, *& prædeſtinatam* fuiſſe &c., conveniat etiàm eſſe Filiam Dei adoptatam, poſſequè dici Filiam Dei adoptivam. Sèd, quiá magna æquivocatio eſt in præſenti inter aliquos Theologos circà intelligen-

gentiam huius nominis *adoptio*, ideò, ùt hæc, & lis de nomine tollatur,

2 Noto 2. ex Doct. in 3. Dist. 10. quæst. unic., quód hoc vocabulum *adoptio* translatum est â Juristis, ût ille, qui non est naturalitèr genitus, néc ex generatione naturali habet jus succedendi in hæreditatem alicujus, séd est præordinatus ex gratia ad tale jus succedendi, dicatur Filius adoptivus. Undé ait Doct., tres conditiones requiri, ût aliquis dicatur Filius adoptivus. Prima est, extraneitas ex generatione naturali, ità, ut ille, qui adoptatur, non habeat ex se, & generatione sua naturali gradum Filij; qua proptér, licét sit affinis, & consanguineus, benè poterit adoptari. Secunda conditio est ex parte adoptantis, ità, quód ipsa adoptatio sit ex parte ipsius gratuita, & liberalis; nam, si fiat ex aliquo titulo, præsertim oneroso, túnc non erit adoptio, sèd quasi emptio, aût alius contractus. Tertia conditio est habere bonum, ad quod adoptatus ordinetur, scilicèt, hæreditatem, & bona temporalia, ad quę habet jus succedendi ex ipsa adoptione. Quarè Filius adoptivus est, cui convenit jus ad participandam hæreditatem, & substantiam extrinsecam Patris, non ex vi generationis, sèd ex gratuita voluntate adoptantis. Sic ergò debet in præsenti sumi nomen *adoptio*, né faciamus quæstionem de nomine.

3 Noto 3., quód nobis pro nùnc non placet distinctio aliquorum Scotistarum de duplici adoptione, dupliciquè extraneitate illius, qui debet ad hæreditatem adoptari. Prima est, quæ excludit tám debitum naturale conveniens Filio naturali, quám omnem congruentiam ad talem hæreditatem: quo in sensu dicunt, Christum non posse dici Filium adoptivum Dei. Secunda adoptio, & extraneitas est, quæ, licèt excludat debitum naturale conveniens Filio naturali, non excludit tamèn congruentiam, seu dispositionem aliquam ad ipsam hæreditatem. Et hac adoptione, & extraneitate, dicunt, quód Christus potest dici Filius Dei adoptivus. Nobis non placet; nám lis est: àn cum hac congruentia, & dispositione componatur in Christo Domino adoptio proprié sumpta, ità ùt sit propriè Filius Dei adoptivus; ejusqué humanitas verè adoptata? Nominales communitér affirmant; Thomistæ veró, & Scotistæ absolutè negant. Cum quibus

4 Sit conclusio: Christus, ût homo, non est Filius Dei adop-

adoptivus, nèc ejus humanitas adoptata adoptione propriè ſumpta. Prob. concluſio ex Concilio Francford., in quo circà finem dicitur: *quid eſt adoptio, niſi charitatis copulatio, qua Pater adoptione ſibi copulat Filium quem proprium non habet?* Et antecedentèr columna 8., reddens rationem, cùr nomen adoptionis removendum ſit à Chriſto, dicit: „dices, cûr times Chriſtum „adoptivum nominare? Dico „tibi, quià nèc Apoſtoli ſic eum „nominarunt, nèc Sancta Dei „Cathol. Eccleſia conſuetudinem habuit ſic eum appellare; adoptivus, ſiquidem non „habet aliam ſignificationem, niſi, ût Jeſus Chriſtus non ſit „Filius proprius Dei. Et in Sacro-Syllabo columna 5. ait: *porrò adoptivus dici non poteſt, niſi is, qui alienus eſt ab eo, â quo dicitur adoptatus.* Ex his ergó authoritatibus, & ex alijs S. S. P. P. eliminatur error Elipandi Archiep. Toletani, qui dicebat, Chriſtum ſecundúm humanitatem non eſſe proprium Filium Dei, séd adoptivum prædicare auſus eſt, ût refert Jonas Aurêlenſis lib. 1. de cultu Imaginum.

5 Probatur concluſio ratione N. Subr. Doct.: ille, qui adoptatur in Filium, non conjungitur adoptanti naturâ, & re ipſa, séd ſolo affectu; ità, ût antè adoptionem ſit extraneus, & alienus ab adoptante, phyſicé, ſeu ſecundùm ſubſtantiam; séd humanitas Chriſti Domini, ſcù Chriſtus, út homo, nunquàm fuit Deo extraneus, & alienus, aût ſolo affectu conjunctus, séd re ipſa fuit ſubſtantialitér ipſi unitus in unitate Perſonæ ſempér, & pro ſempér: ergò nunquàm Chriſtus potuit eſſe Filius adoptivus Dei ſecundùm humanitatem. Mai. conſtat ex definitione adoptionis propriè ſumptę, & traditę ex Concil. Francford. num. antec. Prob. min.: antè infuſionem gratię, per quam homo acquirit formalitér jús in hæreditatem gloriæ; Chriſtus, út homo, erat per unionem hypoſtaticam unitus ſubſtantialitèr ipſi in unitate Perſonæ: ergó nèc erat extraneus, nèc alienus â Deo, sèd erat ex vi generationis aliquid ipſius Dei; & conſequentèr ejus humanitas nunquàm fuit extranea, & aliena, aût ſolo affectu conjuncta, sed ſemper fuit ſubſtantialitèr ipſi unita.

6 Probatur 2. concluſio evertendo fundamentum Contrariorum: ideó Chriſtus, út homo, poſſet dici Filius Dei adoptivus, quià licèt ſempèr, & pro ſempér fuerit unitus Deo ſubſtantialitèr in unitate Perſonę, ta-

tamèn, cùm hæc unio in probabiliori opinione Scotistarum non constituat naturam humanam Christi Sanctam formaliter, potuit per gratiam habitum subleuatum ad unionem hypostaticam acquirere jus ad hæreditatem, & consequenter constitui Filius Dei adoptivus; sèd hæc ratio nihil probat: ergò &c. Mai. constat; probatur min.: licèt unio hypostatica non constituat humanitatem Christi sanctam formaliter, nec det jus formale ad hæreditatem, sanctificat tamèn radicaliter, & causaliter, & præbet jus radicale, & incohatum ad hæreditatem; sèd hoc sufficit ad excludendam adoptionem propriè dictam: ergò &c. Prob. min.: qui dicitur Filius adoptivus alicuius, propriè dictus, est necesse, quòd ità generetur, ût vi suæ generationis non requirat adhùc concomitantèr, & de congruo habere jus hæreditandi; nàm adoptio, út diximus num. 2., debet esse omninò gratuita, & liberalis; sèd generatio Christi hominis naturaliter requirit concomitantèr jus in hæreditatem ratione unionis hypostaticę hoc de congruo postulantis: ergò &c.

7 Probatur hac eadem ratione, quòd humanitas Christi non potest dici adoptata propriè: qui propriè adoptatur, non naturâ, & te ipsa conjungitur adoptanti, sed solo affectu; ed humanitas Christi non fuit Deo conjuncta solo affectu, sèd re ipsa subsistentialiter in unitate Personæ: ergò nequit dici propriè adoptata. Confirmatur: Humanitas Christi prius naturâ fuit unita personaliter Verbo, quam gratię, & gloriæ: ergò priùs naturâ ratione unionis personalis cum Verbo acquisivit naturale jus, saltèm inchoatè, & radicaliter, ad gratiam, & gloriam, quàm illas in se reciperet; & consequenter per eas non potuit constitui Filius Dei adoptivus propriè talis. Antec. est Doct. in 3. Dist. 2. q. 2. art. 2., ubi docet, quòd humanitas Christi postulabat compleri priùs naturâ substantialiter, hoc est per subsistentiam Verbi, quàm accidentaliter, hoc est, per gratiam, & gloriam.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

8 Arguitur 1.: ad veram adoptionem sufficit prioritas naturæ, & quòd ex vi generationis non habeat natura illa, quæ adoptatur, jus ad hæreditatem; sed totum hoc evenit in humanitate Christi Domini: ergò fuit verè adoptata; & consequenter fuit verus Filius adoptivus. Prob. min.: priùs natu-

rà terminavit humnitas Chriſti generationem in ſe, quàm fuerit Verbo unita; quià non eadem actione fuit producta, & Verbo unita: ergo in illo primo inſtanti naturę, in quo intelligitur humanitas Chriſti in ſe exiſtens, & non unita Verbo, intelligitur non habens jus ad hæreditatem. Reſpondeo, diſtinguendo mai.: ad veram adoptionem ſufficit prioritas naturæ *in quo*, & quòd ex vi generationis non habeat jus ad hęreditatem, nèc inchoatum, nèc completum, conc. mai.: ſufficit prioritas naturæ *à quo*, & quòd ex vi generationis non habeat jus ad hæreditatem completum, licèt habeat inchoatum, neg. mai., min., & conſeq. Ad probationem omiſſo ant., nego conſeq.

9 Itaqué licét verum ſit quòd humanitas Chriſti Domini fuerit per priùs prioritate naturę in ſe exiſtens, quàm unita Verbo; tamén pro illo inſtanti non erat in potentia proxima ad hoc, ût pro tali inſtanti propriè adoptaretur, ût Filia. Ratio eſt; quiâ ad hoc, ût aliquis adoptetur, eſt neceſſe, quód præſupponatur perfectè coſtitutus in actu primo, & in toto ordine ſubſtantiali. Ad hoc enim eſt neceſſaria ſubſiſtentia, vél propria, vél aliena; undè in illa pręciſione, quam facit argumentum, ſcilicèt, quòd Humanitas Chriſti pro priori naturæ ad unionem cum Verbo, erat adoptabilis propriè ût Filia â Deo, eſt falſum; quià pro túnc non ſupponebatur ſubſiſtens; cùm ſubſiſtentia conveniat ipſi ratione unionis; & conſequentér nèc adoptabilis. Hæc notatur differentia intér Filiationem naturalem, & propriè adoptivam, quòd naturalis poteſt convenire naturæ, ût â ſubſiſtentia præſcindit; nàm filiatio naturalis fundatur in natura ſimili naturæ Generantis naturaliter; Filiatio autém adoptiva non convenit, niſi ſuppoſito, vél habenti modum ſuppoſiti, qualis eſt anima rationalis ſeparata.

10 Arguitur 2.: unio hypoſtatica naturæ humanæ cum Verbo non officit proprię adoptioni ipſius: ergô. Prob. antec.: talis unio eſt ſolúm diſpoſitio ad gratiam, & gloriam; séd diſpoſitio ad gratiam, & gloriam non tollit extraneitatem ad adoptionem propriè ſumptam: ergô &c. Prob. min.: dùm peccator diſponitur de congruo per contritionem ad gratiam, talis diſpoſitio non tollit extraneitatem, âd hoc ût per gratiam propriè adoptetur, ût eſt omninó certum: ergó &c. Reſpondeo, negando antec.. Ad probation. diſting. mai.: unio eſt diſpoſitio ad gratiam,

tiam, & gloriam, ipſas radicaliter, connaturaliter exigens, conc. mai.: non ſic exigens, nego mai.; inverſis terminis diſtinguo minorem, & conſeq.. Ad probat., conceſſo antec., nego conſeq., & paritatem. Diſparitas ſtat in eo, quod contritio, qua peccator diſponitur ad gratiam, non facit contritum unitum Deo ſubſtantialiter, ſicùt facit unio hypoſtatica; undé contritio non excludit adoptionem, ſicùt unio hypoſtatica.

11 Arguitur 3.: Chriſti humanitati ratione unionis hypoſtaticæ non convenit jus aliquod ad gratiam, & gloriam: vêl, ſi ipſi convenit, eſt ex mera liberalitate Dei; sêd hoc ipſo debet eſſe Filia adoptiva Dei: ergô eſt. Mai. conſtat; quiâ humanitas Chriſti ex ſola liberalitate Dei eſt ordinata ad unionem hypoſtaticam. Minor probatur; quiâ natura, cui non convenit ex vi ſuæ generationis nequè diſpoſitio, nequè jus ad hæreditatem, sêd ſolùm ex mera gratia adoptantis, veré, & propriè adoptari poteſt; sed hoc verificatur de Humanitate Chriſti: ergô. Hoc argumentum, ſi quid probat, ſolùm probat, Humanitantem Chriſti poſſe dici Filiam Dei adoptivam adoptione impropriè ſumpta, de qua hic non loquimur, ût jàm dixi. Quarè

12 Reſpondeo ad argumentum negando mai. quoàd primam partem, & conceſſa quoad ſecundam, nego abſolutè min.. Ad cuius probationem diſtinguo mai.: natura, cui non convenit ex vi ſuę generationis completè ſumptę neque diſpoſitio, &c., conc. mai.: natura, cui convenit ex vi ſuæ generationis completæ ſubſtantantialis diſpoſitio, & jus, &c., nego mai.: inverſis terminis diſtinguo min., & nego conſeq.. Explicatur ſolutio. Animæ mëę, nèc meo corpori, non debetur, quòd ab hoc numero parente prodirent; potui enim ab alio generari: ât eo ipſo, quod de facto procedam, nequeo non eſſe ejus Filius naturalis, néc poſſum dici adoptivus. Sic ergò, quamvis Chriſti humanitati non debeatur unio hypoſtatica, sèd ſit maxima gratia, iſta ſuppoſita, & conceſſa, non poteſt ultrà dici Filia adoptiva Dei proprié; quiâ re ipſa eſt unita phyſicè Deo, & non per ſolum affectum, ût ad adoptionem propriè dictam exigitur.

13 Arguitur 4.: unio hypoſtatica non officit ad hoc ût Chriſtus Dominus dicatur prędeſtinatus ad gratiam, & gloriam: ergô nêc officiet ad hoc, ût dicatur Filius adoptivus Dei. Conſequentia conſtat; quiâ prædeſtinatio ad gratiam eſt cauſa

ſa collationis gratię. Reſpondeo, conceſſo antec., negando conſeq.; diſparitas ſtat in hoc, quod prædeſtinatio ad gratiam eſt ſolùm in ordine intentivo, quodquè non ſufficit ad hoc, út Chriſtus conſtituatur Filius Dei adoptivus; ad hanc enim requiritur actualis collatio gratiæ, pertinens ad ordinem executionis. Undè, quamvis Chriſtus, ùt homo, ab æterno, & in ordine intentivo ſit prædeſtinatus ad eſſe Filium Dei, & conſequentèr ad gratiam & gloriam; ex hoc tamen non ſequitur, quód, dùm, in tempore ei confertur gratia in executione, ſit Filius adoptivus Dei; quiá extraneitas requiſita ad adoptionem proprié ſumptam præſupponitur pro priori naturæ ablata ratione unionis hypoſtaticę, unientis naturam humanam ſubſtantialitèr cum Deo in unitate Perſonæ.

14 Arguitur 5.: gratia habitualis Chriſti Domini eſt ejuſdem rationis cum noſtra; ſèd hoc ipſo, ſicùt nos facit Filios adoptivos Dei, ita & Chriſtum Dominum conſtituere debet Filium adoptivum Dei: ergó eſt talis Filius adoptivus. Mai. eſt certa; probatur min.: ideò gratia habitualis conſtituit nos Filios adoptivos Dei, quiá eſt effectus formalis ipſius talis adoptio: ergò etiàm Chriſtum debet conſtituere Filium adoptivum Dei. Prob. conſeq.: repugnat, aliquam formam eſſe in aliquo ſubjecto, & non conferri illi ſuùm effectum formalem: ergò, cùm gratia habitualis ſit in Chriſto, & ejuſdem rationis cum noſtra, & ſit ejus effectus formalis, & eſſentialis adoptio, repugnat, quód ſit in Chriſto, quin ipſum conſtituat Filium adoptivum Dei. Hoc eſt præcipuùm fundamentum Nominalium.

15 Reſpondeo tamén, conceſſa mai., negando min. Ad cuius probationem nego antec.; & ad iſtius probationem, conceſſo antec., nego conſeq., imò & ſuppoſitum. Itaquè gratia ex ſua ratione formali non eſt forma adæquata Filiationem adoptivam conſtituens reſpectu omnis naturæ ipſam habentis, séd prærequirit connotatum, ſcilicét, extraneitatem naturæ, & ſic gratia habitualis dicitur eſſe adoptio tantùm reſpectu naturæ, vèl ſuppoſiti extranei. Quarè, cúm Chriſtus, út homo, non ſit ſuppoſitum extraneum à Deo, nequè eius humanitas unquàm extranea fuerit, ideò non poteſt in ipſo gratia habitualis habere effectum formalem adoptionis. Deindé, abſolutè falſum eſt, quòd effectus formalis gratiæ habitualis ſit, facere hominem adoptivum

vum; séd ſolùm ſanctum, juſtum, & Deo gratum et ratio eſt; quia gratia habitualis eſt forma abſoluta, & ſic conferre debet effectum formalem abſolutum: eſſe autem filium adoptivum non eſt quid abſolutum, sèd relativum, quod reſultat ex effectu formali gratiæ habitualis in ſubjecto capaci, quale non eſt Chriſtus, qui nunquàm fuit extraneus.

16 Arguitur ultimò: Chriſtus, in quantùm homo, ſeù ſecundùm humanitatem, eſt Filius Dei, ùt expreſsè conſtat ex variis textibus Sac. Scripturæ, & ex communi ſenſu S.S. P.P.; sèd nequit eſſe Filius naturalis Dei: ergo præcisè debet eſſe Filius adoptivus propria, & rigoroſa adoptione. Hoc argumentum eſt etiàm Nominalium. Sèd pro eius ſolutione, & ùt hucùſque dicta in hac quæſtione meliùs percipiantur, ſit

QUÆSTIO II.

An Chriſtus, ùt homo, ſeù ſecundùm humanitatem, ſit Filius Dei naturalis, vèl proprius?

1 PRO intelligentia noto, quòd ly *ùt homo, ſeù ſecundùm humanitatem*, poteſt dupliciter intelligi: primò ità, ut reduplicet ſuprà hypoſtaſim, & Perſonam Chriſti, & faciat hunc ſenſum: *Chriſtus, quatenùs eſt ſuppoſitum humanæ naturæ, eſt Filius naturalis Dei*: & ſic non eſt quæſtio; nàm certum eſt, quòd Chriſtus, quatenùs ſuppoſitum naturæ humanæ, eſt Filius Dei naturalis; & quidèm per æternam generationem. Alio modo poteſt ſumi ly *ùt homo, ſeù ſecundùm humanitem*, ità, ùt reduplicet humanitatem, & ſumatur ratione Naturæ, & túnc facit hunc ſenſum: Chriſtum ſecundùm humanitatem, ſeú ratione humanitatis, eſſe Filium Dei naturalem, vél non eſſe; & in hoc ſenſu debet exagitari quæſtio, nè lis fiat de nomine.

2 Ultrà nota, quòd quàm plures Theologi fundati in variis textibus Sacræ Scripturæ diſtinguùnt de triplici Filiatione, *adoptiva*, *naturali*, & *propria*. Prima eſt, de qua egimus quæſtione antec.. Secunda eſt illa, qua naturaliter Filius á Patre deſcendit, út communiter evenit in omni generatione. Tertia tandém eſt, velúti media inter duas primas filiationes, & eſt, quandò Filius, nèc eſt naturaliter genitus; néc eſt adoptivus, quià non eſt extraneus. Hoc ergò ſuppoſito, in preſenti difficultate triplex eſt ſententia. Prima te-

net, Chriſtum, ùt hominem, eſſe Filium Dei naturalem. Sic comminitèr R.R.citantes pro ſe Alenſem, Div. Bonav., & alios. Secunda negat abſolutè, Chriſtum, ut hominem, eſſe Filium Dei naturalem. Pro hac ſententia ſtant plurimi Scotiſtę. Tertia ſententia media negat, Chriſtum eſſe Filium Dei naturalem, & defendit, eſſe Filium Dei proprium. Quid nobis tenendum, per duplicem concluſionem conſtabit.

PRIMA CONCLUSIO.

3 Chriſtus, ùt homo, ſeù ſecundùm humanitatem, non eſt Filius naturalis Dei. Probatur concluſio ex N. Doct. in 3. diſt. 8. q. unic.; et in 1. diſt. 13. q. unic. §. *ad primum argumentum*: Filius naturalis eſt ille, qui oritur vivens à vivente naturaliter principio vitæ conjuncto, in ſimilitudinem naturę intellectualis; ſed Chriſtus, út homo, in ordine ad Deum nequit habere iſtas conditiones: ergò nequit eſſe Filius naturalis Dei. Mai. conſtat ex definitione generationis communitèr tradita à Philoſophis in lib. de gener. & corrupt. Probatur min.: Chriſtus, ùt homo, licèt procedat à Deo vivente, non tamèn naturalitèr, sèd liberè: neque in ſimilitudinem naturæ; quia humanitas non eſt ſimilis divinitati: nèc à principio vitæ conjuncto; quià nèc actio productiva humanitatis ex vi ſuæ ſpecificationis tendit ad communicandam naturam divinam Chriſto, nec ſimilitèr actio unitiva humanitatis ad Verbum, ſed ſolùm ad communicandam ſubſiſtentiam divinam, & tantùm concomitantèr ratione identitatis trahit naturam divinam: ergò Chriſtus, ùt homo, non poteſt, nèc debet dici Filius naturalis Dei ob defectum harum conditionum.

4 Adeò efficax viſa eſt hæc ratio contrariis, út pro ejus ſolutione in varias abierint vias. Primò Suarez, ùt fugiat difficultatem, diſtinguit de duplici Filiatione naturali: una propria, & rigoroſa fundata in phyſica generatione viventis à vivente, tendente ad ſimilitudinem naturæ; & hęc filiatio naturalis, ait, non convenit Chriſto, ut homini. Alia eſt impropria filiatio fundata in unione hypoſtatica, & ſolùm eſt per quandam analogiam ad veram filiationem naturalem, quàm imitatur, in quantùm ſicùt Filius naturalis habet ius in hęreditatem ex vi generationis ſubſtantialis, ſic Chriſtus habet tale ius fundatum ex vi ſubſtantialis unionis hypoſtaticę, & hac filiatione, dicit Suarez, Chriſtum eſſe Filium Dei naturalem. Ab hac reſponſione parum, aút nihil differt

ſert reſponſio Arriagæ. Sèd certè hæ reſponſiones faciunt quęſtionem de nomine; nàm nos hic loquimur de filiatione naturali propriè, & rigorosè ſumpta; quarè non eſt neceſſe, ût in eis confutandis ampliùs immoremur.

5 Secundò reſpondent alii, quòd ſimilitudo, poſita in maiori probationis, non debet eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ, út patet in Mulo filio Equæ, & Aſini, quorum neutrum eſt eiuſdem ſpeciei. Sic ergò humanitas Chriſti eſt vivens procedens à Deo: eſt in ſimilitudinem naturæ divinæ, quia eſt natura intellectiva, ſicût divina: eſt à principio coniuncto, quia Deus ratione unionis hypoſtaticæ eſt coniunctus phyſicè humanitati: ergò nequit deficere Chriſto aliquid ad eſſe Filium naturalem Dei. Hæc reſponſio plura continet falſa. Primum, quòd ſimilitudo requiſita ad filiationem non ſit ſpecifica; quia hac ratione oſtendunt P.P. contrà Arrium, Verbum Divinum eſſe eiuſdem, & æqualis omninò naturæ cùm Patre, quia generatur ab eo; quæ ratio non teneret, ſi minor ſimilitudo, quàm ſpecifica ſufficeret ad filiationem naturalem. Deindè, ſimilitudo ſpecifica debet acquiri ex vi proprię productionis: qua ratione negatur, productionem Spiritus Sancti eſſe generationem; quià, licèt ſit ſimilis in natura Patri, & Filio, non tamèn ex vi ſuæ productionis; unde, cùm humanitati Chriſti non conveniat ex vi ſuæ productionis talis ſimilitudo, hinc eſt, quòd nequit dici Filius naturalis Dei. Tandèm, non eſt a Deo naturalitèr productus, quod neceſſariò requiritur ad Filiationem naturalem.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

6 Arguitur 1.: Chriſtus, út homo, habet totum id, quod requiritur ad rationem Filii naturalis Dei: ergò verè, & propriè eſt talis Filius. Prob. ant. Chriſtus, út homo, non ſolùm dicit naturam humanam, séd etiam hypoſtaſim, quę in Chriſto eſt Filiatio æterna, & naturalis: ergo Chriſtus, út homo, habet, &c. Reſpondeo, negando ant.. Ad probationem diſtinguo antec.: Chriſtus, út homo, non ſolùm dicit naturam humanam, séd etiam hypoſtaſim, ſi ly *út* reduplicet ſuprà hypoſtaſim, aùt perſonam, conc. antec.: ſi ly *út* reduplicet ſuprà humanitatem, nego ant., & conſeq.. Iám diximus ab initio quæſtionis, quid, dúm hic quæritur, an Chriſtus, út homo, ſit Filius Dei naturalis, non eſt ſenſus, in quantùm partì

ticula *ùt homo* reduplicat cùm natura Perſonam, & hypoſtaſim; in hoc enim ſenſu omnes concedunt, Chriſtum, ùt hominem, eſſe Filium Dei naturalem. Séd ſenſus eſt, ùt ly *ùt homo* reduplicet humanitatem, & ſumatur ratione naturę: & in hoc ſenſu negatur antec.; quià Chriſtus, ût homo, ſumpta ſic reduplicatione, non eſt Deus, & conſequentèr nèc Filius Dei naturalis.

7 Arguitur 2., & eſt replica: licét Chriſtus, ût homo, non ſit Filius naturalis Dei ratione humanitatis prę cisè ſumptæ, eſt tamèn talis Filius ratione humanitatis, ùt unitę Verbo: ergó eſt Filius naturalis. Prob. ant.: licét Chriſtus, ut homo, non ſit Filius Dei per eſſentiam, & æternam generationem (cûm ſic non procedat à Patre) eſt tamên Filius Dei per gratiam unionis; sêd hoc ſufficit, ût ſit Filius naturalis Dei ratione humanitatis, ût unitæ Verbo: ergó &c. Prob. min.: per talem gratiam unionis ipſa humanitas verè, & propriê fit ſubſtantialis natura ipſius Filii Dei naturalis; ità, ût huic homini debeatur divina hęreditas, & beatitudo: ergò &c. Reſpondeo, negando antec. Ad prob. neg. min.; quià, ex dictis, ad rationem Filii naturalis requiritur origo naturalis in ſimilitudinem naturæ principio vitę coniuncto, quod humanitati Chriſti in ordine ad Deum, adhûc ût unitæ Verbo, minimê convenit: nêc ipſi convenit formaliter, & naturaliter divina hæreditas, & beatitudo, sèd ſolûm radicaliter, & cõgruentialiter.

8 Arguitur 3.: forma, vêl quaſi forma, exiſtens in ſubiecto apto tribuit illi ſuum effectum formalem; sêd effectus formalis filiationis æterni Verbi eſt, reddere Filium naturalem; & ad hunc effectum humanitas Chriſti Domini eſt ſubiectum aptum: ergó Chriſtus, ùt homo, ratione Filiationis æternæ eſt Filius naturalis Dei. Mai. eſt certa. Min. quoad primam part. conſtat. Prob. quoád ſecundam: humanitas Chriſti eſt apta ad conſtituendam perſonam humanam cúm ſubſiſtentia, & perſonalitate divina: ergó, ſicút humanitas eſt capax effectus formalis ſubſiſtendi per divinam ſubſiſtentiam, ità eſt capax effectus formalis filiationis naturalis per Filiationem divinam; vèl, ſi huius non eſt capax, nèc erit illius, quod eſt abſolutè falſum.

9 Reſpondeo negando min. quoâd ſecundam part. Ad probationem deſumptam ex paritate ſubſiſtentię, nego ipſam; quià conceptus ſubſiſtentis ſolúm dicit, quòd humanitas ſit phyſicè unita divinæ ſubſiſtentię. At conceptus Filiationis naturalis debet deſu-

mi

mi in humanitate ab actione, ſeú productione ipſius. Perſonalitas ergò Verbi, etiò ſit productio ſecundæ Perſonæ Sanctiſsimæ Trinitatis, non tamèn eſt productio humanitatis aſſumptæ; quià hęc habuit eſſe per actionem temporalem creatam. Quarè concedimus, humanitatem cùm filiatione divina poſſe conſtituere Perſonam ſubſiſtentem; quià ad rationem Perſonæ ſufficit, quód incommunicabiliter exiſtat in natura intellectuali: negamus tamèn, poſſe conſtituere Filium Dei naturalem; quià ad rationem Filii naturalis requiritur origo naturalis in ſimilitudinem naturæ, principio vitæ coniuncto; quod humanitati Chriſti in ordine ad Deum minimé convenire valet.

10 Arguitur ultimó: SS. PP., & Scholaſtici valdè diversé loquuntur de Filiatione, quæ convenit juſtis ratione gratiæ, âc de illa, quæ convenit humanitati Chriſti Domini ratione unionis hypoſtaticę ipſius cùm Verbo; séd hæc diverſitas nequit ſtare, quin dicatur, quòd juſti per gratiam ſint Filii adoptivi Dei, & quòd Chriſtus ratione gratię unionis ſit Filius naturalis Dei: ergò. Prob. min.: ideò homines ſun filii adoptivi Dei, quiá non phyſicè uniti ſunt ipſi, séd omninò extrinſecè, & per affectum: ergò, cúm Chriſtus ſit unitus phyſicè Deó ratione unionis hypoſtaticæ, & non tantùm per affectum, ùt aiebat Neſtorius, ſequitur, quòd, ùt eius filiatio omninò ſit diſtincta, & valdé diverſa à filiatione iuſtorum, debet eſſe filiatio naturalis. Reſpondeo, conceſſa mai., negando min. quoàd ſecundam part. Ad probationem, conceſſo ant., nego conſeq.; nàm ad filiationem naturalem non ſufficit quæcumque coniunctio phyſica; sèd ultrà, quòd ex vi talis coniunctionis habeat tale coniunctum, hoc eſt, humanitas Chriſti, ſuum eſſe naturale per naturalem generationem; quòd non convenit humanitati Chriſti. Undè argumentum, ſi quid probat, probat, Chriſtum, ùt hominem, eſſe Filium proprium Dei, ad diſtinctionem Iuſtorum, qui ſolùm ſunt filii adoptivi, quod ultrò fatemur; & ùt clariùs conſtet, ſit

SECUNDA CONCLUSIO.

11 Chriſtus, út homo, eſt Filius Dei proprius. Sic quàmplures Scotiſtæ cúm N. Maſtrio hic num. 121.. Prob. 1. ex illo ad Roman. 8.: *qui proprio Filio non pepercit, sèd pro nobis omnibus tradidit illum*; séd hic loquitur Apoſtolus de Chriſto, ùt homine; nàm ſecundúm humanitatem pro nobis traditus eſt: ergó

Chriſ-

Chriſtus, ùt homo, eſt proprius Filius Dei. Confirmatur ex Conc. Francford. cit. in epiſt. ad Epiſc. Hiſpanię collat. 4. ubi ait : *hic eſt Filius meus dilectus ; meus dixit, addidit què dilectus, ùt intelligeretur proprius eſſe Filius, ſicut Apoſtolus dixit : proprio Filio ſuo non pepercit.* Et in lib. Sacroſyllabo col. 5. : *hic eſt Filius meus dilectus, ac ſi diceret : hic eſt, quem Spiritus Sanctus proprium eſſe Filium ſingulariter demonſtravit* : ergó.

12 Prob. concluſio ratione : Chriſtus, ùt homo, eſt Filius Dei ſpecialiori quidém modo, quam ſint cęteri homines iuſti ; séd hic modus ſpecialis nequit ſalvari, quin dicatur, quòd ſit Filius proprius Dei : ergò eſt talis Filius. Mai. conſt. ex illo Lucę 1. : *quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* & ex illo Matthęi 3. : *hic eſt Filius meus dilectus*, in quibus text. eſt ſermo de Chriſto ſecundùm humanitatem ; nám ſecundúm hanc natus eſt in tempore, non ſecundúm divinitatem. Probatur min.: hic ſpecialis modus filiationis nequit ſalvari dicendo, quòd Chriſtus ſit Filius naturalis Dei, ex dictis concluſione ant. ; sèd aliàs néc dicendo, quòd ſit ſolúm Filius adoptivus Dei ; tùm, quià hoc eſt falſum ex dictis quæſt. antec. ; túm, quià cæteri iuſti etiâm dicuntur filii adoptivi Dei per gratiam: ergò ſolúm reſtat, quòd ſalvetur, dicendo, quòd eſt proproprius Filius Dei. Confirmatur: Chriſtus, út homo, non eſt extraneus, & alienus Deo: ergò eſt proprius Filius. Conſeq. conſtat; quià hoc ſignificat ex vi nominis nomen *proprius*.

13 Reſtat nùnc reſpondere argumento ultimo quæſtionis antecedentis, ex quo Nominales conabantur deducere, quòd Chriſtus, út homo, ſit Filius naturalis Dei, cùm non ſit Filius adoptivus ; & intér eſſe Filium naturalem, & adoptivum nullum detur medium. Reſpondeo ergò negando illationem, & conſequentêr quòd intér eſſe Filium naturalem, & adoptivum, non ſit medium; quià, cúm hæ filiationes non opponantur per modum affirmationis, & negationis, hinc non ſequitur neceſſariò, quòd, ſi unum non competit humanitati, debeat convenire alterum. Poteſt enim ab utroque præſcindere, cùm utrumque illi competat per formam poſitivam ; quamvis certum ſit, quód eſſe Filium adoptivum prætèr formam poſitivam includat negationem filiationis naturalis in eodem ſubiecto.

14 Dices ultrà contrà hoc: in omni Schola non agnoſcitur niſi duplex genus filiationis, ſcilicet, adoptivę, & naturalis.

Imó

Imò Iuriſperiti nomen filiationis propriæ omninò confundunt cùm filiatione naturali : ergò filiatio propria út contrà diſtincta ab adoptiva , & naturali , eſt gratis intruſa. Reſpondeo negando ant.; quià hæc filiatio propria nèc eſt chimærica , nèc gratis intruſa; cùm habeat fundamentum in Scriptura, & P.P., ùt conſtat ex probatione noſtræ concluſionis. Nec facit, quòd hoc genus filiationis propriè fuerit incognitum Iuriſtis; nàm nec nobis innotuit , niſi ex myſterio Incarnationis. Deindè, ipſimet nobis Contrarii in re eam admittunt , dùm filiationem naturalem diſtinguunt in propriam, & rigoroſam,& in impropriam, per quamdam analogiam ad propriam.

15 Dubitari hic ſolet: àn dùm dicimus , quòd Chriſtus, út homo , ſit Filius proprius Dei, per ly *Dei* intelligatur ſolùm Pater Æternus ; àn verò totæ tres divinæ Perſonæ? A.A. aſſerentes Chriſtum , ùt hominem , eſſe Filium Dei naturalem ratione hypoſtaſis , ſeù Perſonæ Verbi Div. ex conſequenti tenentur dicere ipſum ſolùm eſſe Filium Dei, proùt ly *Dei* ſupponit tantùm pro Patre Æterno , ſeù non eſſe Filium totius Trinitatis. Ratio eſt convincens ; quià , cùm hypoſtaſis , Perſona , aut ſuppoſitum Verbi divini habeat ſolùm eſſe per generationem æternam Patris ; & per hanc habeat Chriſtus ſuam filiationem naturalem, per hanc ſolùm referri valet ad perſonam Patris. Cùm nos autèm hanc filiationem naturalem Chriſti , út hominis, impugnaverimus concluſione prima huius, hinc nequé eorum rationes admittere debemus. Dubium erg. eſt intér Theologos aſſerentes , Chriſtum , út hominem, eſſe Filium proprium Dei; & quæritur , àn ſit ſolùm Filius Patris; àn verò totius Trinitatis?

16 Dico breviter : Chriſtus eſt Filius proprius totius Trinitatis, & non ſolius Patris. Prob.: hęc Filiatio propria, quam Chriſtus , út homo , dicit ad Deum, fundatur vèl in ipſa gratia habituali , per quam habet ius ad gloriam ; vèl propriùs fundatur in unione hypoſtatica, ût conſtat ex dictis ; séd in quocumque ex his fundetur , Chriſtus, ùt homo , eſt Filius proprius totius Trinitatis: ergò eſt. Mai. conſt.; quià talis Filiatio nequit fundari in generatione æterna , ratione cuius non generatur , ùt homo, sèd út Deus. Prob. min.: tâm collatio gratiæ habitualis , quàm gratiæ unionis eſt opus ad *extrà* , & conſequentér totius Trinitatis ; séd ad illud terminatur reſpectus filiationis, à quo procedit fundamentum , ex quo reſultat talis filiatio : ergò cùm tâm unio hypoſtatica , quàm

gratia habitualis á tota Trinitate procedant, reſpectus filiationis propriæ in tali fundamento reſultans, refertur ad totam Trinitatem; & conſequentér Chriſtus, út homo, eſt filius proprius totius Trinitatis.

17 Dices: hæc reſolutio eſt expreſsé contrà N. Doct. in 3. diſt. 11. q. unic. num. 1.: ergò non eſt tenenda. Probatur antec.: ſi Chriſtus, ùt homo, eſſet Filius proprius totius Trinitatis, eſſet Filius proprius ſui ipſius; sèd hoc eſt inconveniens, juxtà Doct. cit.; nàm ex ipſo probat, quód Chriſtus, út homo, non ſit Filius adoptivus Dei; quià aliàs eſſet Filius ſui ipſius: ergò noſtra reſolutio eſt expreſsè contrà Subt. D.. Reſpondeo ex N. Maſt. hic, quòd ratio adducta ex S. D. in replica, non eſt juxtà ipſius poſitivam mentem, séd eam adducit ùt communem aliis A.A. Ratio ergò generalis eſt, quòd rationes principales, quas Doct. proponere ſolet in principio cuiuslibet quæſtionis pro utraque parte contradictionis, non faciunt ſempèr authoritatem; quià ùt in plurimúm illas proponit út communes aliorum, et non juxtá propriam ſententiam, niſi quandò illis utitur in corpore quæſtionis. Undè nullum eſt inconveniens, quòd, ſicút Chriſtus, ût homo, eſt minor ſe ipſo, ût Deo, ità etiam, ùt homo, ſit Filius ſui ipſius, ùt Dei. Sicút ipſe Deus etiám dicitur Filius Virginis, & ſimúl ejus principium, & cauſa.

QUÆST. III.

AN CHRISTUS SIT FILIUS B. Virginis filiatione reali in ipſo exiſtente?

1 PRO reſolutione difficultatis ſupponendum eſt ex dictis in Logica tract. de relationibus, dari relationes reales producentis ad productum, & producti ad cauſam productivam ipſius. Ultrá ſupponendum eſt, quòd Filiatio creata ſit relatio diſtincta realitèr à generatione paſsiva; nàm, ſi non eſſet ſic realitèr diſtincta, non eſſet locus controverſiæ intér nos, & Thomiſtas; quiá, eſtò iſti negent duas filiationes in Chriſto, non tamèn negant generationem paſsivam creatam, qua humanitas Chriſti generata eſt à B. Virgine. Totum hoc videri eſt in loc. cit. Logicæ pro reſolvenda hac difficultate.

2 In qua Thomiſtę communiter negant, Chriſtum eſſe Filium SSmæ. Virginis filiatione reali exiſtente in ipſo. Sèd in hoc explicando, & in aſsignanda forma, vél quaſi forma denominante

te Chriſtum, üt hominem, Filium B. Virginis, ſunt intér ſe diviſi. Aliqui aſsignant ſolam relationem rationis ſic denominantem. Alii dicunt, hanc formam eſſe relationem Maternitatis terminatam ad ipſum; ad modum, quo Deus dicitur realitér Dominus, non per realem dominii relationem in ipſo exiſtentem, sèd per realem ſubiectionem, & dependentiam creaturæ ad ipſum. Alii tandèm dicunt, hanc formam, vél quaſi formam eſſe Filiationem divinam terminatam in tempore ad Matrem. Ex quo oritur magna lis inter ipſoſmet Thom. Oppoſita verò ſententia defendit, Chriſtum D. eſſe Filium B. Virginis filiatione reali creata, in ipſo exiſtente. Sic expreſsè N. Doct. in 3. diſt. 8. q. unic. num. 10., ubi ait: „ad quæſtionem er„gò dico, quòd alia eſt filiatio „in Chriſto ad Patrem, & alia „ad Matrem, & utraque eſt *realis*. Doctorem ſequûntur omnes ejus Diſcipuli, & communitèr P.P. Soc., cum quibus ſit

CONCLUSIO.

3 Chriſtus eſt Filius B. Virginis verè, & realiter filiatione reali exiſtente in ipſo, ſicùt alii homines ſunt filii ſuarum matrum. Prob. 1. concluſio ratione: ità verè, & propriè Chriſtus denominatur Filius B. Virginis, ſicùt quicumque alter filius denominatur ſuæ matris; séd hoc ipſo Chriſto Domino eſt relatio filiationis, in ipſo exiſtens: ergò &c. Prob. mai.: ideò alii filii dicuntur veré, & realitér filii ſuarum matrum per relationem realem in ipſis exiſtentem, quià ſunt geniti ab ipſis, & ab eis dependent út â veris matribus; sèd hoc totum habet Chriſtus Dominus reſpectu B. Virginis: ergó ità verè, & propriè &c. Confirmatur: ratio, cùr in aliis filiis reſultet relatio realis filiationis in ipſis exiſtens, eſt, quià habent naturam ſimilem ſuis parentibus ab ipſis acceptam media generatione; sèd Chriſtus út homo, habet ſimilem naturam B. Virginī, eamque verè accepit per veram generationem: ergô, ſicút alij filii verè, & realitèr dicunt realem relationem filiationis in ipſis exiſtentem, ità Chriſtus Dominus dicit talem relationem reſpectu Virginis.

4 Rèſpondent Thomiſtę, quód eſt magna diſparitas intèr alios filios comparativè ad ſuas matres, & Chriſtum Dominum reſpectivé ad B. Virginem. Diſparitas ſtat in hoc, quòd relationes Paternitatis, & Filiationis ſolùm conveniunt ſuppoſitis. Undè, cùm relatio creata non poſſit eſſe in divino ſuppoſito ob eius immutabilitatem, per quodquè na-

tura genita Chriſti ex B. Virgine ſubſiſtit, hinc eſt, quòd, quamvis Chriſtus, ùt homo, ſit verè genitus, ſimiliſque in natura B. Virgini ex vi generationis, eiuſque verus filius, non poteſt eſſe talis per realem relationem in ipſo exiſtentem, ſicuti eſſet, ſi natura genita ex Virgine non fuiſſet aſſumpta á Verbo, & proprio ſubſiſteret ſuppoſito, uti evenit in aliis filiis habentibus proprium ſuppoſitum; propterea̅que per relationem realem filiationis in ſuppoſito exiſtentem referuntur ad ſuos parentes. Hæc eſt in ſumma doctrina, & fundamentum Thomiſtarum.

5 Sèd contrà: licét filiatio ſit relatio conveniens ſuppoto, & non naturæ, hoc ſolùm verùm eſt, loquendo de ſubiecto inhæſionis: ergò nulla eſt ſolutio Thomiſtarum. Prob. antec.: in Chriſto non denominatur humanitas filia, ſed ipſe Chriſtus, ſivè *hic homo*; ſéd hæc denominatio debet inhærere naturæ, ùt media tali inhærentia ſuppoſitum denominetur: ergó licét &c. Prob. antec.: ſicùt divino ſuppoſito non repugnat habere de novo, & in tempore naturam humanam ſibi admirabiliter unitam acceptam à B. Virgine, quę̅que eſt fundamentum inhæſionis filiationis temporalis, ità neque eidem repugnabit eſſe ſubiectum denominationis á tali forma inhærente in tali natura: ergó ratio immutabilitatis divini ſuppoſiti non officit adhoc, út relatio filiationis inhæreat naturæ humanæ, & denominet ſuppoſitum divinum. De hoc ampliùs in ſolutione argumentorum.

6 Probatur 2.ª concluſio rejiciendo modos dicendi contrariorum: Chriſtus, út homo, veré et realiter dicitur, & non ſolùm denominativè, Filius B. Mariæ Virginis; ſéd hoc nequit eſſe, niſi media relatione reali filiationis exiſtente in humanitate Chriſti Domini: ergò &c. Mai. conceditur à contrariis; prob. min.: hoc in primis nequit fieri per ſolam relationem rationis; nèc per relationem maternitatis terminatam ad ipſum Filium; nequé tandém per filiationem æternam, qua Chriſtus eſt Filius Dei; sèd his excluſis non eſt excogitabilis alia forma, vél quaſi forma, qua Chriſtus, út homo, verè, & realiter ſit Filius Virginis, niſi relatio realis filiationis in natura humana Chriſti exiſtens: ergò, &c. Mai. continet tres modos dicendi Thomiſtarum relatos num. 2. huius. Undé quoàd omnes eiùs partes eſt probanda.

7 Probatur quoàd primum, ſcilicet, quòd non ſufficiat relatio rationis: Chriſtus verè & realiter, ſeclufa omni

fic

fictione, & cogitatione intellectus, est Filius B. Virginis; sed hæc denominatio vera, & realis debet provenire ab aliquo significato vero, & reali non minùs, quàm in cæteris hominibus, ac aliis denominationibus relativis evenit; aliàs frustrà ponerentur formæ reales ad veré, & realitèr denominandum: ergò, quia relatio rationis ad hoc non sufficit. Confirmatur: Christus est realitèr similis, æqualis &c., per realem similitudinem, & æqualitatem: ergò pariter dicendus est Filius Deiparæ per veram, & realem filiationem in ipso existentem, & non solùm per relationem rationis.

8 Probatur eadem mai. quoàd secundam part., scilicèt, quòd non sufficiat ad hoc relato maternitatis terminata ad Filium: relationes filiationis, & maternitatis sunt mutuę; sed hoc ipso filius non potest denominari verè, & realiter per relationem maternitatis: ergò, &c. Mai. constat; quià omnes relationes fundatę in actione & passione sunt mutuę. Prob. min.: relationes mutuæ præcisè denominant, & referunt fundamentum ad terminum, non vero terminum ad fundamentum; nàm aliàs superflueret alia relatio; sed Filius est terminus maternitatis: ergò per maternitatem nèc denominatur Filius, nèc refertur ad matrem. Confirmatur: si natura humana Christi genita ex Virgine non fuisset assumpta à Verbo, sed subsisteret suppositò proprio, tunc maternitas nèc referret Filium ad matrem, néc ipsum denominaret Filium: ergò néc nunc de facto hoc effìcit. Probatur conseq.: eadem esset maternitas in illo casu, ac nunc; quià non maiorem influxum, nec magis prestaret B. Virgo, ac nunc præstat; quià ratio suppositi creati (sivè in negativo, sivè in positivo consistat) non ponitur per influxum physicum ergà ipsum, sed ponitur per resultantiam: ergò nunc de facto Filius non refertur ad matrem, nèc denominatur talis per maternitatem. Deindé: hæc denominatio esset solùm extrinseca, & non intrinseca, qualis est in aliis hominibus.

9 Prob. demùm eadem mai. quoàd tertiam part., scilicèt, quòd non possit verè, & realiter denominari Filius Deiparæ per filiationem æternam, seù divinam increatam: Christus, ut homo, non est fundamentum Filiationi æternæ; sed relativa denominatio proveniens à relatione denominat extrema, vel aliquod ex extremis, non verò denominare potest, quod non est ejus extremum: ergò, cum Christus, ut homo, non sit fundamen-

mentum filiationis æternæ, nequit per ipſam denominari filius Virginis. Confirmatur: ſi Pater Æternus, & non Filius, aſſumpſiſſet humanam naturam ex B. Virgine genitam per paſſivam generationem, veré, & realitèr diceretur Filius Virginis; sèd hoc non eſſet per relationem Æternam Paternitatis, qua denominatur Pater Æternus Filij, sèd per aliam relationem creatam, in humanitate temporalitèr receptam: ergó paritér diſcurrendum eſt de Filio. Urgetur: relatio Filiationis æternæ, qua Filius, ùt Deus, refertur ad Patrem, eſt diverſiſsimę rationis ab ea, qua Chriſtus, út homo & Filius Virginis, refertur ad Deiparam; una ſiquidèm eſt æterna, alia verò temporalis: ergò per relationem Filiationis æternę nequit Chriſtus, út homo & Filius Virginis, ad ipſam referri.

10 Probatur tandém concluſio: nullum inconveniens eſt in hoc, quod idemmet ſuppoſitum fundet duas, vél plures relationes, & habeat plures formas reſpectivas, quandò habet plures rationes ſufficientes ad illas fundandas; sèd Chriſtus habet plures rationes ſufficientes ad fundandas plures filiationes, unam ad Patrem, ab æterno, & aliam ad Matrem in Tempore: ergò non repugnat, quòd per filiationem æternam referatur ad Patrem æternum, & ad Deiparam per temporalem. Mai. conſtat; quiâ idem ſuppoſitum hominis habet rationem ſimilitudinis cum alio homine, & diſſimilitudinis cum bruto. Probat. min.: Chriſtus habet duas naturas in uno ſuppoſito, nempé, divinam á Patre acceptam mediante generatione Æterna; & humanam à Matre, mediante generatione temporali: ergó habet plures rationes ſufficientes fundandi plures Filiationes.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

11 Arguitur 1., & eſt prę-cipuum fundamentum Thomiſtarum: relatio Filiationis per ſe convenit ſuppoſito, & non naturæ, tamquam proprio ſubjecto; séd ſuppoſitum Chriſti, út hominis, non eſt capax recipiendi aliam relationem filiationis præter increatam: ergò in ipſo nequit recipi relatio realis Filiationis in tempore; & conſequentèr Chriſtus, út homo, nequit eſſe Filius Virginis per relationem realem Filiationis, in ipſo receptam. Min. eſt certa; quià utpotè ſuppoſitum divinum, & immutabile, non eſt receptivum accidentis abſoluti, nèc relativi crea-

creati. Prob. mai.: ſi natura eſſet ſubjectum receptivum relationis Filiationis diceretur Filia, & conſequentér humanitas aſſumpta diceretur Filia Virginis, quod non conceditur: ergò &c. Confirmatur: ſubjectum Filiationis eſt terminus completus, & adæquatus generationis; sèd hic eſt ſuppoſitum, & non natura: ergó. Urgetur: ſubjectum filiationis æternæ eſt divinum ſuppoſitum, & non natura divina: ergó ſimilitér in creatis.

12 Reſpondeo, negando mai., vèl ipſam claritatis gratia diſtinguo: relatio filiationis convenit ſuppoſito *denominativè*, & non naturæ, conc. mai.: convenit ſuppoſito *inhæſivè*, & non naturæ, nego mai.; & conceſſa min., nego conſeq.. Itaquè non eſt quid novum, quòd forma inſit naturę, & denominet ſuppoſitum; imó ſic evenit ût in plurimùm: ſic ſimilitudo, qua unum album eſt ſimile alteri albo, fundatur in albedine, ipſiqué immediatè inhęret, & non denominat; non enim dicimus: *hæc albedo eſt ſimilis alteri albedini*; séd: *hoc album eſt ſimile alteri albo*. Sic etiam operationes, & paſſiones denominant ſuppoſita, & dicuntur eſſe ſuppoſitorum, quamvis reverá naturæ inhæreant, & per eam exerceantur. Sic etiám in propoſito: Chriſtus, vél hic homo, dicitur crucifigi, & mori, non autèm ipſa humanitas mortua, & crucifixa, licèt hæ paſsiones ſoli inhæreant humanitati, & per ipſam exerceantur. Ratio totius eſt; quià ſunt quædam formæ, quę, licét habeant ſubjectum inhæſionis diſtinctum, in eo tamén non recipiuntur, niſi ût completum ultimo complemento; âc proindè non denominant ſubjectum proximum inhæſionis, niſi jàm completum ultimo complemento; per quod patet ad probationem mai.: & etiám ad confirmationem.

13 Ad urgentiam nego conſeq., & paritatem. Diſparitas eſt; quià filiatio immediatè ſequitur generationem: in divinis autèm ſolúm ſuppoſitum generatur, non verô natura; in humanis verò non ſolùm ſuppoſitum, sèd etiám natura generatur. Undé in divinis ſolùm ſuppoſitum poteſt recipere filiationem, imò ipſa filiatio conſtituit ſuppoſitum; ſecûs verò in creatis, quæ eſt accidens relativum. Undé ex ipſa replica poteſt efformari ratio confirmativa noſtrę concluſionis in hunc modum: ideò in divinis Filiatio eſt ſuppoſiti, quià generatio activa eſt ad ſuppoſitum, & generatio paſsiva eſt ſuppoſiti; sèd generatio temporalis Chriſti eſt ad naturam ſingularem, & non ad ſuppoſitum; &

generatio paſsiva eſt naturæ ſingularis, & non ſuppoſiti : ergò & Filiatio temporalis eſt naturæ, & in natura, & non ſuppoſiti, nèc in ſuppoſito.

14 Arguitur 2,, & eſt replica : ſi ſubjectum filiationis eſſet natura, & non ſuppoſitum, ſequeretur, quôd B. Virgo fuiſſet Mater Dei, quamvis unio hypoſtatica facta fuiſſet pro aliquo inſtanti temporis poſteriori ad generationem : & ſimiliter, ſi Verbum divinum dimitteret unionem ad humanam naturam, adhûc homo ille ſeparatus manens à Verbo maneret Filius Sanctiſsimæ Virginis ; séd utrumque eſt falſum : ergò quià natura non eſt ſubjectum inhæſivum filiationis. Mai. conſtat; quiá maneret idemmet fundamentum pòſt, quod anté ; & idem terminus, ſcilicèt, eadem humanitas. Min. verò conſtat ; nam ratio, cûr P. P., & Concilia aſſerunt contrà Neſtorium B. Virginem eſſe Matrem Dei, eſt, quia actio productiva Virginis non fuit terminata ad purum hominem, séd ad hominem Deum ; quod non eveniret in illis caſibus : ergò &c.

15 Reſpondeo negando primam ſequelam argumenti, & concedendo ſecundam. Ratio falſitatis primæ ſeq. eſt ; quià caſu, quo unio hypoſtatica facta fuiſſet pro inſtanti poſteriori temporis, actio generativa B. Virginis haberet pro túnc terminum ultimatum, ſuppoſitum proprium naturæ genitæ, & non ſuppoſitum divinum ; quaré in tali caſu B. Virgo generaret purum hominem, & eſſet Mater illius hominis individui, qui pro tempore poſteriori aſſumeretur à Verbo Divino ; undè non eſſet Mater Dei ; nám ad hoc requiritur, ùt in eodem inſtanti temporis, quo anima Chriſti unita eſt corpori per concurſum maternum, ſimùl tota humanitas uniatur Verbo per efficientiam divinam. Et hoc eſt, quod concludunt P.P. contra Neſtorium. Ratio veritatis ſecundæ ſequelę eſt ; quià, ſi Verbum dimiteret naturam, ita út acquireret propriam ſubſiſtentiam, homo ille in tali caſu non ſolùm foret Filius Virginis, sèd idem omninò Filius, quia haberet eamdem numero filiationem fundatam in eadem numero natura, & ex vi eiuſdem generationis.

16 Arguitur 3. : nùnc de facto Chriſtus dicitur Filius Virginis ; sèd non per filiationem creatam, sed increatam : ergò & ſempèr. Probatur min. : illa filiatio creata, ſiquę fuit, morte deſtructa fuit ; & poſt reſurrectionem fuit alia acceptio illius eſſe diſtincta ab illa, quam habuit per generationem : ergò. Reſpondeo, quod

quod hæc difficultas æque facit pro omnibus filiis poſt reſurrectionem reſpectu ſuorum parentum. Quare nego min. : ad probationem dico, quòd B. Virgo eamdem filiationem habuit poſt reſurrectionem, quam habebat antè mortem. Ratio eſt; quia quotiès exiſtit natura ſemél accepta per generationem ab aliquo parente, & exiſtit parens, ſemper eadem reſultat relatio, quamvis interrumpatur exiſtentia illius naturæ, et poſteà conferatur ab altero; exiſtēte enim eodem fundamento, & termino, relatio eadem reddit; nec facit, quòd alia productione acceperit eſſe in reſurrectione; quia illa non tollit filiationem, quę fundatur ſuper illud eſſe acceptum primò per generationem.

17 Arguitur 4. : Chriſtus in tempore genitus per generationem humanam dicitur Filius Dei, quamvis generatio humana non contulerit Chriſto eſſe Filii Dei, sèd ſolùm eſſe Filii hominis : ergò è contrà poterit Chriſtus dici genitus, & Filius Virginis per generationem, & filiationem divinam, etiam ſi generatio, & filiatio divina non conferant Chriſto eſſe Filii Virginis, sèd ſolùm eſſe Filii Dei. Confirmatur : Deus denominatur Creator, & producens creaturas per relationem exiſtentem in creaturis, & denominantem illas productas à Deo : ergò Chriſtus, út homo, poteſt dici Filius Virginis per relationem maternitatis exiſtentem in B. Virg., abſquè alia relatione reali exiſtente in Chriſto Domino.

18 Reſpondeo, conceſſo antec., negando conſeq. ; quia quamvis generatio humana Chriſti coniuncta ſubſtantialitér cùm generatione diuina poſsit denominare Chriſtum, genitum in tempore, Filium Dei per communicationem idiomatum ; non tamèn generatio, ſeù filiatio divina denominare Chriſtum in tempore genitum á Virgine, poteſt Filium Virginis, niſi ipſa generatio, & filiatio divina ſit á Virgine; cùm nequeat aliquis denominari genitus, & filius alicuius, niſi ab illo ſit, ùt à principio generante; quarè, cum generatio, & filiatio divina út ſic, non ſit à Virgine, ut à principio gignente, hinc eſt, quòd non poteſt denominare Chriſtum nèc in tempore genitum, nec Filium Virginis. Ad confirmationem reſpondeo, quòd Dei ad creaturas nulla eſt relatio realis ; undé, quamvis concipiamus denominationem Creatoris, & producentis ad *extrà* per modum relationis, talis tamén relatio eſt puré rationis. Ex quò manifeſta apparet diſparitas intér antec., & conſequens; undè, conceſſo ant., neg. conſeq.

19 Arguitur ultimó : ſi

in Chriſto ultrà filiationem æternam daretur filiatio temporalis in ipſo recepta, in ipſo eſſent duæ filiationes, una æterna, & alia temporalis; sèd hoc nequit dici: ergo neque quòd in Chriſto ſit filiatio creata, & temporalis. Probatur min.: ſi in Chriſto eſſent duę filiationes, Chriſtus eſſet duo Filii; sèd hoc eſt falſum: ergò. Prob. mai.: filiatio conſtituit filium: ergò duæ filiationes duos filios. Hoc argumentum plenè ſolutum eſt tract. ant., agendo de multiplicatione concretorum. Reſpondeo tamén negando minorem, & maiorem probationis. Ad cuius probation. nego conſeq.. Sicùt ergó habens plures ſcientias, non dicitur plures ſcientes, séd unus ſciens; ita plures habens filiationes, debet dici unus filius, & non plures filii, proptér illam regulam univerſalem: *quòd ad multiplicationem concretorum non ſufficit multiplicatio formarum, sèd requiritur quoque multiplicatio ſuppoſitorum*; quæ regula maximé tenet in concretis accidentalibus, ùt patet in exemplo allato.

QUÆSTIO IV.

An Chriſtus, ùt homo, ſit propriè Servus Dei?

1 UT in hac quæſtione, quæ plura continet de nomine, certa ab incertis ſeparemus, noto primò, quòd ly *ût homo* reduplicat naturam humanam individuam ſubſiſtentem ſubſiſtentia Verbi Divini; non verò reduplicat ſuppoſitum divinum, ùt iàm monui in antecedentibus. Noto ſecundò, quòd hic non loquimur de ſervitute peccati; hæc enim longè eſt à Chriſto D. adhùc, út homine, ſicút & peccatum ipſum: de qua ſervitute Joan. 8.: *qui facit peccatum ſervus eſt peccati.* Undé ſervitus, de quá in præſenti eſt, *qua quis eſt omninò ſub dominio Domini ſui, ità ùt ad libitum ſuum poſsit Dominus de illo diſponere.* Ex quo ſequitur, quòd ſubiectio filialis Filii ad patrem non eſt propriè ſervitus. Nèc ille, qui propria voluntate alteri ſe ſubjicit, & miniſtrat, eſt propriè ſervus, séd mercenarius.

2 Noto tandém, quòd ſervitus dividitur in *naturalem, & legalem*: naturalis eſt, quę à natúra ipſa contrahitur, quin aliquis poſsit eximi ab ea: ſic omnis creatura eſt ſerva Dei, qui ha-

habet ſupremum, & deſpoticum dominium ſuper omnem creaturam, ùt de ipſis, rebuſquè ejus poſsit pro libito ſuo diſponere. Servitus legalis eſt, quæ non à natura, sèd á lege inducta eſt; & contrahitur vèl jure belli, vél nativitate, vel emptione, vêl ſententia damnatoria judicis. Utraque ſervitus eſt proprié talis; séd naturalis, utpotè á natura inducta, eſt magis propria. Servitutis legalis tres debent aſsignari conditiones: prima, quód ſervus teneatur obedire Domino. Secunda, quòd non ſit ſui juris, sèd Domini. Tertia tandèm, quód cum Domino non communicet in bonis, nec in honore. Duæ primæ conditiones conveniunt etiám ſervituti naturali, ſecús verò tertia. Hæc ùt vera admittenda ſunt, nè fiat quæſtio de nomine. Et per hoc, meo videri, facilitèr reconciliantur túm opiniones Theologorum, tùm variæ locutiones Sac. Scripturæ, & S. S. P. P., à quibus Chriſtus Dominus iàm dicitur ſervus, iám non ſervus. Undê, ùt hoc clariús fiat, rem per duplicem concluſionem brevitèr explanabo. Sit ergò

PRIMA CONCLUSIO.

3 Chriſtus, út homo, non eſt proprié ſervus ſervitute legali. Hæc concluſio eſt communis. Probatur 1. ex Damaſc. lib. 3. de fide cap. 20., ubi loquens de Chriſto, út homine, ait: *ſanè ſervilis ordinis eſſet caro, niſi Verbo copulata eſſet; át, cùm ſemèl, & perſonalitèr unita ſit, quonam pacto in ſervilem claſſem redigetur?* Et infrà: *illi autèm, qui ſervum eum dicunt, unum Chriſtum in duos, inſtàr Neſtorij, dividunt.* Et lib. 4. cap. 19. ait: *niſi caro Chriſti Verbo copulata fuiſſet, ſerva proculdubio, & ignorans extitiſſet; verúm ob perſonalem cum Verbo unionem id habuit, ùt nèc ſerva eſſet, nêc in ignoratione verſaretur.* Hęc Sanct. Doct., in quibus, út ex dicendis concluſ. ſeq. conſtabit, loquitur de ſervitute legali. Hoc quidém ſuaderi poteſt ex Conc. Francford. ſub Adriano Papa in ſua Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, col. 6., ubi eorum intentum erat excludere à Chriſto Domino, út homine, & filiationem adoptivam, & ſervitutem legalem; quorum ratio in ſumma erat, quià eadem eſt Perſona Dei, & hominis in Chriſto Domino.

4 Probatur 2. concluſio ratione: ſervitus legalis, út talis, nihil habet commune cum Domino, ex tertia conditione ſuprà aſsignata; séd Chriſtus, ùt homo, propter unionem ad Verbum habet quoddam jus, ſeù diſpoſitionem de congruo ad divinam

hæreditatem ; qua ratione quæſtione 1. huius diximus, quòd Chriſtus, út homo, non eſt Filius Dei adoptivus : ergò multó minûs erit ſervus ſervitute legali. Confirmatur à ſimili : ſi Dominus aliquis contrahat cum ancilla, aút ſerva, hæc liberatur á nota ſervitutis, & conſequitur ſtatum ingenuitatis; quià ratione matrimonij communicatur uxori dignitas nominis, quo maritus inſignitur *ex lege* 1. *Hiſpaniæ tit* 13. *part.* 4. ; sèd intimius, & ſtrictius eſt vinculum humanitatis aſſumptæ á Verbo cum Deo, quàm ancillæ cum marito per matrimonium : ergò vi talis unionis liberatur Chriſtus, út homo, à ſervitute legali.

5 Dices tamén contrà hoc: humanitas Chriſti conſiderata, út præciſa à Perſona Verbi, non participat eamdem dignitatem, & excellentiam cum Deo : ergò ſaltèm, út ſic, Chriſtus út homo ratione humanitatis, erit ſervus Dei ſervitute legali ; cúm habeat omnes conditiones ipſius ſervitutis. Confirmatur : etſi humanitas Chriſti, út unita Verbo, participet eoſdem titulos cum Deo, adhùc tamèn altiori jure conveniunt hi tituli Chriſto, út Deo, quám Chriſto, út homini : ergó in participatione bonorum Deus, & Chriſtus, út homo, non ſunt æquales ; & conſequentèr à Chriſto, út homine, nequit excludi ſervitus legalis propriè ſumpta. Antec. conſtat ; quia hi tituli: *eſſe immenſum*, *Omnipotentem*, *omniſcientem*, conveniunt Chriſto, út Deo, per ſe, & eſſentialitèr ; Chriſto veró, ut homini, conveniunt ſolúm per communicationem idiomatum, & denominativè.

6 Reſpondeo ad argumentum, quód humanitas proút ſic præciſa á Verbo, licét non includat poſitivé unionem cum ipſo, adhúc tamen nèc poſitivè includit negationem talis unionis, ſeù extraneitatem ; undé in tali ſtatu præſcindit ab utroque, & ſolùm dicit intrinſeca, & eſſentialia prædicata humanitatis ; quaré in tali ſtatu nequit dici propriè ſerva; quià, licèt non includat poſitivé participationem ejuſdem honoris, & maieſtatem cum Deo, nèc dicit, aút includit poſitivè negationem talis participationis, quod requiritur ad ſervitutem legalem propriam : & ſic negatur conſeq.. Ad confirm. negatur ultima conſeq. ; nàm ad excludendam conditionem legalis ſervitutis in Chriſto, non requiritur, út hi tituli conveniant eodem modo Chriſto, út Deo, & Chriſto, út homini; sèd ſufficit, quòd hi tituli debeantur Chriſto ſecundùm utramque naturam : eſtò divinæ debeantur eſſentialiter & per ſe, & humanæ ſolùm per coniunctionem cum divina. Patet hoc in Rege pu-

nubente cum fœmina, ei statim communicantur tituli Regii, licèt Regi conveniant per se, & út capiti; Reginę verò propter ipsum Regem.

SECUNDA CONCLUSIO.

7 Christus, ùt homo, est proprié servus Dei servitute naturali. Est contrà aliquos Jesuit.. Prob. 1. ex illo Psal. 115., ubi Propheta nomine Christi ait: *ego servus tuus, & filius ancillę tuę*: & Isai. 42.: *ecce servum meum, suscipiam eum.* Et ad Philippens. 2.: *formam servi accipiens.* Et Mag. P. Aug. Epist. 178. ait: *in qua infirmitate humanitatis non solùm subditum, sèd etiám servum evidentissimè confitemur, ipso dicente: ego servus tuus*; sed hi textus, hęqué authoritates S. S. P. P., aliæquè videndæ hìc in N. Mastrio non possunt intelligi, nisi de servitute naturali proprié sumpta: ergó Christus, út homo, est propriè servus Dei servitute naturali. Hæc eadem veritas habetur expresè in 1. ad Corint. cap. 3., ubi dicitur: *omnia vestra sunt; vos autèm Christi*; *Christus autèm Dei*: ergò Christus, ût homo, est noster Dominus; quià nos sumus Christi: ergò Deus est Dominus Christi, ût hominis; quià Christus, út homo, est juris Dei; & consequentér eius servus.

8 Probatur conclusio ratione fundata in authorit. Philosophi 1. Politic. cap. 3., ubi ait: *quicumque sui ipsius non est secundùm naturam, séd alterius, homo autèm est, hic naturà est servus*; sèd sic se habet Christus, ût homo, respectu Dei: ergô est servus naturalis Dei. Prob. min.: natura humana per unionem ad Verbum non est extracta à plenissimo jure, & dominio Dei, ità ùt etiâm pòst unionem possit Deus de potentia absoluta absqué ulla injuria ipsius de illa disponere, ác etiám illam dimittere, imô & anihilare: ergó in hoc sensu veré, & proprié Christus, ût homo, est servus Dei. Prob. antec.: Deus tàm absolutus est Dominus Christi secundùm naturam humanam, quàm cuiuscumque alterius naturę humanæ, vèl angelicę: ergò &c. Undè Christus, secundùm humanitatem inspectus, tàm verè est servus Dei servitute naturali, quám quælibet alia creatura angelica, vèl humana. Confirmatur: Deus est Dominus Christi, juxtá illud: *dixit Dominus Domino meo*: ergò Christus est servus Dei. Consequentia constat; quià hi termini, *Dominus*, & *Servus* correlativê se habent.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

2 Arguitur 1.: Adrianus Pa-

Papa, & Concil. Francford. condemnarunt Elipandum, & Felicem, eó quià docebant, Chriſtum ſecundùm humanitatem eſſe Filium adoptivum, & ſervum Dei; séd nequibant Elipand., & Felix docere, Chriſtum eſſe Filium Dei adoptivum, & in ſimúl eſſe ſervum Dei ſervitute legali; cùm ſervitus legalis repugnet cum adoptione: ergò aſſerebant eſſe ſervum naturalem; & hoc eſt, quod damnarunt Papa, & Concil. Aliqui authores reſpondent, Pontificem, & Concil. ſolùm damnaſſe ſervitutem pœnalem in Chriſto contractam ex peccato, quamqué ex prima ſua ſignificatione importare videtur hoc nomen *Servitus*. Hac reſponſione in ſua probabilitate, quæ certè deduci poteſt ex aliquibus verbis Concilii, & Pontificis:::

10 Reſpondeo, quòd Elipand., & Felix affirmando Chriſtum, ût hominem, eſſe Filium Dei adoptivum, & ſervum, non loquebantur in ſenſu Catholico, sèd in ſenſu Neſtoriano, excludendo per adoptionem, & ſervitutem unionem ſubſtantialem, & hypoſtaticam humanæ naturæ cum Deo, & ponendo ſolùm unionem per ſpecialem affectum, & gratiam accidentalem. Quarè, etſi non aſſerant in Chriſto ſervitutem excludentem jus ad hæreditatem, ſicùt excludit ſervitus legalis; ponebant tamèn ſervitutem excludentem à Chriſto, ût homine, communicationem cum Deo in bonis propriis, in honore, & excellentia, ratione cuius Chriſtus, ût homo, eſt etiàm dignus cultu *latriæ* abſolutæ: & hæc ſervitus non repugnat cum filiatione adoptiva, cüm conveniat Sanctis, & Angelis, etſi ſint Filii adoptivi Dei. Undé ob hoc damnati fuere tales A. A., quiá tollebant â Chriſto communicationem cum Deo, & unionem ſubſtantialem, & hypoſtaticam; non verò, quià ponebant ſervitutem naturalem propriam.

11 Arguitur 2., & eſt replica: Adrianus in Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, non ſolúm docet, Chriſtum non eſſe dicendum ſervum, sèd addit, quód, ſi in Scripturis appellatur ſervus, intelligi debet allegoricé, & metaphoricè, ſicút dúm dicitur *Leo*, *petra*, *agnus*: ergò Chriſtus nequit dici ſervus naturalis Dei naturalitate propria. Reſpondeo ex Averſa, cum N. Maſtrio hic, falſum eſſe, quód Adrianus dixerit, Chriſtum fuiſſe vocatum ſervum per figuram, & metaphoram, ſicùt vocatus eſt *agnus*, *leo*, *lapis &c.*; sèd ſolûm conceſsit Pontifex, Chriſtum fuiſſe propheticè adumbratum, & myſticé figuratum per illos, qui vo-

ca-

cati fuerant, & erant veré servi Dei servitute legali, scilicèt, per Job, David, & Jacob. Quin imò negavit, Christum posse dici servum, & adoptivum; quià talis metaphora non invenitur in Sac. Scriptura, aùt in Ecclesia Catholica.

12 Arguitur 3.: ex dictis in quæst. antec. concluſ. 2., Christus, ùt homo, est Filius proprius Dei: ergó nullo modo est servus adhùc servitute naturali. Prob. conseq.; ideò Christus, ût homo, est Filius Dei proprius, quiá humanitas ejus est conjuncta substantialitér Deo in supposito divino; sèd hoc ipso nullo modo est servus: ergò &c. Prob. min.: ideò Filius naturalis in creatis non est servus sui Patris, nèc maritus uxoris, quià ratione conjunctionis cum Patre ex vi generationis, & uxor ratione vinculi matrimonialis cum marito, non possunt dici, & esse servi; sèd maior est conjunctio Christi, út Filii proprii Dei cum Deo, quàm conjunctio Filii naturalis cum Patre, & uxoris cum marito: ergò, si hęc coniunctio tollit omnem servitutem, á fortiori conjunctio Christi cum Deo.

13 Respondeo, conceſſo antec., negando conseq.: ad probationem, conceſſa mai., nego min.. Ad cuius probationem distinguo mai.; ideò prę cisé, &c. nego mai.; ideò, & quià in creatis non datur servitus naturalis, sèd solùm legalis, conc. mai.: & conceſſa min., nego conseq. In creatis ergò non est servitus naturalis Filii ad Patrem, néc uxoris ad maritum; quià nullus homo potest despoticè pro suo libito disponere de alio homine. Reperitur ergò servitus naturalis solùm in creaturis comparativê ad Deum; quià solus Deus ratione sui supremi dominii potest despoticè pro suo libito disponere de hominibus, Angelis, & de omni re creata: & in hoc sensu dicimus, Christum, ût hominem, comparativé ad Deum esse eius servum naturalem. Illa verò maior coniunctio Christi cúm Deo, quàm Filii cûm patre, aût uxoris cùm marito, solùm excludit perfectiſsimo modo servitutem legalem à Christo Domino, quod ultrò fatemur.

14 Arguitur 4., & potest esse replica: magis intèr se repugnare videntur servitus, et filiatio propria, quàm filiatio adoptiva, & filiatio propria; sêd, quià Christus est filius proprius Dei, nequit dici Filius adoptivus: ergò nèc ullo modo potest dici servus. Respondeo distinguendo mai.: magis repugnare videntur servitus legalis, & filiatio propria, quàm filiatio adoptiva, & filiatio propria, conc. mai.: ser-

ſervitus naturalis, nego mai.: & conceſſa min., neg. conſeq.. Servitus ergò naturalis fundatur in dependentia eſſentiali omnis entis creati â Deo, qui, út primum principium omnium, & út ſupremus Dominus omnis creaturę, poteſt pro ſuo libito, uti & diſponere de qualibet creatura; quarè, cùm unio hypoſtatica non extrahat humanitatem Chriſti Domini ab eſſe creaturæ, quamvis ipſam elevet ad ordinem ſupremum, hinc eſt, quód non poteſt ipſam á tali dependentia eſſentiali liberare; & conſequentèr néc á ſervitute naturali in tali dependentia fundata.

15 Arguitur ultimó: magis, & perfectiùs conjungitur natura humana Chriſti cùm Deo, quám ſint coniuncti iuſti per gratiam; sèd iuſti nullo modo ſunt ſervi Dei, iuxta illud ipſiusmet Chriſti: *iàm non dicam vos ſervos, ſed amicos*: ergô &c. Reſpondeo negando min.: verba enim Chriſti intelliguntur de ſervitute peccati, a qua liberantur per gratiam; non verò de ſervitute naturali; út ſatis colligitur ex vocabulo *amicos*. Alia argumenta, quę hic objici ſolent, facilé ſolvuntur; vel quia ſolúm probant Chriſtum, út hominem, non eſſe ſervum Dei ſervitute legali, & juridica; quarè non militant contrà nos. Vel, quia faciunt quęſtionem de nomine, apponendo ſervitutí naturali omnes, & ſingulas conditiones præequiſitas ad ſervitutem legalem; maximè, quòd ſervitus naturalis non poſsit participare cúm Domino in eadem ſede maieſtatis, & in eodem titulo honoris; quæ ſanè conditio eſt propria ſervitutis legalis, & impertinens ad naturalem, út dixi num. 2. huius.

16 Dubitabis hic: àn Chriſtus, út homo, fuerit & debuerit eſſe ſubiectus ſuæ SSmæ. Matri? Quod Chriſtus, út homo, non fuit ſervus Virginis, conſtat ex dictis quęſt. antec., quià fuit verus Filius. Quòd fuerit ſubiectus, etiàm patet ex illo Lucæ 2.: *& erat ſubditus illis*, hoc eſt Virgini Matri, & eius puriſsimo Sponſo. An verò debuerit? eſt difficultas. Reſpondeo affirmativè, & probatur: alii Filii ratione generationis naturalis, quà à ſuis parentibus accipiunt eſſe, tenentur eſſe illis ſubiecti; séd Chriſtus, út homo, accepit à Virgine eſſe hominis per veram generationem: ergó. Néc obſtat, quòd Chriſto, út homini, ratione unionis hypoſtaticæ ſit debita ſumma reverentia, & conſequentèr B. Virgo teneatur ipſum revereri. Non obſtat; quiá hæc obligatio mutua oritur ex diverſis titulis. Videmus enim in humanis, quòd Rex obligatur revereri matrem ſuam titulo generationis; & mater Regem titulo maieſtatis.

DISP.

DISP. III.

DE GRATIA

TAM ACTUALI, QUAM HABITUALI CHRISTI Domini.

Non eſt noſtri inſtituti agere in præſenti diſp. de gratia capitali Chriſti Domini ; de iſta enim ſermonem habebimus diſp. ult. huius , dùm de dignitatibus , & officiis Chriſti Domini loquamur. In præſenti enim ſolùm de gratia actuali , aliiſquè donis : & de gratia habituali quoàd ſuam eſſentiam , & intenſionem , ſermonem inſtituimus; nàm de eius effectu formali , ſcilicèt , ſanctitate, in diſputat. ſequenti. Sit ergò

QUÆSTIO I.

De gratia actuali , aliiſque donis Chriſti Domini.

1 DUbitabis 1. : an in Chriſto Domino fuerit neceſſaria gratia actualis ad eliciendos actus ſupernaturales ? Pro reſolutione difficultatis nota , quòd duplex eſt gratia actualis , ſeù duplex auxilium : unum per modum concurſus ; aliud verò per modum principii moraliter excitantis , vel ad malum fugiendum , vél ad bonum proſequendum ; quodque auxilium ex parte

te intellectus conſiſtit in aliqua ſancta cogitatione; & ex parte voluntatis in pia motione. Loquendo de gratia in 1. ſenſu, non eſt difficultas, quòd fuerit neceſſaria animæ Chriſti. Ratio eſt; quià nullus actus poteſt produci à cauſa ſecunda abſquè proportionato concurſu cauſæ primæ in ordine naturali: ergò & in ordine ſupernaturali implicat, poſſe produci actum ſupernaturalem abſque concurſu ſupernaturali eiuſdem primæ cauſæ. Quarè difficultas eſt de gratia actuali per modum principii. De qua

2 Dico: hæc gratia actualis ſic ſumpta non fuit neceſſaria in Chriſto Domino ad actus ſupernaturales eliciendos. Eſt contra aliquos R.R., & communis inter Noſtrates. Probatur: gratia prævenians, & adiuvans maximè fuit neceſſariæ ad aufferendam difficultatem naturæ lapſæ, & ad comprimendam rebellionem appetitus ſenſitivi contra rationem circà opus honeſtum eligendum; ſèd ad hoc non erant neceſſariæ in Chriſto Domino: ergò &c.. Prob. min.: Chriſtus non fuit purus viator, ſèd ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit ſimùl comprehenſor: & eius humanitas non fuit vulnerata, ſèd ſana, & integra: ergò non indiguit his auxiliis. Confirmatur: auxilia excitantia, & adiuvantia non fuerunt neceſſaria in Chriſto, út actus eius evaderent ſupernaturales: ergò. Prob. ant.: Chriſtus ab initio ſuæ conceptionis fuit pleniſſimè coniunctus Deo ſubſtantialiter per unionem hypoſtaticam; & accidentaliter per actus beatificos; ſèd hoc ſufficiebat, út actus eius evaderent ſupernaturales: ergò. Minor conſtat; quiá magis ſupernaturales ſunt actus beatifici, quàm auxilia actualia gratiæ excitantis, & adiuvantis, & efficaciores ad omne bonum volendum, & in bono volito ſempèr perſeverandum.

3 Dices 1.: ex vi unionis hypoſtaticæ non elevabantur potentiæ Chriſti ad aliquid præſtandum ſupra vires ſuas: ergò ad plurima opera ſupernaturalia, quæ elicuit, neceſſaria fuere talia auxilia. Reſpondeo, omiſſo ant &., negando conſeq. Quamvis enim unio Verbi per ſe, & formaliter præciſè ſit ad ſubſiſtendum, et non ſit formale principium efficiendi aliquid, potuit hic defectus ſuppleri in Chriſto ex vi unionis beatificæ, quæ in ordine ad elevationem potentiarum ad operandum maior eſt, quam ipſa unio hypoſtatica, út docet Doctor in 3. diſt. 2. q. 1.. Undè, ſicùt beati non egent auxilio gratiæ excitantis, & adiuvantis diſtincto ab actibus beatificis ad benè volendum, & in bono volito perſe-

ve-

verandum, ſic à fortiori dicendum eſt de Chriſto, qui ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit perfectiſsimè beatus.

4 Dices 2.: intellectus animæ Chriſti eiuſque voluntas indiguit his auxiliis in inſtanti ſuæ conceptionis ad videndum Deum, ipſumque amandum: ergò fuerunt neceſſaria hæc auxilia animæ Chriſti in initio ſuæ conceptionis. Antec. conſtat; quià actus videndi, & amandi Deum ſunt ſupernaturales excedentes vires naturales Chriſti. Reſpondeo, quòd, ſi per actualem gratiam adiuvantem intelligitur auxilium ſpeciale per modum concurſus, hoc indiguiſſe animam Chriſti, ultrò fatemur, út diximus, num. 1.: ſi verò intelligatur auxilium aliquod ſpeciale actuale per modum principii, nego abſolutè antec.: & conceſſo antec. probationis, nego conſeq.; quià regulariter, & ex communi lege, ad videndum Deum, ipſoquè fruendum elevantur potentiæ per habitus luminis gloriæ, & charitatis: & ſic in Chriſto Domino in primo inſtanti ſuæ conceptionis non fuerunt neceſſaria auxilia actualia gratiæ excitantis, & adiuvantis per modum principii.

5 Dubitabis 2.: àn in Chriſto D. fuerint gratiæ gratis datæ? Per gratias gratis datas intelligimus illas, quæ, licèt ſint dona ſupernaturalia à Deo gratis collata, tamèn per ſe non reddunt hominem Deo gratum, nèc illum ſanctificant; ſèd ſolùm dantur ad utilitatem aliorum. Iſtæ numerantur ab Apoſtolo novem, ſcilicèt, *ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, fides, gratiæ ſanitatum, operatio virtutum, prophetia, diſcretio ſpirituum, genera linguarum, & interpretatio ſermònum.* De illis ergo quærimus, án fuerint in Chriſto D.?

6 Reſpondeo affirmativè. Prob. ex illis teſtimoniis Scripturæ, in quibus dicitur de Chriſto: „ in quo ſunt omnes theſauri ſa„ pientiæ, & ſcientiæ Dei: ple„ nus gratiæ, & veritatis: om„ nia mihi tradita ſunt á Patre „ meo: de plenitudine eius omnes „ accepimus: data eſt gratia ſe„ cundùm menſuram donationis *Chriſti*: ex quibus omnibus ſic efformatur ratio: in Eccleſia ſunt omnes iſtæ gratiæ, gratis datæ, diſtributæ intèr homines, iuxta illud Apoſtoli 1. ad Corinth. cap. 12.: *unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem*:: *alii ſermo ſapientiæ &c.*: ergò fuerunt in Chriſto D. collectivè, & quidèm in gradu ſummo perfectionis. Conſeq. conſtat, quià, cùm Chriſtus ſit caput omnium Chriſtianorum, et totius Eccleſiæ, in eo debent eſſe omnes gratiæ, quas debet influ-

fluere in totum corpus Eccleſiæ, & in ſingula eius membra.

7 Sèd, quià de fide, tertia gratia, poteſt eſſe aliqua difficultas, nota, quód iſta gratia non eſt habitus inclinans, aùt elevans, & facillitans ad credendum revelata; séd eſt fervor, & conſtantia in docendo res fidei, non obſtantibus periculis vitæ; vel eſt fiducia magna in Deo de patrandis miraculis in confirmationem fidei, iuxtà illud Lucę 17.: *habete fidem.* Et certè, quód Chriſtus Dominus in hoc ſenſu habuerit gratiam gratis datam fidei, nulli dubium poteſt eſſe; cùm omnibus notus ſit eius fervor, & conſtantia in docendo res fidei; cùm proptér hoc præcipitatus, lapidatus, alapis cæſſus, & tandèm crucifixus fuerit.

8 Dubitabis 3.: án in Chriſto Domino fuerint omnia dona Spiritus Sancti? Dona Spiritus Sancti ſunt quædam ſpeciales gratiæ, quibus nobis communicatur ſpecialitèr virtus divina; & communitèr enumerantur ſeptèm, ſcilicèt, *ſapientia*, *intellectus*, *conſilium*, *fortitudo*, *ſcientia*, *pietas*, & *timor Domini.* De his ergò quærimus, àn fuerint in Chriſto Domino? Séd, antè quam reſolvamus, nota, quòd timor hic non ſumitur pro timore ſervili, quo peccator timet pœnas inferni, & Deum, ùt vindicem peccati; sèd ſumitur pro timore filiali, reverentiali, & caſto, quem definit Aug. dicens: *timoris caſti nomine ea voluntas ſignificata eſt, qua nos neceſſe erit, nolle peccare, non ſolicitudine neceſsitatis, sèd tranquilitate Charitatis.* Et certè, quòd hic timor reverentialis fuerit in Chriſto, certum eſt; cùm ſummo affectu reverentiæ ferretur in Deum per Donum, & motum Spiritus Sancti. Quo notato.

9 Dico: omnia dona Spiritus Sancti fuerunt in Chriſto Domino. Probatur ex illo Iſaię 20.: *requieſcet ſupèr eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus &c.*: ergó hæc dona fuerunt in Chriſto Domino. Prob. ultrà ratione generali: hęc dona ſunt perfectiones aliquę ſpeciales potentiarum, quibus homo excitatur, & juvatur ab Spiritu Sancto ad perfectiora opera; séd hęc non defuerunt in Chriſto reſpectu cuius opera aliorum juſtorum fuerunt longé minùs perfecta: ergò quiá in ipſo fuerunt omnia dona Spiritus Sancti. Hoc ampliùs conſtat explicando ſingula dona, proùt ea explicat N. Subt. Doct. in 3. diſt. 34. num. 26.

10 Per ſapientiam ergò intelligit charitatem, per quam Deus nobis ſapit, juxtà illud Aug.: *ſapientia eſt Charitas Dei.* Per intellectum ſignificat fidem ſuper-

pernaturalem, in quantùm supèr habitum, quo elevamur ad assentiendum revelatis, importat auxilium speciale, quo juvamur ad assentiendum articulis fidei, qui sunt velùt prima principia reliquorum; sicút intellectus in scientijs naturalibus dicitur habitus primorum principiorum. Per consilium significatur prudentia; quæ est habitus rectè syllogizandi practicè. Per fortitudinem ipsamet moralis virtus, quæ hic ponitur inter dona. Per scientiam explicita notitia de credibilibus, sicút in scibilibus dicitur notitia conclusionis. Per pietatem intelligitur misericordia in Pauperes; & tandém de timore dictum manet suprá. Vide dicta disp. 1. huius. Quæst. ult., agendo de virtutibus moralibus Christi Domini.

QUÆST. II.

An gratia habitualis Christi Domini fuerit sub aliqua ratione simplicitér infinita?

1 TAmquàm quid de fide certum supponimus, quòd in humanitate Christi fuit gratia habitualis, sicût & in nobis justis. Constat enim ex varijs testimonijs Scripturæ; nàm Joann. 1. dicitur: *vidimus gloriam ejus: plenum gratiæ, & veritatis.* Et Psal. 139.: *sicût unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Undè per *unguentum* intelligunt Sacri Interpretes gratiam habitualem; & per ly in *capite*, intelligunt Christum D.. Similitér fitentur omnes Catholici, Christum secundùm humanitatem fuisse á suo primo conceptionis instanti Deo gratum, sanctum, justum, innocentem, & segregatum à peccatoribus, juxtà illud Lucæ 1.: *quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et ad Hebræos 7. *talis enim decebat, ùt nobis esset Pontifex Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* His suppositis.::

2 Quærimus in præsenti: àn hæc gratia habitualis Christi Domini fuerit simplicitèr infinita sub aliqua ratione? Et pro ejus resolutione notandum est, quòd gratia habitualis Christi Domini potest attendi sub quadruplici consideratione: primò, in esse entis: secundò, in esse talis entis, hoc est, in esse qualitatis: tertiò, in esse gratiæ, hoc est, penès ordinem ad effectus, ad quos se extendit: quartò denique, in esse moris, & secundùm valorem, & moralem æstimationem, ad quæ se extendit. Et sub unaquàlibet consideratione ex his quatuor dubitari potest, án sit simpliciter infinita? Pro cuius clariori resolutione no-

tan-

tandum eſt, quòd *ſummum* duplicitèr ſumi poteſt; *negativè*, & *poſitivè*. Summum *negativè* eſt illud, quòd in aliqua linea, in qua eſt tale, nequit excedi exceſſu formali, licèt in tali linea admittat æquale. Summum *poſitivè* eſt illud, quod in illa linea, in qua eſt ſummum, nèc excedi poteſt, nèc æquale admittit.

3 Sic ſe explicat N. Subt. Doct. in 3. diſt. 3. quæſt. 3. §. „ dico ad 1. quæſt. Summa gra„ tia, vèl ſuprema, poteſt du„ plicitér exponi: affirmativé, & „ negativè: ſi affirmativè, túnc „ denotatur exceſſus reſpectu om„ nium aliorum; & ſic Ariſt. „ dicit 9. Topic.: quod per ſu„ perabundantiam dicitur, uni„ ſoli convenit; quià oppoſitum „ in adjecto eſt, quòd excedat „ omnia alia, & tamèn quód „ habeat ſuperius, vèl æquale. „ Iſto modo dico, quòd nulla po„ teſt eſſe in anima Chriſti, nèc „ ſumma charitas, nequè ſumma „ fruitio; quià impoſsibile eſt, „ eſſe duo ſumma, & ſummum „ hoc intelligitur, quo non po„ teſt eſſe aliud æquale. Hæc Scotus, ex quibus claré conſtat, quòd eſſe ſummum poſitivé in aliqua linea, eſt eſſe ſimplicitèr infinitum in tali linea. Undé idem eſt inquirere: àn gratia habitualis Chriſti Domini fuerit ſimpliciter infinita ſub aliqua ratione, àc quærere: àn ſub tali ratione fuerit ſumma poſitivé. His notatis::

4 Dico 1.: gratia habitualis Chriſti Domini non eſt ſimplicitér infinita in eſſe entis. Eſt contrà aliquos Thomiſtas. Prob. 1.: infinitum ſimplicitèr in aliqua linea eſt illud, cui in tali linea nihil eſt extrà, ſeú cui nihil perfectionis deeſt in tali linea; ità út in tali linea ſit inexcedibile exceſſu formali; imò & inæquabile, sèd gratia habitualis collata Chriſto D. non eſt taiis in ſua ſua perfectione entitativa: ergò ſub tali ratione nequit eſſe ſimplicitér, ſeú categorematicé infinita. Maior communitèr admittitur à Theologis, & Philoſ.. Prob. min.: de potentia Dei abſoluta eſt dabilis alia uniohypoſtatica æqualis unioni hypoſtáticæ Chriſti D.; & conſequentér eſt poſsibilis alia gratia ęquè perfecta, quæ daretur naturæ ſic unitæ ratione unionis; sed hoc ipſo gratia de facto collata Chriſto D. nèc eſt inexcedibilis exceſſu formali, nèc eſt inæquabilis: ergo gratia habitualis Chriſti D. non eſt talis. Min. quoàd ſecund. part. ex ipſa maiori conſtat.

5 Probatur quoàd prim.: ſupponamus, quòd hæ duę gratiæ infinitæ ſimplicitèr exiſtant de facto

in

in natura humana Chriſti de facto aſſumpta à Verbo Divino; & in alia natura humana, quæ aſſumeretur à Patre, vel à Spiritu Sancto: tùnc hæ gratiæ eſſent plurificatæ in pluribus æqualibus; séd hoc ipſo in nullo eſſet infinita ſimplicitèr in ſua entitate; ergo &c. Prob. min.: illa plura, quia plura, excederent in perfectione formali gratiæ unumquodlibet illorum: ergo gratia unius cuiuſque excederetur à gratia amborum; & ſic gratia unius cuiuſque excederetur, & non poſſet eſſe ſimplicitèr infinita. Hoc argumento utuntur communitèr Theologi ad probandum repugnantiam plurium Deorum; quia infinitum eſt formalitèr inexcedibile, nam, ut docet Doct. in 1. diſt. 2. q. 3. §. *de 4. via*, iuxta Aug. 8. *de Trinit.* cap. 1.: *quæcumque perfectio potens numerari in diverſis, plures perfectiones habet in pluribus, quàm in uno.*

6 Probatur 2. concluſio alia ratione Doct. in 3. diſt. 13. q. 4. §. *ad argumenta 1a. quæſtionis*: gratia, nùl quælibet forma creata, eſt participatio Dei, participans partem infinitæ perfectionis ipſius: ergò nequit includere totam perfectionem ſuæ lineæ; cùm ſolùm participet partem. Nùnc ſic; séd forma ſimpliciter infinitè perfecta in aliqua linea eſt, quæ includit totam perfectionem illius lineæ: ergò, cùm gratia habitualis Chriſti Domini ſolùm participet de infinita perfectione Dei, nequit eſſe ſimpliciter infinita in ſuo eſſe entitativo. Confirmatur: aliquid eſſe dependens à Deo, tamquam ab ipſo creatum, eſt eſſe finitum, & participatum; sèd gratia habitualis Chriſti D. eſt, quid creatum, & participatum à Deo in ſuo eſſe entitativo: ergò repugnat, quòd ſit quid infinitum. Urgetur: ſicùt infinitas eſt paſſio entis increati, ità finitas eſt paſſio entis creati; sèd gratia habitualis Chriſti eſt ens creatum: ergo debet dicere tamquàm paſſionem finitatem.

7 Dices 1.: tanta fuit gratia habitualis in Chriſto, quanta potuit eſſe: sèd potuit eſſe actu infinita: ergò ità fuit. Prob. min.: gratia Chriſti debuit eſſe proportionata dignitati, & capacitati ſubiecti, ſeù perſonæ: & etiàm unioni hypoſtaticæ, ad quam diſponebat: sèd hæ fuerunt infinitæ: ergò &c. Reſpondeo negando min.: ad probation. diſtinguo mai., quoad primam partem: gratia debuit eſſe proportionata capacitati ſubiecti *immediati*, & *inhæſionis*, conc. mai.: ſubiecti *tantùm mediati*, & *denominationis*, nego mai., min. in ſenſu diſtinctionis, & conſeq.. Perſona ergò Chriſti Domini eſt ſubiectum mediatum, & denominationis gratiæ; ſubiectum verò immediatum, & inhæſionis eſt anima, aùt Chriſti vo-

luntas, quæ in ſe finita eſt. Ad ſecundam part. maioris, nego ſuppoſitum; quiá gratia non fuit diſpoſitio ad unionem hypoſtaticam, ſèd poſterior ipſa. Et nego etiàm ſuppoſitum minoris; quià unio eſt entitativè finita, & ſolùm infinita terminativè, & negativè ſumma.

8 Dices 2.: gratia habitualis, ſecundùm Ioannem 3., data fuit humanitati Chriſti non ad menſuram; ſèd quòd non eſt ad menſuram, eſt infinitum in actu: ergò. Reſpondeo diſtinguendo mai. gratia habitualis fuit data humanitati Chriſti non ad menſuram, hoc eſt, in magna copia, & abundantia, ità út maior non ſit dabilis, conc. mai.: fuit data non ad menſuram, hoc eſt, ſinè menſura, vél termino, nego mai.: & diſtincta min. ſub eiſdem terminis, nego conſeq.. Itaquè gratia Chriſti D., cùm fuerit ſumma poſſibilis, ſeù negativè ſumma, út poſteà dicam, dicitur ſinè menſura comparativé ad omnes gratias omnium hominum, & Angelorum; quas omnes collectivè ſumptas excedit; non verò fuit ſinè menſura abſolutè, & intrinſecè; cùm ex dictis, & dicendis, habeat terminum intrinſecum, & alia æqualis ſit poſsibilis.

9 Dico 2.: gratia habitualis Chriſti D. non fuit ſimpliciter infinita in eſſe talis entis, hoc eſt, út eſt accidens, et qualitas phyſica. Probatur: gratia in eſſe accidentis, & qualitatis phyſicę neceſſario dependet á ſubſtantia, tamquàm *entis ens*, & à ſubiecto, út *in quo*; sèd implicat gratia dicens talem ordinem ad ſubſtantiam, & ſubiectum, & quòd ſit ſimpliciter infinita in tali linea: ergò gratia Chriſti in eſſe accidentis &c. Prob. min.: infinitum in aliqua linea eſt in tali linea ex ſe independens ab aliquo finito; quiá de ratione talis infiniti eſt, includere omnem perfectionem excogitabilem ſuæ lineæ; & independentia eſt maxima perfectio: ergò, ſi gratia Chriſti in eſſe accidentis, & qualitatis dicit ordinem, & dependentiam ad ſubſtantiam, tamquàm *entis ens*, & ad ſubiectum, út *in quo*, nequit eſſe ſimpliciter infinita in tali linea.

10 Dico 3.: gratia habitualis Chriſti D. non eſt ſimpliciter infinita moraliter, ſeú ſecundùm valorem, & æſtimationem moralem. Prob. concluſio: valor moralis gratię eſt, quo ſubiectum Deo gratum per gratiam eſt ipſi Deo acceptum amore amicabili in ordine ad gloriam poſſidendam, vèl út hæreditatem, vèl út coronam; sêd anima Chriſti Domini per gratiam habitualem non eſt ſimpliciter infinitè acceptabilis á Deo amore amicabili in ordine ad gloriam poſsidendam: er-

ergò quiâ in valore morali ejus gratia non eſt ſimplicitér infinita. Probatur minor : quod eſt ſimplicitèr infinitè ſic acceptabile à Deo, expoſcit, ùt ejus acceptabilitas adæquet amorem amicabilem ad gloriam ſimplicitér infinitè acceptantem ; sèd gratia habitualis animæ Chriſti non reddit acceptabilitatem ipſius ità, ùt adæquet amorem amicabilem acceptantem ſimplicitèr infinité ad gloriam : ergò &c. Mai. conſt. ; quiâ nulla acceptabilitas ad aliquid adæquari valet , niſi per acceptationem ad illud ejuſdem lineæ , & perfectionis , àc eſt ipſa acceptabilitas.

11 Minor , in qua ſtat difficultas , probatur : implicat, quòd anima Chriſti Domini reddatur per gratiam habitualem magis , aùt æqualitér acceptabilis à Deo ad gloriam , ác redditur per dignitatem Perſonæ Verbi Divini , ipſi hypoſtaticé unitæ ; cùm hæc acceptabilitas ſit ordinis ſuperioris comparativè ad gratiam habitualem ; sèd per dignitatem Perſonæ Verbi Divini non redditur anima Chriſti acceptabilis ad gloriam ſimplicitèr infinitam: vél ſi hoc modo redderetur, plùsquàm ad hoc non poteſt acceptabilis reddi : ergo implicat, quòd per gratiam habitualem reddatur acceptabilis ad gloriam amore amicabili ſimplicitèr infinité acceptante.

12 Dico 4.: gratia habitualis Chriſti Domini phyſicé in eſſe gratiæ , hoc eſt , per ordinem ad effectus , ad quos ſe extendit , non eſt actù infinita. Eſt communis inter Scotiſtas cum Doct. in 3. diſtinct. 13. contrà aliquos Thomiſtas cum Illmo. Godoy. Prob. 1. concluſio ex dictis concluſione 2. : gratia habitualis Chriſti Domini ſecundùm phyſicam entitatem in eſſe qualitatis eſt actù finita : ergó in eſſe gratiæ non eſt actú infinita. Prob. conſeq. : eſſe gratiæ , ſeú munus gratificandi eſt gradus inferior reſpectivè ad gratiam habitualem in eſſe qualitatis : ergò, ſi in eſſe qualitatis eſt finita , ſimilitèr in eſſe gratiæ ; cùm gradus inferior debeat proportionari cum ſuperiori.

13 Probatur 2. concluſio : ùt gratia habitualis Chriſti Domini ſe extendat ad omnes effectus , & operationes gratiæ, ſcilicét , ad redemptionem , & ſatisfactionem infinitorum hominum , non requiritur , quód ſit phyſicè actù infinita : ergó non eſt talis. Prob. antec. quod eſt fundamentum contrariorum : ad hoc ſufficit , quòd ſit infinita lato modo , ſeú negativè ſumma: vèl , ùt docet Scotus in 3. diſt.

19. §. *quantùm ad ſufficientiam*, ad hoc, quod gratia habitualis Chriſti Domini ſe extendat ad omnes effectus, & operationes gratiæ, non requiritur, quod extenſio attendatur per reſpectum, quem operationes dicunt ad gratiam, sèd per reſpectum, quem dicunt ad divinum ſuppoſitum, á quo deſumunt quandam infinitatem, & ſuperioritatem, ratione cuius poterant acceptari pro infinitis hominibus, ſi eſſent: ergò, út gratia habitualis Chriſti Domini ſe extendat, &c. De hoc ampliùs tract. ſequenti, dúm de ſatisfactione Chriſti Domini agamus.

14 Dices 1.: gratia habitualis Chriſti Domini conſiderata ſecundùm quantitatem virtualem extenſivam, ſeù ſecundùm quod ad omnes effectus gratiæ ſe extendit, eſt gratia in eſſe gratiæ; sèd conſiderata ſecundùm quantitatem virtualem extenſivam eſt phyſicé infinita in actu: ergò eſt phyſicé in ratione gratiæ actù infinita. Prob. min. paritate: anima ſenſitiva, ſi ſe extenderet ad omnes actus ſentiendi, eſſet infinita extenſivè ſecundùm quantitatem extenſivam; nam non eſſet limitata ad aliquem gradum determinatum ſentiendi; sèd gratia habitualis in Chriſto Domino ſe extendit ad omnes effectus, & operationes gratiæ: ergó eſt actù infinita in eſſe gratiæ. Reſpondeo negando min.: ad probationem diſtinguo mai.: anima ſenſitiva, ſi ſe extenderet, &c. eſſet infinita lato modo, ſeú ſumma negativé, conc. mai.: eſſet actù infinita, ſeù ſumma poſitivè, nego mai., & conceſſa min., nego conſeq..

15 Dices 2.: illud eſt ſimplicitér infinitum in aliqua linea, & ſub aliqua ratione formali, quod in tali linea, & ſub tali ratione habet quidquid perfectionis ad illam pertinet; sèd gratia habitualis Chriſti in linea gratiæ eſt huiuſmodi: ergó in hac linea eſt ſimplicitér infinita. Prob. mai.: ſimplicitèr infinitum eſt, cui nihil eſt *extrà*, ſeù quo nihil eſt maius, aút poteſt eſſe in linea, in qua dicitur infinitum; sèd illud, quod in aliqua linea habet quidquid poteſt pertinere ad talem lineam, eſt cui nihil eſt *extrà*, & quo nihil eſt majus, aút poteſt eſſe; aliás deficeret ipſi illud, in quo excederetur, & ſic non haberet quidquid perfectionis pertinere poteſt ad talem lineam: ergò &c. Confirmatur: quod eſt inexcedibile exceſſu formali, eó quòd formalitér continet omnem perfectionem poſsibilem talis lineę, & excedit omne aliud in tali linea,

eſt

est simpliciter infinitum ; séd gratia habitualis Christi Domini habet omne hoc in linea gratiæ, quià non limitatur : ergò est simpliciter infinita.

16 Respondeo ad argumentum negando mai. absolutè; non enim explicatur benè infinitas simplicitèr per illam rationem ; nàm talis ratio convenit *summo negativè* ; ùt patet in unione hypostatica , quæ in linea unionis habet quidquid perfectionis ad illam pertinet , & tamèn in ratione doni non est simpliciter infinita ; cúm non excludat æquale ; imò non est inexcedibilis excessu formali. Vide dicta in prima probatione primę conclusionis. Ad probationem majoris , distinguo min. : infinitum simplicitèr est , cui nihil est *extrà* , quoàd *habere totum perfectionis* , *& totalitèr* , concedo mai. ; præcisé quoàd *habere totum* , *sèd non totalitèr* , nego mai. : inversis terminis distinguo min. , & nego conseq. Per hoc etiàm patet responsio ad confirmationem.

QUÆST. III.

AN GRATIA HABITUALIS Christi Domini sit syncategorematicè infinita?

1 SUppono primò, gratiam habitualem Christi Domini non fuisse auctam , nèc potuisse augeri ; séd fuisse summam, & omnium maximam, quàm Deus unquàm communicavit , aút communicare potuit alicui creaturæ, loquendo de communi lege , & potentia ordinaria. Ratio hujus suppositionis est ; quià ob unionem hypostaticam habuit humanitas Christi congruitatem summam ad summam gratiam , etiàm infinitam , si esset possibilis. Undè gratia Christi Domini fuit tam summa , quòd , etsi concipiamus omnem gratiam Angelorum , & hominum collectam in unam, adhùc tamên gratia Christo collata illam superaret in intensione. Hoc ùt certum supponunt Theologi. Et ex hoc

2 Suppono secundó, quòd, si admittatur status in intensione qualitatum ità , út aliqua qualitas perveniat ad tantam intensionem finitam , ùt alia magis intensa dari non posset ; túnc dicendum est , gratiam habitualem Christi Domini esse de facto summam *negativè* , hoc est , qua ma-

ior dari non poſſet : non verò eſſe ſummam *poſitivè*, hoc eſt, excedens omnes gratias poſsibiles, quin alia gratia ipſi æqualis ſit poſsibilis. Ratio eſt eadem, ac ſuppoſitionis antecedentis ; quia tanta perfectio concedenda eſt Chriſto Domino ratione unionis hypoſtaticę, quanta poteſt abſque ullâ repugnantia. Si verò talis ſtatus non admittatur in intenſione qualitatum, gratia habitualis Chriſti Domini, non erit intrinſecé ſumma, nèc *poſitivè*, nèc *negativè* reſpectu omnium gratiarum poſsibilium ; cùm in hac hypotheſi, non poſsit dari ulla gratia tàm intenſa, quin maior non poſsit dari de potentia abſoluta. Quarè ſcopus huius difficultatis eſt : ân detur talis ſtatus in intenſione qualitatum ; vél non detur ?

3 In hac re duplex eſt Theologorum ſententia. Prima abſolutè docet, non dari talem ſtatum ; & conſequentér quòd gratia habitualis Chriſti Domini potuit intenſivè augeri de potentia Dei abſoluta uſquè in infinitum. Sic plures Thomiſtæ, quibus adhæret N. Sapientiſsimus Maſtrius Diſp. 10. Phiſicæ, quæſt. 5., art. 2. ; & hic Diſp. 2. quæſt. 3. artic. 1. Secunda ſententia per oppoſitum docet, dari ſtatum in intenſione qualitatum, & conſequentèr gratiam habitualem Chriſti Domini non potuiſſe intenſivè augeri uſquè in infinitum ſyncategorematicè adhuc de potentia abſoluta. Sic feré omnes Scotiſtę tàm veteres, quàm recentiores, ùt fatetur ipſemet Maſtrius. Et quamvis hic A.vellit in hoc puncto facere Subt. Doct. problematicum, cum N. Cabello Lib. 2. Metaph. quæſt. 6. Schol. 1. ; tamèn in rei veritate Subt. Doct. in 3. Oxonienſ. diſt. 13. q. 4., & in Reportatis, in eodem 3. diſt. 12. q. 2. ſtat expreſsé pro hac ſententia. Cum qua ſit...

4 Noſtra concluſio: gratia habitualis Chriſti Domini ex natura rei, & ab intrinſeco habet terminum augmenti ; & conſequentér non fuit augmentabilis uſquè ad infinitum ſyncategorematicé adhùc de potentia Dei abſoluta. Probatur 1. hæc concluſio ratione Doct. cit. : ſi gratia habitualis Chriſti Domini non haberet ex natura rei terminum augmenti ità, ùt abſoluté potuerit eſſe augmentabilis uſquè in infinitum ſyncategorematicé, ſeù in potentia, poſſet dari gratia in intenſione actù infinita, & infinitè perfecta ; séd hoc repugnat adhùc in ſententia Maſtrij : ergò &c.

5 Prob. mai. authorit. Doct. in 3. Diſt. 13. quæſt. 4. ſub num. 2.. „ Accepta aliqua gratia „ determinata infima, puta A-

quæ-

„ quæro aſcendendo, aùt eſt ſta-
„ tus ad aliam ſupremam, &
„ habetur propoſitum: aút non,
„ séd poteſt procedi in infinitum;
„ & tùnc ſequitur, quòd quan-
„ tò aliqua magis excedit *A*, tanto
„ eſt perfectior, & per conſe-
„ quens illa, quę in infinitum
„ excedit, eſt in infinitum per-
„ fectior, & ità in ſe erit inten-
„ ſivé infinita. Et tamèn cum ip-
„ ſa videatur ab intellectu divi-
„ no, ſicùt unum creabile, po-
„ teſt una creatione creari; &
„ ità prætér hoc, quod infertur
„ impoſsibile, ſcilicet, quòd ſit
„ gratia ſic infinita, habetur pro-
„ poſitum, quòd iſta gratia poſ-
„ ſit unica creatione creari, ſi-
„ cùt ab intellectu divino vi-
„ detur, ùt unum creabile. Ab
„ iſta ratione habent evidentiam
„ ſuam aliæ duæ rationes, quá-
„ rum una accipitur à Philoſ. 3.
„ Phyſicorum, cap. de infinito,
„ quòd quantum contingit eſſe
„ in potentia, tantum contingit
„ eſſe in actu: & ità non eſt pro-
„ cedere in infinitum in poten-
„ tia, eundo ad formam: & ideò
„ neceſſe eſt in forma, quantum-
„ cumque perfecta, ponere ter-
„ minum qualitèrcumquè poſsi-
„ bilem. Hæc Doct., quę & re-
petit in Reportatis Diſt. 12. q.
2. in quibuſquè clarè continetur
probatio ſequelæ maioris; séd út
clariùs, ſic ex tali authoritate

6 Formatur probatio: ſup-
ponamus, quod gratia infima eſt
A, ſi daretur talis proceſſus ſem-
pèr aſcendendo in perfectione, ſe-
queretur; quòd quantò aliqua
ſpecies gratiæ excederet *A.*, eſſet
tantò perfectior talis gratia; sèd
hoc probat, quòd deveniremus
ad aliquam gratiam actu infinitè
perfectam: ergò &c. Prob. min.:
túnc caſus deveniremus ad ali-
quam gratiam, quę infinitè ex-
cederet gratiam *A.*: ergô hoc pro-
bat, &c. Prob. antec.: tùnc de-
veniremus ad gratiam inter quam,
& illam infimam *A.*, mediarent
infiniti gradus gratię, ſe invicém
excedentes in perfectione; séd
hoc ipſo deveniremus ad gratiam,
quæ infinitè excederet gratiam in-
fimam *A.*: ergó &c. Minor conſ-
tat; quia, ſi ſecunda gratia ex-
cedit *A.*, & tertia ſecundam, &
ſic ſempér aſcendendo: ergò ter-
tia excedit *A.*, pluſquàm ſecunda,
& quarta pluſquàm tertia, &c.:
ergò, ſi darentur infinitæ gratiæ,
ſe invicém excedentes, daretur
aliquà gratia, quæ infinitè exce-
deret gratiam infimam *A.*

7 Prob. mai. diſcurſus:
Deus, cùm ſit Omniſciens, per-
fectiſsimé videt, & comprehen-
dit omnes, & ſingulas gratias poſ-
ſibiles, quas poteſt producere,
ita, quòd nulla ſit, quę ſubter-
fugiat cognitionem Dei; sèd hoc
ipſo deveniremus ad aliquam gra-

tiam

tiam inter quam, & infimam *A.*, mediarent infinitæ gratiæ actû: ergò &c. Prob. min.: vèl Deus cognoſcit prædictas gratias eſſe tantúm finitas (& hoc eſt noſtrum intentum): vel cognoſcit eſſe infinita? Ex quo ſic argumentor: implicat, quòd Deus videat infinitas gratias poſsibiles, quin videat aliquam, intèr quàm, & illam gratiam infimam *A.*, mediant infinitæ gratiæ: ergò, ſi Deus videt illas ſpecies eſſe infinitas, neceſſariò videt aliquam, intér quam, & infimam *A.*, mediant infinitæ gratię. Nûnc ſic; sèd omne, quod Deus videt, ùt finitum creabile, poteſt ipſum unica actione creativa creare: ergò Deus poteſt creare illam gratiam infinitè excedentem gratiam infimam *A.*: ergò ex poſsibilitate intenſionis gratiæ uſquè in infinitum ſyncategorematicè infertur poſsibilitas finiti categorematici in intenſione gratiæ.

8 Reſpondet 1. Maſtrius, verum eſſe, Subt. Doct. in præfato loco inclinaſſe in ſententiam noſtram; sèd hoc feciſſe ex magna devotione in Chriſtum Dominum, út ipſemet Doct. in reſolutione quæſt. 2. ſub num. 9., ubi tradit illam maximam: *in commendando enim Chriſtum, &c.* Sèd venia tanti Magiſtri hæc reſponſio non eſt digna tanto Magiſtro. Certum eſt, quód Subt. Doct. tradit illam maximam; sèd eam tradit in reſolutione 2. quæſtionis. In reſolutione autèm primæ eam non commemorat, quinimò reſolutoriè tradit, & probat primò, quód ſumma gratia (negativè) potuit creari ſimùl unica creatione. Secundò, quod potuit conferri creaturæ; quòd probat authoritate à nobis tradita, ex quaquè concludit, habere evidentiam aliâs duas rationes. Ex quo infertur, quód non ex mera devotione, sed ratione convincenti ductus aſſeruerit dári ſtatum, & terminum in intenſione gratiæ. Prævidens hoc Maſtrius,

9 Reſpondet 2., quód Deus cognoſcendo omnes gratias poſsibiles uſquè in infinitum ſyncategorematicè, non propterea cognoſcit, infinitas gratias mediare inter infimam *A.*, & ſupremam; séd cognoſcit *non tot*, quin adhûc aliàs plures cognoſcat. Ratio ipſius eſt; quià res poſsibiles cognoſcuntur à Deo, út finitę in infinitum; ſic enim ſunt in ſe poſsibiles, & Deus cognoſcit res ſicût ſunt in ſe. Fateor ſanè, quód hæc reſponſio Maſtrii aliquam præſefert difficultatem; quapropter ad ipſam occurrunt quamplurimi ex extraneis, & non pauci ex Noſtratibus in Philoſophia, admittentes proceſſum in infinitum tam in ſpeciebus, quàm in intenſione qualitatis. Séd

Con-

10 Contrà 1.: dùm dicitur, quód Deus non tot cognoſcit poſsibilia, quin adhùc alia plura cognoſcat, vèl dicitur, quód Deus actualitèr non cognoſcit aliquod poſsibile, quod poteſt ab ipſo cognoſci: vél dicitur, quòd nullum latet ipſum cognoſcentem? Primum eſt contrà vim infinitam ſuæ omniſcientiæ. Si ſecundum: érgó omnia cognoſcit actù abſquè potentialitate illorum, quoàd cognoſci ſinè fine. Infero: ergó ſiné potentialitate, quoàd produci ſinè fine, exiſterent ſimùl poſsibilia, ſi omnia actù producerentur ſimùl ab omnipotentia, ſicút ſimùl actú cognoſcuntur; àc proindé eſſent infinita actû. Prob. conſeq.: omnes res poſsibiles, ſicùt ſunt cognoſcibiles á divino intellectu, ſic ſunt producibiles a divina Omipotentia: ergó, ſi ſimùl actù à Deo cognoſcuntur ità, ût nullum ipſum lateat, ſimùl actù poſſunt produci à divina Omnipotentia.

11 Contrà 2.: licèt nullus intellectus creatus, humanus, vèl Angelicus poſsit aſſerere, Deum cognoſcere tot poſsibilia, dûm omnia comprehendit; tamen ipſe Deus cognoſcens totam multitudinem illorum valet dicere: *tot eſſe cognita, quot cognoſcibilia*: ergò nulla eſt reſponſio. Prob antec.: infinitum non poſſe numerari, ſolûm eſt verum reſpectu intellectus creati, non verò reſpectu divini; nàm út ait Scotus in 1. diſt. 3. quæſt. 2. §. *ad tertium*: *intellectus tamèn divinus poteſt cognoſcere totum illud ſimúl, non partem poſt partem*: ergó &c. Deindè: creaturæ poſsibiles habent eſſe objectivum cognitum in mente divina út infinitæ, vèl út finitę? Si primum: ergò actù poſſunt produci á Deo út infinitæ, quod eſt inconveniens; vél cognoſcuntur út finitæ, quod eſt noſtrum intentum. Alias reſponſiones vidè in AA.

12 Probatur 2 concluſio: capacitas cujuſvis animæ (etiàm Chriſti D.) ad recipiendam gratiam eſt finita; sèd capacitas finita nequit eſſe ad formam categorematicé, aút ſyncategorematicé infinitam: ergò non eſt poſsibilis gratia creata, aût creabilis categorematicè, aût ſyncategorematicè infinita. Min. quoâd prim. part. conſtat; quià capacitas ad formam categorematicé infinitam non replétur, niſi per formâ infinitam: & capacitas creaturæ per formam finitâ repletur. Prob. quoâd ſecund.: repugnat in ſubiecto capacitas ad formam, quæ in ipſo eſt irreceptibilis; sèd forma ſyncategorematicé infinita eſt irreceptibilis in ſubiecto, cuius capacitas eſt finita: ergó &c. Prob. min.: iuxtà contrarios, forma ſyncategorematicè infinita néc unica productione, nec pluribus eſt ſucceſsivé producibilis; cúm ſemper reſtet alius, ir-

& alius gradus ſinè fine producibilis; séd forma improducibilis eſt irreceptibilis in ſubiecto creato: ergò &c.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

13 Arguitur 1.: data qualibet intenſione gratiæ in creatura viatrice, hæc poſſet benè moralitèr operari operatione Deo acceptabili: ergó per hanc operationem mereretur novam gratiam; & per conſequens gratia quamtumvis maxima eſt augmentabilis in viatore: ergò caſu, quo Deus crearet de potentia abſoluta creaturam in æternum duraturam, & permanentem in ſtatu viæ, hæc per novos actus augeret gratiam uſqué in infinitum; & conſequentér hęc non repugnat ſic augeri. Confirmatur: dilectio amicabilis Dei ergá creaturam non habet terminum; sèd gratia habitualis eſt terminus dilectionis amicabilis Dei: ergó &c.

14 Reſpondeo ad argumentum, conceſſo antec., diſtinguendo primum conſequens: ergó per hanc operationem mereretur novam gratiam ſibi, aút aliis, conc. conſeq.: præcisè ſibi, ſubdiſtinguo: ſi totam poſsibilem habet, nego conſeq.: ſi eam non habet, conc. conſeq.. Ipſimet adverſarii teneatur ſolvere argumentum. Nàm, ſi Deus créaret gratiam actú infinitam, & eam conferret alicui creaturæ viatrici, hæc cum tali gratia poſſet benè moralitèr operari, & mereri augmentum gratiæ; séd non ſibi, quià habet infinitam, séd aliis. Hoc etiâm fateri tenentur in Chriſto Domino; quia in primo inſtanti ſuæ conceptionis habuit ſummam gratiam ſibi poſsibilem: ergó non potuit ſibi mereri ulteriorem gratiam habitualem; meruit ergò pro aliis. Hoc eodem modo reſpondetur ad minorem ſubſumptam.

15 Ad confirmationem diſtinguo mai.: dilectio amicabilis Dei non habet terminum reſpectu Dei, conc. maiorem: reſpectu creaturæ, nego mai.; & diſtinguo min.; sed gratia habitualis propria, vèl pro aliis, eſt terminus dilectionis amicabilis Dei, conc. min.: séd gratia habitualis præcisè propria eſt terminus &c., nego min., & conſeq.. Itaque falſum eſt, quod terminus dilectionis amicabilis Dei ſit ſempèr collatio habitualis gratię dilecto; nàm, ſi habet ſibi poſsibilem, ùt ab inſtanti conceptionis habuit Chriſtus Dominus, túnc terminus dilectionis amicabilis Dei erit vèl gratia actualis auxilians, vél gratia habitualis promerita ab ipſo pro aliis: vèl erunt alia dona ſupernа,

Ar-

16 Arguitur 2.: in tantùm repugnaret gratia intensibilis in infinitum, quia tùnc esset possibilis gratia actú infinitè intensa; sed hoc non sequitur: ergó &c. Prob. min.: ex hoc solùm sequitur, quòd sine fine gradibus finitis gratiæ posset addi ulterior gradus finitus; séd finitum additum finito non facit infinitum: ergó ex quo sine fine addatur ulterior gradus, non sequitur actualis infinita intensio. Respondeo negando min.: ad probationem distinguo mai.: unicè sequitur, quòd gradibus finitis possit addi sine fine ulterior gradus finitus à numerante finitè, omitto mai.: à numerante infinitè, & infinite potente eos producere, nego mai.. Solutio satis constat ex probationibus conclusionis.

17 Replicabis: ergò solùm sequitur actualis infinita intensio, quia à Deò simúl cognoscente omnes possibiles gradus gratiæ, possent isti produci simúl in eodem subiecto: ergò, si gratiæ quamtumvis maximè unicè addatur unus determinatus gradus gratiæ, hæc non evadit infinitè intensa: ergó gratia non habet terminum intrinsecum magnitudinis. Prob. hæc consequ.: illa gratia quantumvis maxima erit summa possibilis, & quæ pervenit ad terminum intrinsecum magnitudinis, séd, si huic addatur unus gradus determinatus non evadet infinitè intensa: ergò non est, cúr hoc possibile negemus: ergó, dúm hæc gratia est in termino magnitudinis, ipsum non habet, quod repugnat.

18 Resp., quòd hæc repugnantia, quam infert replica, est ipsius solutio; nàm, si gratia supponitur summa possibilis, út supponitur in secunda consequentia replicæ, includit omnem possibilem gradum gratiæ; aliàs non esset summa possibilis: ergò implicat in terminis, quòd ei possit addi novus gradus. Undè ratio, cúr non potest àddi aliquis novus gradus determinatus, non est, quia sic esset intensibilis in infinitum, & posset dari infinita actualis intensio; sèd est, quiá omnem possibilem gratiam includit, & sic ei ulterior gradus repugnat: sicùt unioni hypostaticæ novus gradus perfectionis in ratione doni repugnat advenire, hoc ipso, quod summa possibilis in ratione doni supponatur.

19 Arguitur 3.: si gratiæ habituali repugnaret augmentum usquè in infinitum, vél esset ex conceptu gratiæ; vèl ratione suæ causæ efficientis: vèl demúm ratione potentiæ receptivæ talis gratiæ; séd ex nullo ex his capitibus repugnat gratiæ augeri usquè in infinitum: ergò.

Probatur minor quoàd primam partem : gratia ex conceptu ſuo ſpecifico eſt formalis participatio naturæ divinę : & hæc eſt participabilis ſine termino : ergò &c. Prob. eadem min. quoàd ſecundam part.: cauſa efficiens gratię eſt virtus infinita Dei, quæ non habet terminum : ergò non repugnat ex cauſa efficiente. Prob. demùm quoàd tertiam partem: potentia, quam reſpicit gratia, eſt obedientialis ; sèd hæc non habet terminum in recipiendo; cùm conſiſtat in capacitate ad omnia : ergó &c.

20 Reſp. negando min.: ad probat. primæ partis, omiſſo ſuppoſito falſo in noſtris principijs, nego conſeq. ; quià ex eo, quod gratia ſit participatio Dei probavimus quęſt. antec. , concluſ. 1., gratiam non eſſe ſimpliciter infinitam ; quiá, ſi eſt participatio Dei, neceſsè eſt, quòd ſecundùm aliquem gradum determinatum capiat partem infinitæ perfectionis, ità ùt non participet infinitam ; cùm ſit determinata perfectio. Ad ſecundam probation. diſt. ant. : cauſa efficiens gratiæ eſt virtus infinita Dei *infinitè agens*, nego antec. : virtus infinita Dei, *non infinitè agens ex parte termini*, conc. antec.. Imò, ſi probatio tenet, probat, gratiam evadere actù infinitam, quod nolunt concedere contrarij. Verum eſt, quòd Deus efficiens gratiam ex modo efficiendi infinitè ſe habet ; cùm producat ex nihilo ; àt ex termino facto, hoc eſt, gratia, finito modo ſe gerit ; cùm evadat finitus. Ad tertiam prob. patet falſitas minoris ex ultima probatione huius concluſionis poſita num. 12. hujus. Vide ibi.

21 Arguitur 4. : quantitas poteſt augeri uſque in infinitum : ergò & qualitas. Antec. patet in numeris. Aliqui Scotiſtæ concedunt antec. , & negant paritatem. Diſparitas eſt ; quià una pars quantitatis non eſt perfectio entitativa alterius ; àt una pars qualitatis perficitur in intenſione per aliam ; undè hic ex infinitate in potentia ſequitur infinitas in actu ; ſecùs verò ex infinitate quantitatis in potentia. Alij diſtinguùnt de quantitate : diſcreta, & ſucceſsiva, út eſt motus, & tempus; & iſta néc de potentia Dei poteſt habere omnes ſuas partes ſimùl, sèd ſem, é debent reſtare alię, & aliæ in potentia producibiles, & de iſta concedunt antec., & negant conſeq. Alia eſt quantitas permanens, & continua, ùt linea, corpus &c.; & de hac negant antec., quià non poteſt eſſe infinita in potentia, & neceſſariò debet habere terminum, qui ſit *maximum quod ſic*, non minùs, ac

qua

qualitas; quià nęc quantitas poteſt à Deo ſimul produci una productione, cùm non includat ſucceſsionem, & partes non habeant incompoſibilitatem.

22 Sanè hęc ſolutio eſt N. Subt. Doct. cit. quæſt. 4. ſub num. 2. ubi reſpondens replicæ de poſsibilitate infiniti ſyncategorematici in numeris, ſic reſpondet: „ Reſpondetur ſecundùm „ Averroem, quòd appoſitio in „ numeris eſt ſecundùm diviſio„ nem continui: in diviſione autèm „ continui proceditur ad mate„ riam, & per conſequens nu„ meri creſcunt ex proceſſu ad „ materiam: sèd continùm creſ„ cit, & augetur eundo ad for„ mam: in proceſſu autém ad „ formam neceſſe eſt, eſſe ſta„ tum; non autèm in proceſſu „ ad materiam: & ideo in quan„ titate continui eſt ſtatus in ma„ ius, non autem in multitudi„ ne numerorum, ſicùt nèc in „ diviſione continui in minùs. Hęc Doct. in quibus clarè continetur ſolutio argumenti, quin egeat ulteriori explicatione.

23 Arguitur deniquè: noſtra concluſio videtur damnata in Concilio Conſtancienſi ſeſ. 15.: ergò non eſt tenenda. Probatur antec.: ibi damnatus fuit Ioannes Hus, quia docebat, Deum non poſſe producere alia præter ea, quę de facto produxit; séd hoc idem docet noſtra concluſio: ergó &c. Reſpondeo negando antec., & minorem probationis. Ratio eſt; quià, út tenet noſter Alphonſ. de Caſt. lib. 7. contrà hęreſes, quòd docebat Ioann. Huſ, erat, Deum non poſſe condere alia, præter ea, quę condidit, quià iudicabat, Deum operari neceſſariò. Nos autém dicimus, Deum ad extrà liberè operari, & poſſe producere alia, & alia plura individua prætér condita; negamus tamèn, poſſe producere ſpecies perfectiores, & perfectiores uſquè in infinitum.

QUÆSTIO IV.

An gratia habitualis Chriſti D. fuerit ſumma negativè?

1 Ex dictis duabus quęſtionibus antec. brevitér ab hac quæſt. expediemur. Probavimus enim quæſt. 1., gratiam habitualem collatam Chriſto Domino ſub nulla ratione ipſius eſſe infinitam categorematicè, aùt in actu. In antec. autèm vidimus, néc eſſe infinitam ſyncategorematicè, aùt in potentia. Ex alia etiàm parte certum eſt, quód Chriſto Domino collata fuit gratia maior, quàm omnibus juſtis, ſivè hominibus, ſivé Angelis; quinimò, etſi horum, & illorum gratia collectivè ſumatur,

adhúc ſupèrexcederet gratia Chriſto Domino collata. Quærimus igitur meritó modò, quanta gratia hæc fuerit: an fuerit ſumma negativè? Pro cujus reſolutione nota, quid ſit ſummum negativé; nàm ex dictis num. 2. quæſt. 2. eſt illud, quod in aliqua linea, in qua eſt tale, nequit excedi exceſſu formali, licét in tali linea admittat æqualæ. Hoc admiſſo, ſit

2 Concluſio: gratia collata humanitati Chriſti Domini ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit ſumma negativè. Hæc concluſio eſt expreſſa N. Doct. in 3. diſt. 13. quæſt. 4. num. 2. & 5. Prob. 1. ratione ipſius: poſsibilis eſt gratia ſumma negativè, ſeú qua maior eſſe non poteſt, licét poſsit eſſe æqualis; sêd ea admiſſa, nequit non aſſeri, quòd fuerit collata animæ Chriſti ab inſtanti ſuæ conceptionis: ergò ità aſſerendum eſt. Maior diſcurſus, præterquamquòd eſt expreſſa Doctoris a num. 2. cit., probata manet in concluſione quæſtionis antec. Minor diſcurſus probatur ab ipſomet Doct. illá piiſsimà maximá: *in commendando enim „Chriſtum*, malo excedere, quàm „deficere à laude ſibi debita, ſi „propter ignorantiam oporteat in „alterum incidere: quòdquè confirmat authoritate Auguſt. lib. 3. *de lib. arb.*; *Videtur autèm ſimplicitèr melius ſecundùm rectam rationem ſummam gratiam eſſe alicui collatam*, (hoc eſt animæ Chriſti) *quàm non eſſe collatam.* Hæc Doct.

3 Probatur 2. concluſio ratione: Deus de facto contulit animæ Chriſti tantam gratiam gratis datam, quantam potuit de potentia abſoluta ipſi concédere; sèd hoc ipſo contulit ipſi gratiam habitualem ſummam negativé: ergo ità contulit. Mai. conſt.; unio enim hypoſtatica in ratione doni eſt ſumma gratia negativè ſubſtantialis, radicativa cæterarum gratiarum collatarum animæ Chriſti, & conſequentêr gratiæ habitualis; ex quo probatur min.: ſi gratia habitualis radicatur in gratia unionis, & hæc eſt ſumma negative, ſequitur, quòd gratia habitualis debet proportionari cum ipſa, & conſequentèr eſſe ità ſumma, ùt alia maior non ſit poſsibilis; sèd hoc eſt eſſe ſummam negativè: ergò eſt. Confirmatur: Deus de facto manifeſtavit ſummam ſuam liberalitatem, & amorem ergà Chriſtum Dominum conferendo ei ſummum donum, ſcilicèt, unionem hypoſtaticam, quo maius nequit intelligi: ergó & manifeſtavit ſuam ſummam liberalitatem, conferendo ei ſummam gratiam habitualem poſsibilem.

Pro-

4 Probatur tandèm conclusio ab inconvenienti : Christus de facto, in communi Theologorum, non meruit sibi gratiam habitualem, & gloriam, séd eam habuit sinè meritis ab instanti suæ conceptionis : ergò talis gratia fuit summa negativè. Prob. hæc conseq. : si non fuit summa negativè, potuit augeri, & esse maior ; sèd hoc ipso sibi meruisset gratiam habitualem, & gloriam : ergò &c. Mai. const. ex definitione summi negativi. Min. prob. : opera meritoria Christi Dom'ni elicita ex gratia non sunt pejoris conditionis, ac opera aliorum justorum : & ipse Christus, etsi comprehensor, erat simul viator : ergò, si non habebat omnem gratiam possibilem, per ejus opera poterat mereri, & mereretur augmentum gratiæ ; quod est contrà communem Theologorum. In præsenti nullum se offert argumentum objiciendum, & solvendum, quod propositum, & solutum non sit in quæstionibus antecedentibus.

DISP.

DISPUTAT. IV.

DE SANCTITATE

FORMALI CHRISTI DOMINI.

Quamvis huius diſputationis difficultates ſub uno titulo, & quæſt. proponi ſoleant à Theologis, *per quid, ſcilicèt, ſanctificetur formalitèr humanitas Chriſti Domini*? Quià tamèn ſunt varii modi dicendi intèr Theologos, ideò, ùt claritate poſsibili procedam, confuſionemquè vitem, mihi placuit, præfatam difficultatem, & diſputationem per varias quæſt. ſecare. Et primò aliorum placita impugnare conabor; tandem meam ſententiam proponam, & authoritatibus, rationibuſquè pro viribus ſtabiliam. Sèd per priùs aliqua notabilia proponam.

QUÆST. I.

Proponuntur aliqua notabilia pro intelligentia dicendorum.

1 SUppono 1., difficultatem de ſanctitate Chriſti D.nō procedere de Chriſto, proùt eſt quoddam ineffabile compoſitum ex divinitate, & humanitate unitis in unitate Perſonę; nam proùt ſic certum eſt, Chriſtum conſtitui ſanctum ſanctitate increata ſubſtantiali divinitatis, ſicût de fide eſt, eſſe formà-

malitèr Deum Deitate ; procedit ergò de Chriſto , *ùt homo* , ùt homine, reduplicativè; & hoc non proùt ly *homo* ſignificat concretum perſonale ; quià, cùm ſic particula *ut* reduplicet ſuprá Perſonam Divini Verbi, quæ eſt ſancta ſanctitate ſubſtantiali divinitatis, etiam Chriſtus , út homo, ſic ſumptus eſt ſanctus tali ſanctitate. Reduplicat ergo ly *ùt* tantùm ſuprà concretum ſingulare hominis. Undè ſenſus difficultatis eſt: *per quid natura humana , vèl Chriſti Domini humanitas, quę non eſt formalitèr Deus , nèc Verbum, ſanctificetur formalitèr?*

2 Suppono 2. cùm ferè omnibus Scotiſtis , quòd in Chriſto Domino debet diſtingui quadruplex ſanctitas. Prima eſt neceſſaria, ſubſtantialis, & infinita, reſpiciens per ſe primò perſonam Chriſti , ùt primum , & ultimum terminum. Et eſt dilectio , & gratitudo illa , qua Pater Æternus Chriſtum ùt Unigenitum ſuum diligit eadem dilectione naturali, neceſſaria , infinita , qua ſe ipſum infinitè diligit , ob unitatem naturæ cum ipſo. Secunda eſt etiam ſanctitas ſubſtantialis , & infinita perſonalis , quæ terminatur ad aliquid finitum, ſcilicèt , humanitatem Chriſti ; & hæc ſanctitas non eſt neceſſaria , ſicût prima , sèd libera. Et eſt dilectio libera , quiá merè liberè decrevit Deus eſſe perſonale Verbi uniri humanitati aſſumptæ.

3 Tertia ſanctitas eſt, quæ conſtituit ſubiectum dignum honore, reverentia , cultu, & adorarione : talis eſt , quæ reperitur in reliquiis Sanctorum , veſtibus ſacris , &c. Hac ſanctitate conſtituitur Chriſti humanitas ſancta ratione unionis ad Perſonam divini Verbi ; nam vi talis unionis conſtituitur humanitas obiectum dignum ſuprema adoratione *Latriæ*, qua ipſum Verbum eſt dignum. Hac etiám ſanctitate conſtitueretur ſancta quævis alia natura, ſivè inſenſibilis , ſivè irrationalis, ſi aſſumpta fuiſſet á Verbo. Et hac fuit ſanctum corpus Chriſti D. in triduo mortis ; cùm in tali triduô unitum perſeveraret Verbo. Ex quo ſequitur , quód hæc ſanctitas non conſtituit obiectum dignum ſummo amore in ordine ad beatitudinem , & æternam hæreditatem ; cùm reperiri valeat in ſubiecto incapaci ipſius, ût in corpore, & in natura irrationali.

4 Quarta tandém ſanctitas eſt formalis , & intrinſeca, proveniens à forma intrinſecè recepta in anima , illam renovante , & elevante ad eſſe divinum , Filium Dei adoptivum, hæredem glorię &c. Hęc eſt gratia habitualis; quæquè partim convenit cum ſanctitate orta à gratia

tia unionis, & partim differt. Convenit; quià utraquè est liberalis, & gratuitus effectus dilectionis Dei. Differt primò; quiá sanctitas orta à gratia unionis est substantialis; nàm per ipsam communicatur humanitati esse substantiale personale Verbi Divini; sanctitas verò gratiæ habitualis est accidentalis. Differt secundò; quià illa est tantùm personalis, non formalis; cùm Persona Divini Verbi solùm per modum termini, & non per modum formę sit unita humanitati; sanctitas verò gratiæ habitualis est formalis elevans per modum formæ animam ad esse divinum. Differt tertiò; quiá gratia unionis ex sua ratione formali non reddit naturam Deo gratam in ordine ad supernaturalia dona; ùt patet casu, quo Persona Verbi assumeret naturam insensibilem, aùt irrationalem; é contrà verò gratia habitualis.

5 Ex his ergò sanctitatibus disputatio prę sens non procedit de tribus primis; nàm prima, quá Pater Æternus diligit Christum D. út Filium suùm unigenitum, & naturalem, non respicit Christum, ùt hominem; sèd út Verbum ęternalitèr genitum. Nèc de secunda; quià hęc sanctitas etiàm reperiretur in natura irrationali, si assumpta esset à Verbo; nàm tùnc casus esse personale Verbi esset communicatum tali naturæ; quaquè ratione nèc loquimur in præsenti de tertia sanctitate. Undè unicè difficultas est de ultima sanctitate: per quid, scilicèt, humanitas Christi D. de facto constituatur formalitèr sancta, Dei amica, & accepta, cùm iure proximo in ordine ad beatitudinem, & cætera supernaturalia dona?

6 Suppono 3., quòd sanctitas in ordine ad beatitudinem est duplex; una radicalis, remota, dispositiva, in actu primò, & de congruo; & est, qua subiectum constituitur radicalicatèr, dispositivè, Deo gratum, & acceptum cùm iure tantùm radicali decentię, & congruentiæ ad acceptationem in ordine ad beatitudinem, & alia dona supernaturalia. Altera est formalis in actu secundo, qua subiectum constituitur formalitèr in actu secundò obiectum divinæ dilectionis acceptantis ad gloriam, & hæreditatem; seú constituitur formalitèr obiectum Deo gratum, & acceptum cùm iure proximo, & formali ad beatitudinem. De prima sanctitate non quærimus à quo proveniat; nàm certum est, gratiam unionis constituere humanitatem Christi D. Sanctam radicalitèr, remotè, & dispositivè in actu primo.. An verò fecerit sic ipsam sanctam formalitèr, & in actu secundo, est difficultas. Sèd antè resolutionem

7 Suppono ultimò, cùm omnibus Thomistis, & Scot. non dari, nèc possibilem esse sanctitatem corpoream, qua corpus Christi D., & eius sanctissima caro constituatur formalitèr sancta, & obiectum congruùm divinę dilectionis, & expellat peccatum, quo creatura rationalis redditur obiectum divinę indignationis. Hæc suppositio est contra P. Saavedram, & aliquos modernos. Probat. efficacitèr: ideò corpus humanum esset capax talis sanctitatis, quià est capax communicationis substantialis divinitatis; sèd hæc ratio non probat: ergò. Prob. min.: hæc communicatio substantialis divinitatis fuit in corpore Christi D. in triduo mortis separato realitèr ab anima; séd in sensu composito istius separationis, corpus Christi D. nèc ratione dictæ communicationis, nèc Personæ Verbi ipsi unitæ, fuit obiectum congruùm divinę dilectionis, & aliorum donorum supernaturalium: ergò &c.

8 Confirmatur: illa communicatio substantialis Deitatis vi hypostaticæ unionis non est sufficiens, út corpus Christi D. sit propriè beatum, & capax propriæ, & formalis beatitudinis: ergò nèc erit sufficiens, ùt sit propriè sanctum, & capax sanctitatis. Antec. pro núnc supponitur: probatur conseq.: non minùs propriè est natura divina formalis sanctitas, quàm est summum bonum beans; nèc minùs proprié est unio hypostatica communicatio substantialis naturæ divinæ, ác est possessio substantialis summi boni beatifici; séd, hoc non obstante, nequit tribuere corpori Christi Domini beatitudinem; ergò nèc poterit tribuere sanctitatem formalem. De hoc in sequentibus quæstionibus reddibit sermo.

9 Sèd núnc moneo vos, quòd præ oculis sempèr habeatis doctrinam huius ultimi notabilis; quià ex illa habetur efficax argumentum ad hominem contrà Thomistas, & RR. nóbis oppositos, & forsàn contrà plures Scotistas in quęstionibus sequentibus. Omnes enim isti nequeunt admittere beatitudinem formalem substantialem, tàm animæ, quàm corporis Christi D., præstitam ab unione hypostatica, aût ab aliquo alio divino prædicato: & ex alia parte tuentur sanctificationem substantialem humanitatis Christi, provenientem formalitèr, vèl a natura divina, vèl à personalitate Verbi divini sub expresso conceptu personalitatis; vèl ab unione hypostatica sub ratione unionis. An ergó consequentèr procedant? in quęstionibus sequentibus videbimus.

His ergò ſuppoſitis, & notatis, neceſſe eſt, út deſcendamus ad proponendas,& confutandas ſententias Contrariorum, quæ in hoc puncto verſantur. Sit ergò

QUÆST. II.

An humanitas Chriſti D. ſanctificetur formalitèr à natura divina, aùt Perſona Verbi?

1 COmmunis Thomiſtarum ſententia, quamvis fateatur humanitatem Chriſti D. eſſe ſanctam formalitèr per gratiam habitualem, docet tamén, quód præciſivé à gratia habituali eſt ſancta ſanctitate excellentiori, & ſubſtantiali proveniente ab aliquo prædicato divino; undè iſtam ſanctitatem vocant increatam. Sunt tamen poſteà intèr ſe diviſi in aſsignando hoc prędicato divino, medio quo humanitas Chriſti D. ſanctificatur ſanctitate ſubſtantiali, & increata. Aliqui enim dicunt, huiuſmodi prædicatum eſſe divinitatem, ſeù naturam divinam tantûm. Sic Salmanticenſes, Godoy, & Gonet. Alii tenent, eſſe ſanctam formalitèr pér perſonalitatem Verbi Divini. Sic aliqui Thomiſtę, cûm R.R. Jeſuitis. Alii tandém docent, humanitatem Chriſti D. eſſe formalitèr ſubſtantialitèr ſanctam pér ipſammet unionem hypoſtaticam; & hoc phyſicè, & ex natura rei. Sic quàm plures Ieſuitæ. Hic nos agemus contrà duas primas ſententias per duplicem concluſionem. Sit ergó

PRIMA CONCLUSIO.

2 Divinitas, ſeù natura divina, ût virtualitér, aût formaliter diſtincta à perſonalitate Verbi non ſanctificat formalitèr Humanitatem Chriſti. Eſt omnium Scotiſtarum, plurium Thomiſtarum, & Ieſuit., contrà Thomiſt. cit.. Prob. primò concluſio ex Ang. Præcept. in 3. part. quæſt. 7. art. 1. *ad primum argumentum*, intendens probare, in anima Chriſti non fuiſſe gratiam habitualem, quia gratia eſt quędam participatio divinitatis in creatura rationali: Chriſtus autêm eſt Deus non participativê &c. Huic ergò argumento ſic reſpondet Ang. Prącept. „ ad „ primum dicendum, quòd Chriſ„ tus eſt verus Deus ſecundûm „ Perſonam, & Naturam divi„ nam; sèd, quià cûm unita„ te perſorę remanet diſtinctio „ naturarum, anima Chriſti non „ eſt per ſuam eſſentiam divina; „ undê oportet, quód fiat divi„ na per participationem, quæ eſt

„ eſt ſecundùm gratiam. Hæc Angelicus Præceptor, ubi notandum eſt, quòd ly *quod fiat divina*, intelligitur, quòd fiat ſancta; aliàs eius reſponſio non eſſet ad intentum. Ex quibus

3 Probatur concluſio: non eſt poſsibilis ſanctitas, niſi per eſſentiam, vèl per participationem; sêd humanitas Chriſti nequit fieri ſancta ſanctitate increata per eſſentiam: ergó neceſſariò fit ſancta per participationem, quæ eſt ſecundùm gratiam. Mai. colligitur ex Ang. Doct. in verbis allegatis, in quibus hanc duplicem ſanctitatem diſtinguit. Prob. min.: quod eſt ſanctum per eſſentiam, eſt ſanctum per identitatem cùm ſanctitate; ſicùt quòd eſt ſanctum per participationem, eſt ſanctum per participationem ſanctitatis per eſſentiam, à quaquè infinité diſtat; sed anima Chriſti non poteſt eſſe ſancta per identitatem cum ſanctitate per eſſentiam: ergò debet eſſe ſancta per participationem ſanctitatis per eſſentiam, quę juxtá Angel. Præcept. eſt ſecundùm gratiam: ergò non eſt ſancta per divinitatem.

4 Prob. 2. concluſio: út Deitas ratione ſui ſanctificaret formalitèr Chriſti humanitatem, deberet eſſe ratione ſui formalitèr ſanctitas formalis; sêd non eſt: ergò &c. Mai. conſtat; quià nulla forma, vél quaſi forma tribuit ſubjecto effectum formalem, quem in ſe formalitèr non continet. Probatur min.: Deus non conſtituitur formalitèr Sanctus ratione ſuæ Deitatis, séd ratione ſuæ ſanctitatis formalis; ſeû amore, quo ſe ipſum infinité amat: ergó Deitas non eſt formalis &c. Prob. antec. his exemplis: Divinitas non excludit formalitèr errorem, aùt mendacium, séd hoc facit media ſapientia formali, formaliquè veracitate, quę ſunt attributa ipſiuſmet eſſentiæ divinæ, vèl formalitèr, vèl virtualitèr ab ipſa diſtincta: ergò á pari Deus non eſt formalitèr Sanctus per ipſammet naturam divinam, tamquàm per rationem formalem ſanctitatis, sèd per ipſammet ſanctitatem formalem, quæ eſt attributum ipſiuſmet naturæ divinæ.

5 Probatur 3. concluſio: ſi natura divina ratione ſui ſanctificaret formalitèr Chriſti Domini Humanitatem, ſequeretur, quòd tres divinæ Perſonæ ſanctificarent formalitèr Chriſti Domini Humanitatem; sèd hoc non concedunt adverſarii: ergò quiá non eſt talis ratio formalis. Prob. ſequela maioris: quod convenit naturæ divinæ ratione ſui, aùt Deo ratione divinæ naturæ, indiviſim convenit tribus divinis Perſonis: ergó, ſi Deitas ratio-

ne sui formaliter sanctificat Humanitatem Christi Domini, etiam Trinitas formaliter sanctificat ipsam. Antec. est certum; cùm sit eadem numero natura in tribus Personis: hac enim ratione dicitur, quòd tota Trinitas est Omnipotens, sapiens, bona, &c.; quià Deo ratione naturę convenit esse Omnipotentem, sapientem, &c.

6 Respondent primò, verum esse, quòd prędicata, quæ ratione sui, & primariò conveniunt naturæ, conveniunt toti Trinitati; non verò prædicata, quæ secundariò, & ratione alterius, hoc est, ratione alicuius personalitatis, aùt quę appropriata sunt alicui Personę, conveniunt toti Trinitati. Sic natura, proùt in Patre, constituit Deum Patrem; & proùt in Filio, non constituit Deum Patrem; cùm enim Natura divina sanctificet humanitatem, non primariò, & ratione sui, sèd proùt in Filio, & ratione filiationis, seú personalitatis Verbi, ad quam primariò est terminata unio humanitatis; hinc est, quòd est falsa sequela maioris. Verùm hæc solutio non facit pro Thomistis asserentibus, Naturam divinam secundùm se, & præcisivé à Personalitate Verbi, sanctificare formaliter Christi Domini humanitatem; contrà quos in præsenti agimus. Undè aliter Salmaticenses.

7 Respondent, Divinitatem sanctificare humanitatem ratione Personalitatis Verbi, non tamquàm per rationem formalem sanctificandi; cùm divinitas ipsa sanctificet ùt *quo*; sèd ratione personalitatis, ùt determinantis, & applicantis naturam divinam ad humanitatem; ad quodqué non exigitur, quòd personalitas sit sanctitas formalis. Contrà: ergò, juxtà hanc solutionem, Divinitas de facto ratione sui, & ùt principium *quo* sanctificandi, sanctificat formaliter humanitatem, etsi ût applicata per Verbi personalitatem: ergò tota Trinitas sanctificat formaliter, & immediatè humanitatem. Prob. hæc conseq. â pari: juxtà contrarios, si de facto divinitas applicata per Verbi personalitatem immediatè, & proxime terminaret humanitatem assumptam, tota Trinitas illam terminaret: ergó similiter quoad sanctitatem. Antec. conceditur ab ipsis: prob. conseq.: ideò primum est verum, quià natura divina, suaqué absoluta subsistentia, est communis tribus divinis Personis; sèd æquè communis est ipsis sanctitas substantialis naturæ divinæ: ergó, sicút natura divina applicata per Verbi personalitatem si de facto terminaret immediatè humanitatem, tota Trinitas terminaret; sic similiter, si sic sanctificaret, tota Trinitas sanctificaret.

Con-

8 Contrà secundò, & est confirmatio nostræ conclusionis: divinitas de facto non est immediatè unita humanitati, sèd media Verbi personalitate; sèd quod non est immediatê unitum subjecto, nequit ipsum formalitèr sanctificare: ergò divinitas &c. Negant Thomistę min., cuius falsitas, inquiunt, patet in his exemplis: calor recipitur in subjecto corporeo, media quantitate; & tamèn ipsum reddit formalitèr calidum: gratia, media voluntate, recipitur in anima: intellectio, medio intellectu; & tamén gratia sanctificat animam; & intellectio eam constituit intelligentem: ergô á pari, etsi divinitas non uniatur immediatè, séd mediaté humanitati Christi, poterit tamèn eam reddere formalitér sanctam.

9 Séd contrà; quià hæc exempla non ostendunt falsitatem minoris, néc sunt ad rem: ergò nulla est solutio. Prob. antec.: etsi calor media quantitate recipiatur in materia, tamèn immediatè *út quod* recipitur in ipsa maetria, & ei immdiatè unitur *ùt quod* receptivum ipsius; quia quantitas non mediat, ùt recipiens *quod*, sèd ùt *quo*; sicút superficies respectu albedinis immediatè acceptæ in pariete; ideoquè, sicút albedo denominat immediatè parietem album, sic calor denominat materiam immediatè calidam. Núnc sic; séd, juxta Thomistas, Deitas nèc ùt *quo*, néc ùt *quod* unitur de facto humanitati immediatè: ergò eorum exempla non sunt ad rem. Eodem modo respondetur exemplo gratię, & intellectionis.

10 Probatur tandém conclusio: iuxta Contrarios, Deitas sanctificando humanitatem, simplicitêr, & infinitè substantialitér eam sanctificat; sèd, si hoc est verum, sequitur, vel quód gratia habitualis non sanctificet formalitèr humanitatem Christi, quod est contrà ipsos: vèl si sanctificat, Christus D. erit absolutè magis sanctus, quàm quęlibet diuina Persona, quod est absurdum: ergò quiá Deitas non sanctificat &c. Sequela minoris constat; quià ex una parte humanitas haberet à Deitate sanctitatem substantialem increatam simpliciter infinitam, quamque habet quælibet divina Persona: & ex alia parte haberet sanctitatem correspondentem gratiæ habituali ipsam formalitèr sanctificanti, quæqué non convenit divinis Personis. Argumenta præcipua contrà hanc, & sequentem conclusionem proponentur, & solventur in quęst. ultim. huius disputationis; nùnc verò speciatim

11 Dices primò: Deitas ratione sui est sanctitas, constituens Verbum divinum formalitèr sanctum; ergó & sanctificans

formalitér humanitatem Chriſti. Prob. ant. : ab illo ſanctificatur formalitér Verbum, à quo habet primam radicem beatitudinis; sèd hanc habet formalitér à Deitate : ergó &c. Prob. mai. : cò ſola gratia habitualis , & non cęteri habitus ſupernaturales, ſanctificat formalitèr, quià gratia habitualis eſt prima radix impeccabilitatis , & beatitudinis: ergò &c. Reſp. negando antec., & mai. probationis ; nàm ſicùt, út Verbum divinum ſit ſapiens formalitèr , requiritur prætér id, quod eſt prima radix excluſiva erroris, alia formalitas , quæ ſit perfectiva divini intellectus , & quæ formaliter excludat errorrem, ſcilicét , ſapientia pro formali ; ſic quià impuritas, & labes formaliter deturpant voluntatem, requiritur ſanctitas formalis voluntatem rectificans , & ab ea formalitèr excludens maculam, & impuritatem.

12 Dices 2.: Natura divina eſt intimè , & immediaté communicata humanitati : & eſt potens tribuere effectum formalem ſanctitatis humanitati, quęquè eſt capax huius effectus: ergò ipſam ſanctificat formalitèr. Antec. quoàd prim. part. conſtat; quiâ divinitas immediaté unitur humanitati immediatione terminationis : quoad ſecundam etiam patet; quià Natura divina eſt infinitè ſancta: et etiam quoàd tertiam. Confirmatur : potentior eſt natura divina in ſe phyſicé conſiderata ad ſanctificandum , quàm natura divina *participativè* ſumpta, hoc eſt, per gratiam habitualem ; sed hęc in noſtris principiis ſanctificat formalitér: ergò potiori jure ſanctificabit natura divina in ſe phyſicé conſiderata.

13 Reſpond. , negando antec. quoàd ſecundam , & tertiam partem. Natura enim divina intimé communicata humanitati non communicatur ipſi immediaté , séd media perſonalitate Verbi , ùt diximus tract. 1. huius. Diſp. 3. quæſt. 1. à num. 2. Deindè , non eſt capax tribuendi humanitati effectum formalis ſanctitatis , de qua hic loquimur ; séd ad ſummum ſanctitatem conſecrationis in ordine ad cultum , ùt diximus quæſt. 1. huius , num. 3. Nec tandèm humanitas eſt capax ſanctitatis increatæ ; quià hæc eſt propria ipſius Dei. Per hoc patet ad confirmationem , cuius maior ſic diſtinguitur : potentior eſt Natura divina in ſe phyſicè conſiderata ad ſanctificandam humanitatem , *ſanctitate de linea conſecrationis* , conc. mai. : *ſanctitate in ordine ad beatitudinem , & æternam hereditatem* , nego maiorem ; & conceſſa min. , nego con-

conſeq.. Vidè dicta in notabilibus.

SECUNDA CONCLUSIO.

14 Humanitas Chriſti Domini non ſanctificatur formalitèr in ordine ad beatitudinem per perſonalitatem Verbi divini ſub expreſſo conceptu perſonalitatis. Eſt contrà plures Thomiſtas, & etiàm contrà plures R. R. Prob. 1. concluſio: forma, quæ non eſt ſanctitas formalitèr, non poteſt unita humanitati, ipſam formalitér ſanctificare; séd perſonalitas divini Verbi ſub expreſſo conceptu perſonalitatis non eſt ſanctitas formalitér: ergò &c. Maior eſt nota; probatur min.: perſonalitas Verbi divini ſub expreſſo conceptu perſonalitatis non eſt formalitèr bona, nèc formalitér perfecta, ùt communitèr tenent tàm Thomiſtæ, quàm Scotiſtæ in tract. de Trinitate; séd ſanctitas formalis eſt formalitèr perfecta, & bona; cùm conſtituat ſubjectum, quod ſanctificat, objectum amoris divini, & amabile amore amicabili in ordine ad beatitudinem: ergò perſonalitas Verbi &c.

15 Confirmatur: ſi perſonalitas Verbi, út talis, eſſet ſanctitas formalis, ſanctificaret formalitér ipſum Verbum; cùm forma communicata ſubjecto communicet ipſi neceſſariò ſuum effectum formalem, ſi eſt capax ipſius; sèd ſequela eſt falſa: ergò. Prob. min.; quià tùnc redderet naturam divinam ſanctam; séd hoc implicat: ergò &c. Prob. min. primò; quià ipſa natura divina eſt ſumma ſanctitas. Secundò; quià, ſi perſonalitas ſanctificaret Naturam divinam, eſſet radix beatitudinis ipſius divinæ naturę, quod eſt falſum; quià antequàm intelligatur perſonalitas, intelligitur natura radicans, & gaudens intellectione, & dilectione eſſentiali. Tertiò: ſi perſonalitas Verbi ſanctificaret formalitér naturam divinam, etiàm perſonalitas Patris, & Spiritus Sancti illam formalitèr ſanctificarent; & conſequentér in Deo multiplicarentur ſanctitates, & poſſemus dicere, dari in Deo tres ſanctos; cùm concreta ſubſtantialia multiplicentur per multiplicationem formarum; séd ſequela eſt contrà Div. Athan. in Symbolo Fidei, & contrà Auguſt. lib. 5. de Trinitate cap. 8. dicentem: *bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus Sanctus; nèc tres boni, sèd unus eſt bonus.* Sèd admiſſo pro nùnc, quód perſonalitas Verbi ſit formalitèr ſanctitas relativa, adhùc

16 Probatur efficacitér concluſio: perſonalitas Verbi ſub expreſſo perſonalitatis conceptu ſolùm habet reddere humá-

manitatem ſubſiſtentem, & perſonatam ; séd hoc ſubſiſtere, & perſonari divinum, non eſt reddere naturam formalitér ſubſtantialitér ſanctam : ergò perſonalitas Verbi ſub expreſſo conceptu perſonalitatis non ſanctificat formalitèr ſubſtantialitér humanitatem Chriſti. Prob. min. : hoc ſubſiſtere, & perſonari divinum eſt perſonatio ſubſtantialis humanitatis aſſumptæ ; quià humanitas proprià carens perſonalitate creata eſt incompleta ſubſtantialitèr ad perſonari : & ob hanc incompletionem valet compleri ſubſtantialitèr à Perſonalitate Verbi ; sèd humanitas non eſt incompleta ſubſtantialitèr ad ſanctificari : ergò nequit formalitèr ſubſtantialitèr ſanctificari à perſonalitate Verbi Divini. Min. conſtat ; quiá ſanctitas ſubſtantialis, néc eſt, née pertinet ad naturam ùt prædicatum eſſentiale, nèc út modus complens naturam in ſuo eſſe ſubſtantiali ; cúm ſolúm ſit quid accidentale : ergò humanitas non eſt incompleta ſubſtantialitér ad ſanctificari. Ex quo ſic alitèr

17 Efformatur ratio probativa : ſi perſonalitas Verbi formalitèr ſanctificaret humanitatem Chriſti, eſſet ſanctitate ſubſtantiali ; cùm omnis divina ſanctitas ſit ſubſtantialis ; sed tali ſanctitate nequit eam ſanctificare formalitèr : ergó &c. Prob. min. : humanitas non eſt ſubſtantialitér incompleta in ordine ad ſanctitatem ſubſtantialem : ergó tali ſanctitate nequit ſanctificari. Ant. conſtat ex dictis num. antec. Prob. conſeq. : eſto perſonalitas Verbi ſit immenſa, & exiſtens in loco ſubſtantialitér, non tribuit humanitati aſſumptæ immenſitatem, aút exiſtentiam in loco ſubſtantialitèr ; & non alia ratione, niſi quiá humánitas non eſt incompleta in ordine ad exiſtendum in loco ſubſtantialitér, néc eſt capax talis effectus : ergò, cùm humanitas Chriſti Domini non ſit incompleta in linea ſanctitatis ſubſtantialis, nèc capax talis effectus, hinc eſt, quòd, etſi admittamus, perſonalitatem Verbi Divini eſſe formalitèr ſanctitatem, tamèn nequit tribuere hunc effectum humanitati Chriſti.

18 Dices : id per quod humanitas Chriſti habet plenitudinem gratię, & donorum ſupernaturalium, eſt quod formalitèr ſanctificat humanitatem ; sèd hoc habetur per perſonalitatem Verbi : ergò. Prob. min. : perſonalitas Verbi formalitèr facit, quòd humanitas ſubſiſtat in ſuppoſito divino, & quòd hic homo Chriſtus ſit Unigenitus à Patre, ejuſquè Filius naturalis ; sèd hoc ipſo eſt ratio, cúr humanitas

tas habeat plenitudinem gratiæ, & donorum ſupernaturalium : ergò &c. Hoc argumentum, ſicut & aliæ replicę, quas hic objicere ſolent Jeſuitæ, fundantur in ſuppoſito falſo, ſcilicèt, quòd Chriſtus, ùt homo, ly *ùt* reduplicante ſuprà naturam humanam, ſit Filius Dei naturalis ; cuius falſitatem jàm ſufficienter oſtendimus diſp. 2. huius, quęſt. 2. Unde perſonalitas Verbi eſt ratio de congruo, & mediata, cúr humanitas Chriſti habeat plenitudinem gratiæ, & donorum ſupernaturalium ; non verò eſt formalitér ipſa plenitudo gratiæ.

QUÆST. III.

An humanitas Chriſti Domini ſanctificetur formalitèr per unionem hypoſtaticam phyſicè, & ex natura rei ?

1 CONcluſio: unio hypoſtatica humanitatis ad Verbũ non eſt forma formalitèr ſanctificans ipſam phyſicè, & ex natura rei in ordine ad beatitudinem. Eſt contrà plures Jeſuitas. Prob. 1. ex ratione attacta Divi Thomæ pro probatione primæ concluſionis quæſt. antec., ubi docet, quòd ſolùm eſt duplex ſanctitas, una per eſſentiam ; & alia per participationem, quę eſt ſecundùm gratiam ; sèd unio hypoſtatica phyſicé, & in ſe conſiderata, non eſt ſanctitas per eſſentiam, nèc per participationem: ergò unio hypoſtatica ex ſe phyſicè non ſanctificat humanitatem Chriſti. Prob. min. quoàd prim. part. : divinitas eſt, quæ eſt ſanctitas per eſſentiam; sèd unio hypoſtatica ſolùm eſt unio cùm ſanctitate per eſſentiam ſecundùm ſe conſiderata, media qua natura humana unitur divinæ in unitate ſuppoſiti : ergò non eſt ſanctitas per eſſentiam. Prob. min. quoàd ſecundam part. : ſanctitas per participationem eſt divinitas participata; sèd unio hypoſtatica ſecundùm ſe non eſt divinitas participata, coniungens humanitatem cúm Verbo ſub ratione ſuppoſiti, ût ſubſiſtat : ergò non eſt divinitas participata.

2 Probatur 2. concluſio: forma, vél quaſi forma, ſanctificans formalitèr ex natura rei ex ſuo conceptu formali debet conſtituere creaturam intellectualem in ſtatu amicitiæ cùm Deo, & amicabiliter à Deo dilectam: sèd hoc nequit facere unio hypoſtatica ex ſua natura phyſica reſpectu humanitatis Chriſti : ergò ipſam non ſanctificat formalitér ex natura rei. Prob. min. : ſi unio

hypostatica hoc efficeret, Deus non liberè, sêd necessariò amaret amore amicabili humanitatem Christi sic unitam; sêd hoc repugnat: ergò &c. Min. constat; quià omnis amor Dei immediatê terminatus ad *extrà* ad aliquid creatum est immediatê liber; humanitas ergo Christi ornata tali unione esset quid creatum, finitum, & limitatum; undê non posset necessitare amorem Dei, ità ùt Deus non maneret liber ergà amorem amicabilem ipsius. Prob. mii.: si talis unio ex natura sua sanctificat humanitatem Christi, talis humanitas exigit metaphysicê, & essentialitêr amorem amicabilem Dei: ergò Deus non liberê, sêd necessariò diligeret humanitatem Christi.

3 Respondent Contrarii, quòd Deus solùm esset necessitatus consequentêr, & ex suppositione liberæ productionis unionis hypostaticæ sanctificantis humanitatem Christi physicê, ad ipsam amandam amore amicabili; non verò esset necessitatus absolutê, & antecedentêr. Sêd contrà: etsi liberê, & gratuitê Deus ponat, & producat unionem hypostaticam, adhùc hac unione producta debet esse immediatè liber ad amandam amicabilitêr humanitatem unitam: ergò nulla est solutio. Prob. antec.: humanitas unita est obiectum realitêr distinctum ab unione producenda, vêl producili: manetquê bonum creatum, & finitum; sêd nullum bonum creatum, & finitum, nêc ratione sui, nêc ratione alicuius creati in se recepti, est capax necessitandi divinam voluntatem ad sui amorem: ergò Deus non solùm debet esse liber ad producendam unionem hypostaticam, sêd etiam ad amandam humanitatem sic unitam, debet manere liber, & consequentèr non tenet responsio Contrariorum.

4 Contrà 2.: licét liberè, & gratuitè Deus ponat in exìstentia unionem hypostaticam, tamén, si hæc ex natura rei est forma sanctificans, connexio talis formę cúm amore amicabili Dei est ex intrinsecis talis unionis physicè consideratæ; sèd, stante tali connexione ex intrinseca natura talis formæ, necessitas, út Deus amet habentem illam, non est consequens, sèd antecedens: ergò non tenet solutio. Prob. min. etsi liberum sit Deo, ponere hominem in exìstentia, non propterea est necessarium solùm necessitate consequenti, sèd etiam necessitate antecedenti, quòd talis homo sit risibilis; quià hæc necessitas oritur

tur ex prædicatis intrinſecis hominis: ergò pariter, quamvis Deus donet liberè formam ſanctificantem, ſi hęc ex natura ſua facit habentem illam ſanctum, & amicum Dei phyſicé, ſeu ex natura ſua, amor amicabilis Dei ergà habentem formam illam eſſet neceſſarius antecedentér. Vide, quę docentur á Noſtratibus tract. *de juſtificat.*, inquirendo, quomodó gratia habitualis ſanctificet?

5 Arguitur 1.: unio hypoſtatica ex natura rei ſuperat gratiam, & viſionem beatificam: ergò ex natura rei eſt ſanctitas formalis. Probatur conſeq.: repugnat talis exceſſus perfectionis ad gratiam, & viſionem Dei, quin ſit exceſſus perfectibilitatis, & dignitatis ad amorem divinum, qui eſt prima regula perfectionis: ergò, ſi unio hypoſtatica ex natura rei ſuperat in perfectione gratiam, & viſionem beatam, eſt maior dignitas ad amorem divinum. Confirmatur: unio hypoſtatica ex ſe eſt ſummus acceſſus naturæ creatæ ad Deum: ergó ex ſe eſt ſummus receſſus ab obiecto divinæ indignationis: ergó ratione talis acceſſus manet obiectum Deo gratum, & acceptum; & conſequentér dignum amore amicabili Dei.

6 Reſp. ad argumentum diſtinguendo antec.: unio hypoſtatica ex natura rei ſuperat gratiam, & viſionem beatificam, *in linea eſſendi, & in ratione doni*, conc. mai.: *in ratione lineę effectivę moralis*, nego mai., & conſeq. Hæc ſolutio declarata manet tract. antec. diſput. 5. quæſt. 5. concluſione 2. Vide ibi. Ad confirmationem, diſtinguo antec.: unio hypoſtatica eſt ſummus acceſſus naturæ creatæ ad Deum *in linea eſſendi, ſubſiſtendi, & terminandi eſſe ſubſiſtens divinum*, conc. antec.: *in linea placendi Deo per jus ad hæreditatem æternam*, ſubdiſtinguo antec.: *congruentialitèr, & remotè*, conc. antec.: *proximè, & formalitèr*, nego antec. & conſeq. Hæc ſolutio ſatis declaratur in tract. ant. cit., agendo de perfectionibus unionis hypoſtaticæ, & ampliùs conſtabit ex quæſt. ſequenti dicendis.

7 Arguitur 2.: id, quo Deus ſolùm exiſtit aſsimilativè in anima, eſt ſanctitas formalis ipſius: ergó à fortiori id, quo Deus exiſtit formaliter in anima, erit ſanctitas formalis animæ. Antec. conſtat in gratia habituali. Nunc ſic; séd Deus exiſtit formalitér in anima per unionem hypoſtaticam, & ſolùm

lùm aſsimilativè per gratiam habitualem: ergò, &c. Confirmatur: imperceptibile videtur, quòd divina perfectio per intimam, & hypoſtaticam ſui coniunctionem perficiat animam, & ipſam non ſanctificet; cùm, iuxtà nos, ſolùm per moralem coniunctionem, quę habetur ratione gratiæ habitualis, ipſam perficiat, & ſanctificet: ergò per unionis coniunctionem ſanctificat formalitér humanitatem Chriſti.

8 Reſpondeo, conceſſo ant., diſtinguendo conſeq.: ergò id, quo Deus exiſtit formaliter, quòad eſſe ſolùm ſubſtantialitér ſubſiſtendi, eſt ſanctitas formalis, nego conſeq.: eſt ſanctictas congruentialitèr, & diſpoſitivé, conc. conſeq. Ad confirmationem diſtinguo eiſdem terminis primam partem. Itaquè omnia argumenta hic confundunt diverſas communicationes, quæ factę fuerunt humanitati Chriſti per unionem hypoſtaticam, & ratione gratiæ habitualis. Ratione unionis hypoſtaticę ad Perſonam Verbi Divini certum omninò eſt, quòd manſit humanitas Chriſti D. magis coniuncta cùm Deo in linea eſſendi ſubſtantialitèr ſubſiſtendo per ſuppoſitum divinum; & etiam poteſt concedi, quòd congruentialitèr, & remotè manſit coniunctio cùm Deo amicabiliter, quatenùs talis unio hypoſtatica eſt radix, & origo omnium donorum ſupernaturalium, quæ prò poſteriori naturæ conceſſa fuere animæ Chriſti. Cæterum in ordine ad ius, & hæreditatem æternam manſit humanitas Chriſti formalitèr coniuncta cùm Deo per gratiam habitualem, quod & concedunt ipſimet adverſarii; ex quo efficax argumentum poterat efformari contrà ipſos.

QUÆST. IIII.

An unio hypoſtatica ex ordinatione divina ſanctificet formalitèr humanitatem Chriſti Domini?

1 HInc ſe offert concertatio intèr Domeſticos; quià, cùm Subt. Doct. nullibi expreſsé de hac difficultate egerit, hinc eſt, quòd non eſt mirum, Scotiſtas eſſe intér ſe diviſos. Undè duplex in hac re eſt oppoſita ſententia. Prima tenet, de facto humanitatem Chriſti Domini ſanctificari formalitèr in ordine ad hæreditatem ęternam per unionem hypoſtaticam, non phyſicè, & ex natura rei conſideratam, sèd proût ſubeſt ordi-

dinationi divinæ ; ad modum quo omnes Scotiſtæ tenent in materia *de Juſtificatione* , gratiam habitualem ſanctificare nos , non phyſicé , & ex natura rei , sèd ex ordinatione divina ; ità quòd ipſa entitas phyſica gratiæ ſimûl cúm ipſa divina ordinatione adæquatè conſtituat propriam , & formalem cauſam noſtræ ſanctificationis , & iuſtificationis : ſic N. Poncius , tùm in expoſitione Doct. ſupér tertium , diſt. 10. tom. 5. : tùm , in ipſo tertio diſp. 39 quęſt. 5. concluſ. 3. Sic noviſsimé Carolus del Moral in ſuo Fonſillimis tom. 1. tract. 1. diſp. 3. quęſt. 1. art. 3. , citans pro ſe aliquos Scotiſtas in manuſcriptis ; ex quibus numero duos huius almæ Provinciæ P. P. , quos , ùt Magiſtros veneror ; sèd , veniâ ipſorum , ſecundæ ſententiæ negativæ adhæreo , útpotè magis conformi menti N. Doct. , ùt ex probationibus conſtabit. Sit ergò

CONCLUSIO.

2 Unio hypoſtatica de facto non ſanctificat formalitèr humanitatem Chriſti Domini, adhùc ex ordinatione divina. Hæc concluſio eſt ſatis communis inter Scotiſtas. Probatur quę primó ex Subt. Doct. in 3. Report. diſt. 2. q. 2. ubi ſic ait : *mallem enim , ſi daretur mihi optio , habere gratiam Beatę Virginis, & fruitionem , quàm eſſe ſubſiſtens in Patre , Filio & Spiritu Sancto ſine frui* ; sèd ex hoc infertur , quòd unio hypoſtatica humanitatis ad Verbum non ſit de facto forma formalitèr ſanctificans humanitatem ; nèc quòd ſubſit divinæ ordinationi de facto ad hunc effectum præſtandum : ergò quiâ , iuxtà Doctorem , adhùc ex ordinatione divina non ſanctificat formalitèr. Prob. min. : Subt. Doct. loquitur de unione hic , ſecundùm quòd de facto habet ; sèd ſi de facto unio eſſet ordinata ad ſanctificandum formalitèr , malè diceret : *mallem enim &c.* ; quiâ tùnc non poſſet habere talem unionem ſinè forma formalitèr ſanctificante : ergò &c.

3 Probatur 2. concluſio alia auth. Doct. in 3. diſt. 10. quæſt. unic. §. *ad argumenta* , ubi ait : *iſta negatio extraneitatis in Chriſto non eſt , niſi propter gratiam habitualem Chriſti ; quia propter illam ſolùm habet jus in hereditate æterna ; non autèm per ſolam unionem perſonalem ; quia , ſi illa fuiſſet ſine gratia habituali , poſſet Chriſtus ſecundùm naturam hu-*

humanam non habere jus in hæreditate illa. Hæc Scotus, ex quibus ſic efformatur ratio; út unio hypoſtatica ſanctificaret formaliter ex ordinatione divina, erat neceſſarium, quòd tribueret tali humanitati jus formale ad æternam beatitudinem; ſéd juxtà Subt. Doct. non tribuit; cùm hoc ſolùm tribuatur per gratiam habitualem: ergó &c. Nec valet dicere, in tali authoritate arguere Doctorem contrà ſe; nàm licét arguat quoàd extraneitatem, non verò quoad habere jus per ſolam gratiam, ùt exponunt ejus expoſitores.

4 Probatur 3. concluſio alia auth. Doct. in 3. diſt. 2. quæſt. 1. num. 10., ubi reſpondens cuidam argumento Auguſtini, ait: *ad Auguſt. conceditur, quòd eſt ſumma gratia in iſta unione, quiâ ſumma gratuita condeſcenſio voluntatis divinę, quæ fuit principium aſſumptionis. Non eſt autém ſumma gratia habitualis ex vi unionis in iſta unione, licèt de facto concomitetur iſtam unionem.* Ex quibus ſic argumentor: juxtà Doct., unio hypoſtatica unicè eſt ſumma gratia gratis data ex ſumma condeſcendentia voluntatis divinæ: ergó non eſt ſumma gratia gratum faciens adhùc ex ordinatione divina. Confirmatur: ſi unio ex divina ordinatione ſanctificaret formaliter, eſſet ex divina ordinatione ſumma gratia habitualis in unione hypoſtatica, proùt ſubeſt divinę ordinationi; sèd hoc eſt falſum, juxtá Subt. Doct.: ergó, juxta mentem ipſius, unio hypoſtatica adhùc ex ordinatione divina non ſanctificat formalitèr humanitatem Chriſti Domini. Urgetur tandèm; quiá ubicumquè Subt. Doct. comparat hæc tria, unionem hypoſtaticam, gratiam, & gloriam, ait, quòd eſtó unio hypoſtatica ſit maior in ratione doni, non poteſt tamèn dici maior gratiâ, & gloriâ in ratione beneficij: ergò, quià de facto ſentit Subt. Doct., quòd unio hypoſtatica non ſit beneficium reſpectu naturæ aſſumptę, & conſequenter néc quòd ipſam ſanctificet.

5 Probatur 4. concluſio ratione: in Chriſto Domino, per nos; & juxtá Subt. Doct., eſt ſumma gratia habitualis; sèd hoc ipſo unio hypoſtatica adhùc ex ordinatione divina nequit ſanctificare formalitèr humanitatem Chriſti Domini; nèc ei tribuere jus formale, & proximum ad ſummam gloriam ipſius: ergó, quià non ſanctificat ipſam. Probat. min.: hoc ipſo quod gratia ha-

habitualis sit summa, saltim negativè, ùt probatum manet, & quòd sit sanctitas, tribuensque jus ad gloriam, summe negativè debet sanctificare humanitatem Christi Domini, eique tribuere jus proximum summum negativé ad summam gloriam negativé; sèd, hoc stante, non restat, quid tribuat unio hypostatica adhùc ex ordinatione divina: ergò de facto non sanctificat humanitatem Christi. Prob. min.: humanitas Christi Domini non est plusquam summé negativè sanctificabilis, ùt docet Doct. Dist. 13. quæst. 4. sub num. 10.; sèd hanc sanctitatem habet humanitas Christi per gratiam habitualem: ergò nequit eam habere per unionem hypostaticam adhuc ex ordinatione divina.

6 Confirmatur, & explicatur hæc ratio: vèl humanitas Christi Domini sanctificatur simúl, & semèl á gratia habituali summa negativè, & ab unione hypostatica etiam summa negativè, quamvis ex ordinatione divina; vél non? primum nequit dici; tùm, quia aliàs humanitas Christi Domini esset bis Sancta summé negativè; tùm, quiá tunc idem effectus proveniret ex duplici causa totali moraliter, quod implicat. Si secundum; esset maior ratio ad hoc, ùt sanctificetur formalitér summé negativè per gratiam habitualem, quàm per unionem hypostiticam: ergò ità est. Min. constabit ex solutione argumentorum; & ultrà probatur; quià, si recurrendum est ad aliquid creatum, út sanctificet, magis recurrendum est ad gratiam habitualem, quę, secundùm omnes, de facto est forma justificans, quàm ad gratiam unionis, cuius effectus primarius est unire. Deinde: linea sanctitatis est linea virtutis, & operationis, cùm sit semen gloriæ; unio verò hypostatica non est de linea virtutis, & operationis; cùm juxta nos, sit relatio, & omis relatio sit sterilis: ergò &c.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

7 Arguitur 1. ex Subt. Doct. in 3. dist. 7. quæst. 3. num. 2. ubi sic ait: *cùm huic naturę humanæ in Christo præordinata sit gloria, & unio ista in Verbo in ordine ad gloriam; quià non tanta gloria fuisset sibi conferenda, si non esset unita, sicùt modo collata est.* Et in Report. in 3. dist. 7. quæst. 4. §. *de primo*, ait; *quarè aliqua gloria po*

test

teſt cadere ſub merito purę Creaturæ , & aliqua non poteſt: eſt ibi decens , prędordinare unionem hypoſtaticam , quæ eſt prima, ad tantam gloriam , quanta non poteſt cadere ſub merito puræ Creaturæ. Hæc Subt. Doct., ex quibus ſic efformant rationem contrarij : ideò gratia habitualis ſanctificat formalitér ex ordinatione divina , quià Deus ordinavit , habentem illam acceptare ad gloriam ; séd de facto Deus ordinavit acceptare humanitatem Chriſti ad ſummam gloriam , quià habitura erat unionem hypoſtaticam , ad quamqué non ordinaret , ſi non haberet talem unionem : ergò ſicút gratia habitualis ſanctificat nos ex ordinatione divina ; ità unio hypoſtatica ex eadem ordinatione ſanctificat humanitatem Chriſti formalitèr. Hoc eſt unicum fundamentum contrariorum ſumptum ab authoritate Doctoris.

8 Reſpondeo tamèn diſtinguendo maiorem probationis: ideó gratia habitualis ſanctificat formalitèr , quià Deus ordinavit habentem illam acceptare *formalitèr & immediaté* ad gloriam , conc. mai. : acceptare *radicalitèr , & quaſi in actu primò* , nego mai. , & inverſis terminis diſtinguo min. , & nego conſeq.. Nèc aliud certè infertur ex author. allegata N. Subt. Doct. Extrà omne enim dubium eſt, quód Deus ratione unionis hypoſtaticę acceptavit humanitatem Chriſti Domini , eamqué ordinavit ad ſummam gloriam negativé , quantam non haberet, ſi talis humanitas non eſſet aſſumpta á Verbo ; cæterúm hoc non fecit in ſenſu formali , sêd ſolùm diſpoſitivo , radicali , & de congruo ; ex quo non ſequitur , quód ipſa unio ſit quæ formalitèr ex ordinatione divina ſanctificet humanitatem exercitè , & in actu ſecundo ; sêd ſolùm in actu primo radicali. Sèd, quiá Scotiſtæ contrarij unicè fundantur in eo , quod Subt. Doct. docet , quòd ex præordinatione divina ad unionem hypoſtaticam, præordinavit naturam humanam Chriſti ad tantam gloriam, nullamquè mentionem facit de prędordinatione ad gratiam , ex qua præordinatione ipſam præordinaverit ad gloriam ; ideò

9 Notandum eſt, quód Subt. Doct. in loco allegato non vult , quòd unio ſit ratio formalis exercitè ordinativa illius humanitatis ad gloriam; séd quód ſit ratio congrua, ſeù congruentiæ conferendi illi humanitati unitæ ſummam gratiam ; & ratione ſummæ gratiæ habere acceptam , & dignificatam ad ſummam gloriam conferendam tali naturæ. Undè

unio

unio ingreditur rationem *finis cui*, non verò rationem formalem tribuentem dignitatem proximam, & jus formale ad gloriam, sèd solùm radicale, & congruentiale. Et certè hæc explicatio est satis conformis ipsi Doct. cit.; nàm immediatè prosequitur: *ità videtur ista unio, ordinari ad tantam gloriam de congruo.* Sèd expressiùs hoc tenet in 3. Dist. 2. quæst. 2. num. 12., ubi explicans illud Joannis: *vidimus gloriam ejus, quasi Unigeniti à Patre*, ait: *ubi videtur dicere, quòd, Christum esse Unigenitum Patris, sit proxima ratio congruentiæ, quarè ipse habeat plenitudinem gratiæ*: ergò, juxtà Doctorem, unio est tantùm ratio remota, radicalis, & congrua tantæ gratiæ, & tantæ gloriæ humanitati illi collatæ.

10 Arguitur 2.: de facto, & recto ordine observato, videtur congruentius, quòd esse formale alicuius formæ, dependens ex divina ordinatione, cadat suprà materiam magis proportionatam, & congruam, quàm suprà minùs congruam; sèd in Christo Domino reperitur unio hypostatica physicè considerata, & qualitas physica gratiæ habitualis: & ad esse formale sanctitatis moralis, provenientis ex ordinatione divina, congruentior est unio hypostatica, quàm entitas physica gratiæ habitualis: ergò suprà illam, & non suprà istam debet cadere divina ordinatio, ad sanctificandam formalitèr humanitatem Christi Domini. Hoc argumentum à ratione est præcipuum fundamentum contrariorum.

11 Resp. tamèn distinguendo mai.: de facto, &c. suprà materiam magis proportionatam, attenta proportione, & congruentia per ordinem ad divinam providentiam, & ad finem ipsius, conc. mai.: attenta proportione, & congruentia præcisè ex natura ipsius materiæ physicè consideratę, nego mai.: & distinguo min. quoad secundam part.: & ad esse formalis sanctitatis congruentior est unio hypostatica, attenta natura metaphysica ipsius unionis, concedo min.: attenta proportione, & congruentia per ordinem ad divinam providentiam, & ejus finem, nego min., & conseq.. Itaquè, licèt concedamus contrariis, quòd unio hypostatica ex natura rei considerata videatur magis proportionata ad hoc, ût elevetur á Deo ad præstandum effectus supernaturales, inter quos est sanctitas formalis; ex hoc tamèn minimé infertur, quòd de

facto ſit ſic elevata ; quià hoc videtur contrà leges ſtatutas de facto à Deo.

12 Ratio eſt ; quià, cùm Chriſtus conſtitutus ſit à Deo caput omnium Sanctorum , út ſit primogenitus in multis Fratribus, noſquè voluerit facere conformes imaginis Filii ſui, út dicitur ad Roman. 8. ; quodquè intelligendum eſt de conformitate in ſanctitate ; nàm ad Hebræos 2. dicitur : *qui ſanctificantur ex uno omnes ::: debuit Fratribus aſsimilari per omnia*; hinc congruentius fuit , attenta divina providentia , út gratia habitualis , quæ nos facit juſtos , & ſanctos , elevaretur ad ſanctificandam humanitatem Chriſti Domini.

13 Replicabis: quamvis unio hypoſtatica elevata fuerit ad ſanctificandam humanitatem Chriſti , non ob hoc eſſet diſsimilis nobis in ſanctificatione : ergò nulla eſt reſponſio. Prob. antec. : quamvis per gratiam unionis ſic elevatam redderetur ſancta formalitèr humanitas Chriſti , adhúc tamèn poſſet reddi ſancta per gratiam habitualem ; séd hoc ipſo aſsimilaretur nobis in ſanctitate: ergò &c. Prob. mai.: quod glorioſius eſt , concedendum eſt Chriſto Domino ; sèd glorioſius eſt , quod Chriſtus Dominus habeat ſanctitatem ſummam ex pluribus titulis , quàm uno ſolo titulo ; & dicendo, quòd facta fuerit ſancta formalitèr per unionem hypoſtaticam, & ſimúl per gratiam habitualem , haberet ſanctitatem pluribus titulis ; ſi ſolùm autèm eam haberet titulo gratię habitualis , eam ſolúm uno titulo haberet : ergò. Hæc replica facilé ſolvitur , ex dictis in probatione , & confirmatione noſtrę concluſionis , negando antec. , & maiorem probationis; & omiſſa mai. , negando abſoluté min..

14 Itaqué , etſi concederemus contrariis, quòd Chriſtus Dominus eſſet formalitèr ſanctus , & titulo unionis hypoſtaticæ , & titulo gratiæ habitualis (quod conſtanter negamus propter dicta in probatione) adhûc minimè ſequeretur, quód ejus humanitas eſſet ſancta ex duobus titulis. Ratio huius fundatur in doctrina ipſorummet Scotiſtarum. Ipſi enim tenent , quòd unio hypoſtatica non ſanctificat formalitèr ex natura rei , néc gratia habitualis ſic ſanctificat , sèd ſolúm moralitèr , & ex ordinatione divina. Hæc doctrina eſt communis omnibus Scotiſtis. Ex quaquè infero : ergò quamvis utraque forma , ſcilicèt , unio hy-

hypoſtatica, & gratia habitualis ſanctificarent humanitatem Chriſti Domini, non ſanctificarent ipſam ſecundùm ſuas rationes formales, & ex natura rei intrinſecas ipſis, séd ſolúm ex divina ordinatione, proútqué ipſi ſubſunt; sèd hoc ipſo non ex diverſis titulis, sèd pręcisè ex uno, ſcilicét, ex divina ordinatione, ſanctificaretur Chriſti Domini humanitas: ergo non ſanctificaretur duplici titulo. Undè meliùs ſalvamus nos hunc duplicem titulum ſanctificationis in humanitate Chriſti Domini, dicendo, quòd ipſi debetur radicalitêr, & congruentialitèr ſanctitas formalis per gratiam ratione unionis hypoſtaticæ, ſecundúm ſe inſpectę: & ultrà ipſi debetur ſanctitas formalis ratione gratiæ habitualis, út elevatæ ex ordinatione divina.

15 Arguitur 3., & poteſt eſſe replica contrà probationem concluſionis: ideò unio hypoſtatica non eſſet de facto elevata à Deo ad ſanctificandam formalitér humanitatem Chriſti, quia hæc ſanctificatur ſummè negativè per ſummam gratiam habitualem; séd hæc ratio nulla eſt: ergò &c. Prob. min.: licèt unio hypoſtática ſanctificaret formalitér ex divina ordinatione humanitatem Chriſti, non tamén præſtaret idem, quod de facto pręſtat gratia habitualis: ergò adhùc in tali caſu non eſſet fruſtrà in Chriſto Domino gratia habitualis. Prob. antec.: gratia habitualis ſanctificat, conſtituendo humanitatem amicam Dei per mutuum amorem, & per principium connaturale redamandi Deum; séd hoc non præſtaret unio hypoſtatica; cùm hæc tantùm ſit principium moralitèr radicale prædictæ redamationis: ergò, licèt &c. In hoc argumento latet aliqua æquivocatio. Quaré

16 Reſp., conceſſa mai., negando min.: ad probationem diſtinguo antec.: licèt unio hypoſtatica &c., non tamén præſtaret idem, quod gratia habitualis *ſub conceptu gratiæ ſanctificantis*, nego antec.: *ſub conceptu charitatis*, concedo antec.. Ad probationem diſtinguo mai.: gratia habitualis ſanctificat, conſtituendo humanitatem amicam Dei per mutuum amorem, & per principium connaturale redamandi Deum, *ſub conceptu gratiæ ſanctificantis*, nego mai.: *ſub conceptu charitatis*, ſubdiſtinguo: ſub conceptu charitatis, conſideratę phyſicè, & ex natura rei, concedo mai.: ſolùm moralitèr, & ex ordinatione divina, nego mai.: &

conceſſa min., nego conſequentiam.

17 Itaqué, etſi verum ſit in noſtris principiis, quód gratia habitualis, & charitas non ſunt habitus realitèr diſtincti; tamen effectus iſtius unius habitus ſunt aliquomodò diſtincti, & ab ipſo ſub diverſis formalitatibus proveniunt. Sanctificare enim formalitèr ex ordinatione divina, eſt proprium gratiæ habitualis ſub conceptu gratiæ: eſſe autèm principium elicitivum, non ſolùm ex ordinatione divina, sèd etiàm phyſicè, & ex natura rei eſt proprium charitatis ſub conceptu charitatis. Undé hæc eſt, quæ eſt principium connaturale redamandi Deum, & non gratia ſub conceptu gratiæ, de cuius ratione ſolùm eſt, ſanctificare animam formalitér ex ordinatione divina. Quaré æquivocantur, meo videri, Scotiſtę contrarii, dùm dicunt, non ſuperfluere gratiam habitualem, quià hęc ſanctificat conſtituendo humanitatem amicam Dei per mutuum amorem, & per principium connaturale redamandi Deum; cúm hoc conveniat charitati ex natura rei.

18 Arguitur 4.: ſatisfactio Chriſti Domini fuit ſuperabundans in actu ſecundo, & exercitè, út poſteá dicemus; sèd hanc ſuperabundantiam ſatisfactionis non habuerunt opera Chriſti Domini ex vi operum elicitorum media gratia habituali, sèd quià natura humana erat unita hypoſtaticé Perſonalitati Verbi Divini: ergó gratia unionis in Chriſto Domino fuit ratio formalis, cùr opera meritoria Chriſti Domini fuiſſent ſuperabundantia; & conſequentèr fuit ex ordinatione divina ratio formalis ſanctitatis ipſius. Min. conſtat; alias pura creatura non ſolúm poſſet divinitús ſatisfacere de condigno, sèd etiàm ſuperabundantèr, ſicùt Chriſtus Dominus, pro peccatis totius generis humani, ſi ipſi concederetur tanta gratia habitualis, quanta Chriſto Domino; quod nullus concedit. De hoc argumento erit ſermo tractatu ſequenti, agendo de ſatisfactione Chriſti Domini, & ejus ſuperabundantia. Pro nùnc tamèn

19 Reſpond., conceſſa mai., diſtinguendo min.; sèd hanc ſuperabundantiam non habuerunt &c., media gratia habituali præcisè ſumpta, conc. min.: media gratia habituali, út radicata in unione hypoſtatica, nego min., & conſeq.. Ad probationem, nego antec., & eiſdem terminis diſtinguitur conſeq.. Verum ergó eſt, quod opera

ra Chriſti Domini fuerunt ſatisfactoria ſuperabundanter, & quòd ad hanc ſuperabundantiam ſatisfactionis concurrebat radicalitèr gratia unionis; nàm media iſta erat natura humana unita perſonalitati Verbi; & ſic talia opera erant Perſonæ Divinę, ſaltim denominativè; sèd falſum eſt, quòd ſuperabundantia talium operum proveniret formalitèr, & elicitive adhùc ex divina ordinatione ab unione hypoſtatica, tamquàm à cauſa formali; quod & contrarii fateri tenentur; cùm nequeant dicere, quòd unio hypoſtatica ſit cauſa formalis talium operum ſatisfactoriorum: ergò néc ſuperabundantiæ talis ſatisfactionis. De hoc ex profeſſo loco citato.

2o Arguitur ultimò: ſi ſola gratia habitualis eſſet ratio formalis ſanctitatis Chriſti Domini ex ordinatione divina, & non unio hypoſtatica, ſequeretur, quòd Chriſtus D. ſolùm eſſet Filius adoptivus Dei; sèd hoc eſt contrà nos diſp. 2. quęſt. 1. huius: ergò. Prob. ſequela mai.: túnc Chriſtus D. ſolùm ratione gratiæ habitualis eſſet Filius Dei; sèd filiatio habita media gratia habituali ſolùm eſt adoptiva: ergò, ſi &c. Reſpondeo, negando mai.: ad probationem diſtinguo mai.: tùnc Chriſtus D. ſolùm ratione gratiæ habitualis ùt radicatę in unione hypoſtatica eſſet Filius Dei, conc. mai: ratione gratiæ habitualis ſecundùm ſe ſumptæ præciſé, neg. mai.: inverſis terminis diſtinguo min., & nego conſeq.. Vide dicta loco cit. in argumento à num. 6.

QUÆST. V. ET ULTIMA.

An Humanitas Chriſti D. ſanctificetur formalitèr unicè per gratiam habitualem?

1 EX dictis quæſtionibus antecedentibus facilis eſt reſolutio huius. Sèd pro faciliori reſolutione nota, quòd non loquimur hic de gratia phyſicè conſiderata, ſeù ſecundùm eius naturam phyſicam; sèd loquimur de ipſa, ùt moralitèr, & ex divina ordinatione elevata ad nos ſanctificandum; de qua ſic quærimus: àn ſit cauſa formalis moralis unica, & præciſa ſanctitatis Chriſti Domini? Communis Theologorum ſententia tenet, gratiam habitualem eſſe cauſam formalem ſanctitatis Chriſti D., cæterùm in linea accidentali: undê in ſimùl ponunt in Chriſto D. aliam ſanctitatem excellentiorem, ſcilicét, increatam; quarè negant, quòd gratia habitualis ſit unica, & pręciſa cauſa ſanctita-

tis

tis Christi Domini. Contrá quos omnes sit

CONCLUSIO NOSTRA.

2 Humanitas Christi D. unicè sanctificatur formalitèr per gratiam habitualem modo dicto §. anteced. Hæc conclusio est satis communis in Nostra Schola. Probari potest primò á sufficienti partium enumeratione: Anima Christi Domini est formalitèr sancta; séd non est formalitèr sancta aliqua sanctitate increata: néc sanctitate proveniente moralitèr, & ex ordinatione divina ab unione hypostatica, út latè probavimus quæst. antec.: ergò unicé est formaliter sancta per sanctitatem præstitam à gratia habituali. Prob. min. quoád primam partem primò: si esset formalitèr sancta sanctitate increata, hæc proveniret formalitèr vèl à natura divina immediatè, vél à Personalitate Verbi Divini, vél ab unione hypostatica secundúm se physicé considerata; séd ex nullo ex his prędicatis potest convenire sanctitas increata humanitati Christi Domini, ùt probatum manet quæst. 2., & 3. huius: ergò quià humanitas Christi Domini nullo modo sanctificatur formalitér per sanctitatem increatam.

3 Probantur 2. illa minor, & hæc consequentia ad hominem contrà ipsos contrarios: si humanitas Christi sanctificaretur formalitèr per sanctitatem increatam provenientem ab hoc, vèl illo prædicato divino, nullo modo sanctificaretur per gratiam habitualem; séd hoc non concedunt contrarii: ergó. Probatur mai.: quandò forma nobilior, & superior continet eminentèr, vèl virtualitèr inferiorem, & effectum illius, frustrá hęc cum illa ponitur; cùm quidquid habetur per inferiorem, nobiliori modo habeatur per superiorem; sed sanctitas increata sanctificaret excellentiori modo, ác perfectiús, quàm gratia habitualis, ceù sanctitas accidentalis: ergò hęc tùnc casus superflueret. Mai. patet in homine, in quo non ponuntur animę vegetativę & sensitivæ, uti ponuntur in plantis, & brutis, distinctę ab anima rationali; quiá hæc in homine præstat excellentiori modo effectus animarum sensitivæ, & vegetativę: ergó &c. Nota, quod hæc ratio urget etiam Scotistas nobis contrarios in concluſ. antec.

4 Prob. 2. conclusio positivè, & primò ex illo ad Roman. 8.: *quos præscivit, & prędestinavit conformes fieri imaginis Filii Dei, ùt sit ipse primo-*

ge-

genitus in multis Fratribus. Et ex illo ad Hebræos 2.: *qui ſanctificat, & qui ſanctificantur ex uno omnes :: debuit Fratribus aſſimilari per omnia.* Ex quibus ſic argumentor: Chriſtus eſt caput Iuſtorum, noſquè conformes ipſi in ſanctitate; séd juſti ſunt formaliter ſancti unicè per gratiam habitualem: ergò, út Chriſtus Dominus ſit ipſis conformis in ſanctitate, debet unicè ſanctificari per gratiam habitualem. Prob. etiam ex Concil. Trid. ſeſ. 6. cap. 7. can. 11., ubi docet, quod ſanctitas formalis ſtat formalitèr in amicabilitate, fundata in intrinſeca pulchritudine in anima recepta, ipſam decorante, & elevante ad eſſe divinum; séd hoc poteſt convenire gratiæ habituali tantúm; cúm hęc ſola ſit ſic recepta in anima: ergò hæc unicè eſt forma ſanctificans humanitatem Chriſti.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

5 Arguitur 1. authoritatibus variis, quas hic objiciunt Thomiſtæ. Primò ex Pſal. 43., ubi de Chriſto Domino ſecundùm humanitatem dicitur: *unxit te Deus, Deus tuus oleo lętitiæ.* Secundò, quia Concilium Francford. in Epiſt. ad Epiſcop. Hiſpaniæ ait: *Chriſtus naturà unctus, nos per gratiam; quiá in illo plenè fuit divinitas.* In hoc quidèm conſpirant S.S.P.P., út Nazianzen. oratione 36. quæſt. 4. de Theolog. num. 94.. Damaſc. lib 3. Fidei, Orthodox. cap. 3.. Div. Cyril. lib. 4. in Joan. cap. 29.. Bern. homil. 4. ſuper *miſſus eſt*, ubi ait: *ſingularitèr ſanctum fuit, quidquid Virgo concepit, & per Spiritus ſanctificationem, & per Verbi aſſumptionem.*

6 Ex his, aliiſquè penè innumeris teſtimoniis S. S. P. P. ſic arguunt Thomiſtæ: eſſe unctum eſt, eſſe ſanctum, út docent S.S. P.P., & deſumunt ex Daniele cap. 9. ubi legitur: *ungatur Sanctus Sanctorum*, hoc eſt, ſic ungatur, út non ſolùm ſic Sanctus, séd cauſa ſanctitatis aliorum; séd Chriſtus Dominus unctus eſt ex unione humanitatis ad Verbum, juxtà S. S. P. P.; ergò ex eadem unione eſt formalitèr ſanctus, ſicùt formalitèr unctus, & non per gratiam habitualem. Confirmatur: S. S. P. P. conſtituunt differentiam in ſanctitate Chriſti, & aliorum, quę conſiſtit in eo, quod Chriſtus unctus eſt, non operatione, sèd divinitate ipſa: alii autèm ſunt ſancti operatione, & gratia Spiritus Sancti: ergó non eſt Sanctus gratiâ habituali.

tuali. Sic arguunt Thomiſtę principalitèr ab authoritate ; sèd, meo videri, eorum argumenta hác via deducta in eos retorqueri poſſunt, quod ſic breviter

7 Oſtendo : Thomiſtæ communitèr contrá Patrem Saavedram tenent, Corpus Chriſti Domini non eſſe ſanctum proprié, & formalitèr ſanctitate propria corporea, conſtituente ipſum objectum congruum divinæ dilectionis ergà hęreditatem, & beatitudinem ęternam, ùt dixi notabili ultimo, quæſt. 1. huius ; sèd, ſi authoritates, quas contrà nos adducunt Thomiſtę, aliquid probant, probant, corpus Chriſti Domini eſſe ſanctum propriè, & formalitèr ; cùm feré omnes dicant, corpus Chriſti fuiſſe unctum à divinitate, Deificatumqué : ergó probant contrá ipſoſmet Thomiſtas. Min. conſtat ex 6. Synod. gener. act. 17., ubi dicitur : *quemadmodùm ejus ſanctiſſima, & immaculata animata caro Deificata eſt.* Et Damaſc. cit. in argumento ait : *corpus, videlicèt, divinitate ſua ungens, ùt Deus.* Sèd hac retorſione omiſſa.

8 Reſpondeo primó ad omnes adductas authoritates, & alias, quæ adduci poſſunt, illas intelligi debere de unctione, & Deificatione, quæ eſt ſanctitas in linea conſecrationis in ordine ad cultum, & reverentiam, qua ſanctitate fuit ſancta revera humanitas Chriſti propter divinitatem, ſeù per unionem divinitatis ; non verò de ſanctitate formali in ordine ad beatitudinem, hæreditatem, & alia dona ſuperna ; cùm divinitas nequeat eſſe forma inhærens humanitati ; nèc iſta ſit incompleta ſubſtantialitèr ad ſic ſanctificari. Quód hæc ſolutio ſit vera, conſtat ex eo, quod, ſi hæc unio fuiſſet facta in natura irrationali, abſ dubio talis natura fuiſſet uncta, & deificata, & ſolùm eſſet ſancta in linea conſecrationis modo dicto ; non verò ſanctitate formali, de qua hic.

9 Reſpondeo ſecundò, S. S. P. P. intelligi de unctione, & ſanctitate perſonali, quę humanitati Chriſti collata fuit per aſſumptionem ejus ad Verbum, quæquè de humanitate dicitur, non formalitèr, sèd per communicationem idiomatum. Et de hac ſanctitate loquitur Nazianz. cit. ; nàm proſequitur : *cuius hic effectus eſt, ùt id, quod ungit, homo nunc petur ; & quod ungitur, Deus fiat.* Non verò loquuntur P. P. de ſanctitate intrinſecè animam decorante, & elevante ad eſſe divinum. Undè eſſe unctum, & Deificatum idem eſt, ác eſſe ſanctum formaſ

malitèr ſanctitate perſonali; non verò ſanctitate formali, & per modum formæ; nàm prout ſic ſola gratia habitualis ex divina ordinatione, intrinſecè informans animam, ipſam elevat ad eſſe divinum, & tribuit formalitér jus ad hæreditatem, & beatitudinem.

10 Reſpondeo tandèm tertió, præfatas authoritates optimè explicari poſſe, & debere, de ſanctitate radicali, remota, & in actu primo, ût diximus in notabilibus; non verò de ſanctitate formali, & in actu ſecundo, qua conſtituitur ſubjectum formalitèr Deo gratum, & acceptum proximè, & formalitér ad beatitudinem, & hæreditatem æternam. Sêd nota, quód hęc unctio, & Deificatio vi unionis præcisé ex ſe non tribuit tale jus congruentiæ, niſi naturæ capaci talium donorum ſupernaturalium; nàm, ût in retorſione diximus, in corpore Chriſti D. fuit talis unctio, & Deificatio, & tamên non fuit tale ius; quià ſubiectum non erat capàx: ſimilitêr caſu, quo natura irrationalis aſſumeretur, eſſet uncta, & Deificata, & non ob hoc haberet tale ius ex vi unctionis, & Deificationis; quod difficultèr ſalvabunt Thomiſtæ tenentes, unctionem, & Deificationem eſſe ipſammet ſanctitatem formalem formalitèr ex natura rei. Quælibet ex his reſponſionibus eſt ſufficiens pro ſolutione cuiuſvis argumenti efformati ab authoritate.

11 Arguitur 2. à ratione: per id formalitér ſanctificatur humanitas Chriſti, per quod conſtituitur obiectum dignum amore amicabili Dei, & acquirit ius ad hæreditatem, & vitam æternam; ſed totum hoc habet humanitas Chriſti, vêl ratione naturę divinę ipſi unitæ, vêl ratione perſonalitatis Verbi ipſi etiàm immediatè unitæ, vêl ratione unionis hypoſtaticæ unientis: ergò per aliquid ex his ſanctificatur formalitêr: ergó non per gratiam habitualem. Probatur min.: nequit humanitas habere ſibi communicatum ſummum bonum, & non eſſe Deo grata, digna amore amicabili Dei, & cúm iure ad beatitudinem, & cætera dona ſuperna; sèd humanitas habens ſibi unitam divinam naturam mediatê, perſonalitatem Verbi immediatê, & unionem hypoſtaticam, habet ſibi communicatum ſummum bonum; & hoc ſummo modo poſsibili: ergó eſt ſummé grata Deo, digna amore amicabili ipſius, & cúm iure ad hęreditatem æternam, ratione horum prędicatorum. Hoc argumentum iam probat contrà

Contrarios, humanitatem Chriſti non ſanctificari formaliter per gratiam habitualem.

12 Reſpondeo tamèn, conceſſa mai., negando min.. Ad probationem diſtinguo mai.: nequit humanitas habere ſibi communicatam ſummum bonum per modum termini ultimò terminantis eam in linea ſubſiſtendi, & non eſſe grata, &c., nego mai.: per modum formæ eam elevantis formaliter, & in actu ſecundo ad habere ius in ordine ad hæreditatem, conc. mai.: inverſis terminis diſtinguo min., & nego conſeq.: Perſæpé enim iàm dictum eſt, quód communicatio divinæ naturæ, perſonalitatisq̃ Verbi per unionem hypoſtaticam humanitati Chriſti D. eſt in diverſa linea ab ea, quæ fit per gratiam habitualem; illa enim pertinet ad lineam ſubſtantialem ſubſiſtendi, à quaqué ſolùm provenire poteſt ſanctitas, vèl de linea conſecrationis in ordine ad cultum, & reverentiam; vèl ſanctitas perſonalis, út dictum manet in reſpon ſione prima, & ſecunda argumenti antecedentis. Communicatio veró per gratiam habitualem eſt per modum formæ informantis, intrinſecé animam decorantis, conſtituentiſqué ipſam in actu ſecundo dignam amore amicabili Dei cúm iure proximo ad beatitudinem, & alia ſuperna dona.

13 Arguitur 3.: ideò per nos gratia habitualis ſanctificat formaliter humanitatem Chriſti, quiá eſt participatio divinitatis, & accidentalis unio animæ cùm Deo; ſed ex hoc probatur, quòd ſanctificetur per aliquod prędicatum divinum; cùm hoc ſit ſanctitas per eſſentiam, ſitquè ſubſtantialitér unitum humanitati Chriſti D.; ergò. Confirmatur: forma ſuperior continens eminenter, vêl virtualitèr formam inferiorem, debet præſtare effectus huius; sêd gratia unionis eſt forma ſuperior eminentér, vêl virtualitêr continens formam inferiorem, ſcilicèt gratiam habitualem: ergò huius éffectus pręſtare valet; & conſequentèr ipſa eſt, quæ ſanctificat formaliter humanitatem. Hæc confirmatio etiàm urget arguentes, qui dicunt, humanitatem ſanctificari etiàm per gratiam habitualem.

14 Reſpondeo ad argumentum, conceſſa mai., negando min.: ad probationem imbibitam dico, quòd ex ipſamet infertur, humanitatem Chriſti D. non poſſe ſanctificari per aliquod divinum prædicatum; quiá repugnat, quòd tale prædicatum uniatur humani-

nitati per modum formę inhęrentis, ſicùt unitur gratia habitualis, etſi accidentaliter; & quamvis verum ſit, quòd unio hypoſtatica ſic uniatur naturæ humanę tamquàm ſubiecto, tamên nequit ipſam ſanctificare phyſicè, & ex natura rei; cùm eius effectus ſolúm ſit, reddere naturam ſubſiſtentem. Ad confirmationem, negari poteſt abſolutè mai.: quiâ non valet quęcumque continentia formæ ſuperioris, niſi ſit in ſimùl continentia virtutis, út patet in anima reſpectu formę corporeitatis, & in Angelo reſpectu hominis. Et hác continentia non continet gratia unionis gratiam habitualem; undè nego abſolutê min.. Vide dicta quæſt. 3. huius.

15 Arguitur 4: út gratia unionis ſanctificet formaliter humanitatem Chriſti in ordine ad beatitudinem non requiritur, út ſe habeat per modum formæ informantis, aut inhærentis: ergò de facto ſic ſanctificat. Probatur antec.: ſanctitas formalis in ordine ad beatitudinem nêc ex conceptu preciſo ſanctitatis, nèc ex conceptu formali ſanctitatis requirit informationem, aút inhæſionem: ergô, út gratia unionis, &c. Antec. quoâd primam partem patet tâm in divina ſanctitate, quàm in ipſa gratia unionis, quæ eſt ſanctitas radicalis, quin informet, aút inhæreat. Probatur quoàd ſecundam: ſanctitas formalis, quà formalis, præcisê dicit eſſe id, quo aliquid eſt formaliter ſanctum; sêd hic conceptus non dicit neceſſariò informationem, aút inhærentiam: ergò. Prob. min. ex Subt. Doct. in 1. diſt. 8. quæſt. 4. §. *ad iſta*, ubi docet, quòd forma dicit duplicem habitudinem diſtinctam, unam ad informationem, ſeù inhęrentiam; & hęc dicit imperfectionem: alteram, quòd ipſa ſit ratio formalis, qua aliquid eſt tale, quod exemplificat in ſapientia, quæ in nobis eſt accidens, & eſt imperfectionis: & etiam eſt ipſa ratio formalis, qua aliquis eſt ſapiens, & hoc dicit perfectionem: ergó, út ſanctitas formalis, quà formalis, ſanctificet humanitatem Chriſti D., non requirit informationem, aùt inhęrentiam.

16 Confirmatur: út gratia unionis formalitêr ſanctificet humanitatem Chriſti in ordine ad beatitudinem, ſufficit, quòd eſſe perſonale Verbi ſubſtantialitér immediatè unitur humanitati; sèd ſic unitur, præciſa omni informatione, aût inhærentia: ergó &c. Prob. mai.: ſufficit talis ſubſtantialis unio,

ùt eſſe perſonale Verbi conſtituat humanitatem formalitér Deificatam, dignam cultu, ſanctam radicaliter, & demùm formalitèr ſubſiſtentem abſquè omni informatione, & inhærentia: ergó & ſufficiet, ùt reddat ipſam formaliter ſanctam in ordine ad beatitudinem.

17 Reſpondeo ad argumentum negando antec.: ad probationem, conceſſo antec. quoàd primam partem, nego quoàd ſecundam, ad cuius probationem diſtinguo maiorem: ſanctitas formalis, quâ formalis, præcisè dicit eſſe id, quo aliquid eſt formalitér ſanctum per modum formæ intrinſecæ ſubiecto, vèl per identitatem, vél informationem, aùt inhærentiam, conc. mai.: alitèr, nego mai.: & diſtinguo min.; sèd hic conceptus non dicit neceſſariò à priori, & conſtitutivè informationem, aùt inhærentiam, concedo min.; conſequentér, ſeú à poſteriori, nego min., & conſeq. Hæc ſolutio patet ex ipſo Doct. cit. ſic dicente: *quòd forma in creatis aliquid etiàm habet, quod eſt imperfectionis, ſed conſequitur eam ſecundùm ſuam rationem eſſentialem, ſivè formalem.* Ex hoc etiam patet ſenſus authoritatis allatæ in argumento.

18 Itaqué ſanctitas, licèt ex conceptu ſanctitatis, præciſivè a ſanctitate radicali, perſonali, aút formali, non dicat informationem, inhærentiam, vèl identitatem; tamén, quà formalis in ordine ad beatitudinem, dicit vél informationem, vèl inhærentiam, vél identitatem cùm natura, ùt patet in ſanctitate Dei. Ratio eſt; quià ſanctitas formalis in ordine ad beatitudinem, juxtà Concil. Trid. cit. in probatione concluſionis, de facto eſt forma intrinſecé recepta in anima, ipſam intrinſecé decorans, & elevans per modum formę intrinſecę ad eſſe divinum. Cùm, ergò, exercitium formę intrinſecæ neceſſariò dicat vél identitatem cum ſubjecto, vél informationem, aùt inhæſionem, ideó ſanctitas formalis eò quiá talis, cùm de facto non poſsit eſſe per identitatem, neceſſariò dicit informationem, aút inhærentiam repugnantem gratiæ unionis, & eſſe perſonali Verbi Divini.

19 Ad confirmationem nego mai.: ad probationem, conceſſo antec., nego conſeq.. Diſparitas eſt; quiá ùt eſſe perſonale Verbi Divini reddat humanitatem Chriſti Deificatam, dignam cultu, ſanctam radicalitèr, àc formalitèr ſubſiſtentem, ſufficit, quòd per modum termini intrinſeci ſubſtantia-

tialiter uniatur humanitati, prę-cisâ omni informatione, aùt inhærentia, quę minimè ne-cessaria est in Verbi subsisten-tia ad præstandos illos effec-tus. At verò, cùm sanctitas for-malis in ordine ad beatitudi-nem sit forma communicata non per modum termini, sèd per modum formæ intrinsecæ, ne-cessariò dicit informationem, aùt inhæsionem; & cùm hoc repugnet personalitati Ver-bi, hinc est, quòd nequit eam formalitèr sanctificare.

20 Arguitur ultimò: si Verbum Divinum assumeret naturam irrationalem, ùt po-tuit, talis natura ratione unio-nis esset formalitèr sancta sanc-titate possibili tali naturæ: ergò assumendo naturam ratio-nalem illam constituit forma-litèr sanctam sanctitate possibi-li tali naturæ. Nùnc sic; sèd naturæ rationali possibilis est sanctitas, quæ eam gratam, Deo acceptam, & dilectam amore amicabili in ordine ad beatitu-dinem, & ad alia dona su-pernaturalia, constituat: ergò istam habet per gratiam unio-nis formalitèr. Respondeo, quòd in tali casu natura irrationa-lis, sic assumpta, ratione unio-nis esset sancta sanctitate in li-nea consecrationis ad cultum, & sanctitate personali per com-municationem idiomatum; qua què sanctitate etiàm gratiâ unionis redditur sancta huma-nitas Christi Domini; quià hæc est tantùm possibilis præs-tari ipsi à gratia unionis, vèl personalitate Verbi Divini; non verò esset sanctitas formalis in ordine ad beatitudinem. Undè in hoc sensu concedo antec., & conseq.

21 Ad subsumptam, ipsam concedo, & nego con-seq.; quiâ estò natura humana sit capax sanctitatis in ordine ad beatitudinem; hæc tamèn sanctitas est extrà ordinem, & genus sanctitatis præstabilis á gratia unionis; cùm hæc solùm sit in ordine sanctitatis perti-nentis ad cultum, & sanctita-tem personalem, non verò sanctitatis formalis substantia-lis; quiâ ad hanc sanctitatem substantialem nullam aptitudi-nem habet natura humana; cùm non sit substantialitèr incom-pleta respectu huius sanctita-tis, & solùm incompleta sit in linea subsistendi. Alia argumen-ta militantia contrà istum con-clusionem soluta manent in quæst. antecedentibus. Sit ergò

DISP.

DISPUTATIO V.

DE IMPECCABILITATE CHRISTI DOMINI.

Habito ſermone de gratia, & ſanctitate Chriſti Domini, ordo doctrinæ nos cogit, ùt de ejus impeccabilitate tractemus in iſta diſputatione, quæ certè varias difficultates continet, quapropter ipſam in queſtiones, iſtaſquè, ſi opus fuerit, in ſectiones, ſecabimus. Sit ergò....

QUÆST. I.

Utrùm S. S. P. P. adverſetur hæc propoſitio: Chriſtus, ùt homo, potuit peccare?

1 ADeò exoſa viſa fuit aliquibus Theologis pars affirmativa huius propoſitionis, ût eam cenſurent nedûm viro Theologo indignam, sèd etiám ût doloſam, piarum aurium offenſivam, blaſphemam, temerariam, & hæreticam; sèd, quô fundamentô, in ipſius reſolutione videbimus. Pro quo noto primò, tamquàm de fide certum, dari in Chriſto Domino duas naturas, divinam unam, & creatam alteram; & creatam habere animam rationalem eiuſdem rationis cum noſtra, ſuaſquè proprias potentias creatas, intellectum, ſcilicèt, & voluntatem; quod conſtat ex diſp. 1. quæſt. 1. huius tract. In præſenti ſolúm loquimur de voluntate creata, & humana Chriſti Domini.

2 Noto 2., quòd Chriſtus Dominus nèc originale peccatum contraxit, nec actuale unquàm commiſit. Veritas hæc eſt de fide Catholica contrà Neſtorianos, ſentientes in Chriſto fuiſſe peccatum Originale: & contrà Calviniſtas, & alios hæreticos blaſphemé aſſerentes, Chriſtum de facto peccaſſe actualitèr, tùm in inordinata oratione, qua petijt á Patre in hor-

to;

to: *tranſeat á me calix iſte*; tùm in Cruce deſperando,& clamando: *Deus, Deus meus, ùt quid dereliquiſti me!* Sèd iſti perverſi poſuerunt in Cœlo os ſuum; contrà quos ſtat prima Petri cap. 2.: *qui peccatum non fecit, nèc inventus eſt dolus in ore ejus*; quod intelligitur de peccato actuali. Et de originali illud Lucæ 1.: *quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.*

3 Noto 3., quòd in preſenti providentia certum de fide habemus, Chriſtum Dominum abſolutè dicendum eſſe impeccabilem, quin hoc poſſit in controverſiam verti; quamvis lis ſcholaſtica ſit, â quo immediatè, & formalitér hæc impeccabilitas proveniat? De qua queſt. 3. huius. Suppoſitio conſtat ex 6. Synodo generali Conſtantinop. act. 8. ubi dicitur: „ humanam, & impeccabilem voluntatem aſſumpſit „ Dominus noſter Jeſus Chriſtus:: impoſsibile enim eſt in „ uno, & eodem Chriſto D. „ N. duas ſimúl, & ad invicèm „ contrarias ſeù diſsimiles exiſtere voluntates.

4 Quarê hæc propoſitio: *Chriſtus eſt peccabilis, aùt potuit peccare*, abſolutè ſpecificativè, & abſquè aliqua reduplicatione enuntiata (inſpecta hac providentia habita ergà Chriſtum Dominum) eſt hæretica; & non ſolùm definita contrà Calvinum, séd etiàm contrà nequiſsimum Arrium; nâm hic hæreticus negando, Verbum, caro factum, eſſe Æterno Patri conſubſtantiale; & credendo Chriſtum non eſſe Deum, credebat ipſum eſſe puram creaturam & peccatorem, ſicût quivis alius homo, ſaltém quoád potentiam; quamvis aſſereret, ipſum liberum arbitrium non defeciſſe actú in Chriſto Domino. Undè á principio naſcentis Eccleſiæ jàm orta fuit hæreſis ergá Chriſti peccabilitatem; licèt non ergà actuale peccatum ipſius.

5 Noto 4. ex dictis diſp. 2. huius, quæſt. 4. per totam, quòd licèt Chriſtus Dominus ût homo, ly *ut homo* reduplicante naturam humanam individuam, & ſingularem, non fuerit ſervus Dei propriè *ſervitute legali*; eſt tamèn propriè ſervus Dei *ſervitute naturali*. Ex qua ſuppoſitione Thomiſtæ ipſi admittunt, ùt veram, hanc propoſitionem: *Chriſtus, ùt homo, eſt creatura.* Ratio eſt; quia in ratione creaturæ fundatur ſervitus naturalis Chriſti reſpectu Dei. Talem propoſitionem admittit Div. Hieronym. in Epiſt. ad Epheſ.

cap.

cap. 2. ubi ait : *multi trepidant timore , nè Chriſtum creaturam dicere compellantur : nos autèm liberè proclamamus , non eſſe periculum , eum dicere creaturam, quem vermem , & hominem, & Crucifixum confitemur.* Ità etiám Nazianz. orat. 34.. Sanctus Leo Papa ſerm. 3. Pentecoſtes ; & ſic frequentèr alij Sancti P.P. Ex quo

6 Noto 5., quód juxtá S. S. P. P. ità eſt proprium creaturæ poſſe peccare , quòd ab ipſis , ſinè aliquo addito, dicatur hæc potentia de omni eo , quod non eſt Deus. Sic Div. Hieron. Epiſt. 146. ad Damaſc. : *Deus eſt in quem peccatum non cadit ; cætera autèm , cùm ſint liberi arbitrij, in utramque partem poſſunt ſuam flectere voluntatem.* Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. : *ideò creaturas deficere poſſe peccando , quià ex nihilo factæ ſunt.* Videatur ſupér hoc curſus huius almæ Provinciæ tom. 3. tract. 8. diſp. 1. queſt. 1. per totam. Noto 6. , quòd hoc concretum *homo* in ſenſu Theologico , & dogmatico ſumi poteſt duplicitèr, juxtà duplicem ſenſum uſurpatum á Concilijs: uno modo, proùt tantùm dicit naturam ſingularem , & individuam , præſcindendo á Perſona ; alio modo, proút etiám dicit naturam per ſe ſubſiſtentem , & perſonatam. In primo ſenſu loquimur hic.

7 Noto ultimò , quòd ſuppoſitum in creatis etiám habet duplicem ſenſum , ſcilicèt , philoſophicum , & theologicum. De illo philoſophicè ſumpto locuti ſunt antiqui Philoſophi , qui non agnoverunt realem diſtinctionem perſonalitatis à natura ſingulari exiſtente ; & ſic dicebant , rationem ſuppoſiti nihil aliud eſſe, quàm naturam ſingularem , per ſe exiſtentem. Theologicé verò ſumitur , proût de illo judicant theologi , ducti lumine fidei ex Myſterio Incarnationis , per quod nobis conſtat realis diſtinctio perſonalitatis à natura ſingulari , per ſe exiſtente. Undè in hac acceptione ſuppoſitum eſt , quod per ſe incommunicabilèr alteri, út ſuppoſito , ſubſiſtit ſubſiſtentiâ ſeparabilitèr diſtincta á natura, cuius eſt ſubſiſtentia. His ergò ſuppoſitis, ſit

CONCLUSIO:

8 Hęc propoſitio : *Chriſtus , ùt homo , potuit peccare*, minimé adverſatur S. S. Patribus ; imó congruens eſt doctrinæ ipſorum. Prob. 1. concluſio : propoſitio illa , quę ex præ-

præmiſsis SS. PP. legitimé infertur, nequit adverſari ipſis, séd ipſis eſt conformis; séd talis eſt hęc propoſitio reduplicativé ſumpta, & cadente ſuprá concretum ſingulare Chriſti: ergò &c. Mai. eſt nota; probatur min.: ex dictis S. S. P. P. notabili 5. num. 6., conſtat, quòd omnis creatura, quià ex nihilo facta, poteſt peccare, deorſùm ire, &c.; & ultrà, ex notabili 4. num. 5. conſtat, quód Chriſtus, ût homo, eſt creatura ex nihilo facta; séd hæc propoſitio: *Chriſtus, ùt homo, potuit peccare*, deducitur, & infertur ex his præmiſsis, quæ ſunt SS. PP.: ergò &c. Confirmatur 1.: hic diſcurſus eſt legitimus: *omnis creatura, quià ex nihilo facta eſt, poteſt peccare; sèd Chriſtus, ùt homo, eſt creatura ex nihilo facta: ergò Chriſtus, ùt homo, potuit peccare.* Mai., & min. ſunt SS. PP., ût patet ex notabilibus, quibuſqué libenter aſſentiunt Thomiſtæ. Conſeq. legitimé infertur: ergò noſtra propoſitio non adverſatur SS. PP., sèd infertur ex ipſis.

9 Confirmatur 2.: juxtà Div. Hieron. cit. hoc eſt verum: *quidquid Deus non eſt, sèd creatura, poteſt ſuam voluntatem in peccatum flectere*; sèd juxtà ipſummet Sanct. Doct. etiàm cit. ſine periculo dici poteſt: *Chriſtum ſecundùm humanam naturam eſſe creaturam*: ergò nullum eſt periculum in aſſerendo, quòd Chriſtus, út homo, ly *ùt* reduplicando ſingulare hominis, proût nos hic ſumimus, potuerit peccare. Urgetur ampliùs: Chriſtus, ût homo, reduplicatione ſic ſumpta, non eſt Deus; séd juxtà Div. Anſelm. lib. 2. *cur Deus homo*, cap. 10., Chriſtus non potuit peccare, quiá non ſolùm homo, sèd etiàm Deus erat: ergò cúm licêt Chriſtus, ut homo, reduplicando concretum perſonale, ſit Deus, non tamèn reduplicando *ly út homo* concretum tantúm individuale; quiá proût ſic tantùm eſt homo, ſequitur, quòd Chriſtus, ût homo, ſic reduplicando, potuerit peccare.

10 Reſpondent 1. Thomiſtæ, quód licèt Chriſtus, ût homo, ſub tali reduplicatione non ſit Deus, adhùc ſub illa non eſt tantùm homo; quiá ſub illa non excluditur unio hypoſtatica, sèd ſolùm ab illa, & Deitate præſcinditur. Sèd contrà: etſi non excludantur ſub illa reduplicátione Deitas, & unio hypoſtatica, sèd tantúm ab his præſcindatur, ſufficit hæc præciſio, út ſub illa re-

reduplicatione verificetur : *eſt tantùm homo , & non Deus* : ergò nulla eſt reſponſio. Prob. antec. : juxtà Thomiſtas , ùt de Chriſto Domino prædicetur, quòd ſit creatura , & ſervus, non requiritur , quòd ſub hac reduplicatione : *Chriſtus , ùt homo , eſt creatura , eſt ſervus Dei* , excludatur unio hypoſtatica , ſéd ſufficit , quòd ab illa , & Deitate præſcindatur: ergò ſimiliter non erit neceſſaria talis excluſio ad prædicandum de Chriſto , ſub tali reduplicatione , prædicatum hominis , & potentiæ peccandi.

11 Reſpondent 2., quòd ex authoritatibus SS. PP. ad ſummum infertur in Chriſto Domino potentia remota peccandi. Undè nequit dici de Chriſto homine poſſe peccare, niſi cum hoc addito : *potentia tantùm remota.* Séd contrà : in primis mirum eſt , quòd Thomiſtæ non afferant aliquam authoritatem alicuius Sancti Patris , in qua hæc reſtrictio ponatur ; cùm nos habeamus Hieronymum , Gregor. , Damaſc., Nazianz., Leon. Papam , alioſquè quàm plures afferentes ſinè aliquo addito , creaturam intellectualem , quà creaturam, poſſe deorſum ire , in deterius prolabi , & in malum ſuam flectere voluntatem. Deinde: juxtà Thomiſtas , etſi verum ſit , quòd Chriſtus , ùt homo, eſt Dei ſervus cum hoc addito : *ſervitute naturali* , hoc tamèn non impedit , quòd ſit vera hæc propoſitio : *Chriſtus , ùt homo , eſt ſervus Dei* : & quòd ſinè addito inferatur ex præmiſſis S.S. P.P.. Núnc ſics ſèd ſinè addito aliquo infertur ex præmiſſis SS. PP. hæc propoſitio : *Chriſtus , ùt homo, potuit peccare* : ergò ſinè addito poteſt proferri talis propoſitio.

12 Probatur 2. concluſio ex doctrina Thomiſtarum: propoſitiones SS. PP. affirmantes de Chriſto , ùt homine , ſervitutem, verificantur de ipſo reduplicativè , *ùt homine*; quià natura humana , juxtà Div. Thom., habet ex ſua conditione triplicem ſubjectionem ad Deum , ſcilicèt , quantùm ad gradum bonitatis ; quantùm ad Dei poteſtatem ; & quantùm ad operationem , proùt illius mandatis obtemperat; sèd in iſta ultima ſubjectione, quę naturæ humanę convenit , includitur potentia phyſica peccandi , & non obtemperandi mandatis Dei : ergò propoſitiones SS. PP. enunciantes de Chriſto , ùt homine , ſervitutem , enuntiant etiàm ſub eadem reduplicatione de Chriſto, ut

ût homine, potentiam physicam peccandi. Min. constat; quiá natura humana ex sua conditione non habet indefectibilitatem in operando, & consequentèr nèc in obtemperando Dei mandatis. Videantur Illmus. Godoy, & Gonet, & videbitur, quód eorum rationes fuvent nostræ propositioni.

13 Respondebis tamén, quòd ex his omnibus rationibus ad summum illativè haberur, esse in humanitate assumpta potentiam physicam peccandi: tamén nullus ex SS. PP. expresse affirmat talem potentiam, sicût sunt quàm plurimi expresse affirmantes impotentiam peccandi. Séd contra; nàm hoc admisso, quæro á contrariis: est nè aliquis ex SS. PP., qui talem impotentiam explicet per negationem potentiæ physicæ ad peccandum ortam formaliter, & immediatè ex unione hypostatica humanitatis ad Div. Verbum? Si est; proferant in medium, sicût & nos fecimus; si non est ita expressa: ergò eorum propositio solúm illativé habetur ex SS. PP., & non expresse. Séd ût hoc clariùs fiat.::

Proponuntur authoritates SS. PP. contrà nostram conclusionem.

14 Arguitur 1. authoritate 6. Synodi gener. Constantinop. posita num. 3. huius: *impossibile est, &c.* Secundò authorit. Mag. Par. Augustt., qui in Psalm. 34. explicans, quomodò anima Christi plena fuit odore unguentorum gratiæ, ait: *ità anima Christi velùt vas, in quo inerat substantia unguenti, impossibile fuit, ût contrariorum reciperet odorem.* Et lib. 3. contrà Maximum cap. 25.: *naturà verò humanà, qualem naturam Christus humanæ mentis assumpsit, quæ nullo peccato potuit depravari, solus maior est Deus.* Et lib. 2. de incarn.: *per hoc solà* (id est per unionem) *omnium animarum peccati incapax fuit; quia Filij Dei benè, & plenè fuit capax.* Tertiò arguunt ex Divo Antel. lib. 2. *cur Deus homo*, cap. 10. dicente: *Christum ideò non potuisse peccare, quià non solùm homo, sèd etiàm Deus erat.*. Quartò ex Divo Hilario, lib. 1. de Trinit. aiente: *Hominem Christum non potuisse admittere peccatum, dùm Christus est; quià, qui Christus est, non potest amittere, quod*

Chriſtus eſt. Omitto alia teſtimonia, quę congerunt Thomiſtæ; nam hæc ſelectiora ſunt, & eodem modo, ac iſta, ſolventur. Et in primis

15 Reſpondeo, quôd ultimæ authoritates Anſelmi, & Hilarij, ſicùt & aliorum PP., ſolùm probant, Chriſtum, ût hominem, *ſpecificativè* acceptum, non verò reduplicativè, reduplicatione tantùm cadente ſuprà concretum individuale, eſſe impeccabilem, quod nullus Scotiſta negat; imò tamquàm certum de fide confitemur; quia ſic eſt quid ineffabile compoſitum ex divinitate, & humanitate unitis in unitate Perſonæ Divini Verbi. Quapropter de ipſo ſub hac acceptione non eſt quęſtio; nec de ipſo in ſenſu reduplicativo, reduplicatione cadente ſuprà concretum perſonale, propter eamdem rationem. Sed tantùm eſt difficultas de Chriſto, ût homine, reduplicatione cadente ſolùm ſupra concretum individuale; quia ſic eſt Servus, Creatura, & non Deus. His ergò omiſſis, videamus nunc, quid authoritates Concilii, & Auguſt. contrà nos probent; nam ly *impoſſibile*, & ly *non potuit* magnoperè exagerantur à Contrariis. Sed antè reſponſionem

16 Noto ex Mag. P. Gregor. Nazianzen. lib. 4. Theologię antè dimidium, quòd hoc Verbum *poſſe*, vèl non *poſſe*, non uno modo dicitur; variam enim, ac multiplicem ſignificationem habet; & inter alias audî Sanct. Doct.: „ im- „ poſsibile etiam dicitur, quod „ minimè æquum eſt, rationi- „ què conſentaneum, cuiuſ- „ modi eſt illud: *non poſſunt* „ *Filii thalami ieiunare, quam-* „ *diu præſens eſt Sponſus.* Et „ poſt pauca proſequitur: quar- „ ta ſignificatione, hoc fieri „ non poſſe, dicitur, à quo „ noſtra voluntas abhorret, cu- „ iuſmodi eſt illud: *non pote-* „ *rat illic ſigna facere prop-* „ *ter incredulitatem eorum,* „ *qui ea excepturi erant*:: quam- „ quàm haud ſcio, an hoc „ quoquè tertio adjungendum „ ſit, quod impoſsibile nihil „ aliud ſignificat, quam quod „ minimè ratione conſentaneum „ eſt, nequè enim rationi con- „ venit :: iàm quidém illud „ quoquè impoſsibile dicitur, „ quòd naturà quidém impoſ- „ ſibile eſt; Deo autèm volen- „ te, poſsibile; quo in genere „ eſt illud: eumdem hominem „ bis naſci non poſſe. Præter „ hos omnes modos impoſsibi- „ le dicitur, quod nulla om- „ ninò ratione fieri poteſt. Hæc

Sanct.

Sanct. Doct., & Eccleſiæ Magnus Pater.

17 Ex quo habes, quòd impoſsibile ex Sac. Scriptura accipitur vèl pro eo, quod nèc congruum, nèc conſentaneum, nèc conveniens rationi eſt: vél pro eo, quod naturalitèr non poteſt fieri: vél tandém pro eo, quod omninó eſt impoſsibile. Hoc ſuppoſito, quæro à Thomiſtis: cúr authoritates Concilii, & Auguſt. pro *impoſsibilitate*, & *non poſſe* peccare humanitatem Chriſti Domini debeant intelligi præcisè in ultima ſignificatione impoſsibilitatis adductæ à Nazianz., & non in aliis, ùt intelligunt, & explicant Scotiſtæ? Et hoc maximé, cùm SS. PP. in prælegatis authorit. non loquantur de potentia abſoluta, quomodó hic diſputatur; sèd tantúm de potentia ordinaria, & de lege communi, in quo tantùm ſenſu contra hæreticos, & Judæos diſputabant. Et hęc eſt prima reſponſio pro his authoritatibus.

18 Reſpondeo ſecundò, quòd ly *impoſsibile*, & ly *non poſſe peccare* intelligitur pro eo, quod humanitati Chriſti Domini non erat conſentaneum, congruum, aùt decens, ùt laberetur in peccatum; quod & nos ultrò fatemur, & ex profeſsò dicemus quæſt. 3. huius. Et certé hæc expoſitio, & reſponſio ſufficiens habet fundamentum in Sac. Scriptura. Audiatur Div. Paul. ad Hebræos cap. 7. dicens: *talis decebat, ùt eſſet nobis Pontifex Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus.* Ubi cùm N. Maſtrio reflectendum eſt ſuper ly *decebat*; non enim dixit Apoſtolus: *neceſsè erat*, nèc *impoſsibile omninò*, sed duntaxàt: *decebat*; ùt oſtenderet, impoſsibilitatem peccandi in humanitate Chriſti Verbo unita, non eſſe impoſsibilitatem in ultima acceptione Nazianz.; séd ex quadam decentia, congruentia, aùt conſentaneitate orta ex omnibus donis ſupernis, quæ humanitati Chriſti Domini collata fuere, modo dicendo quęſt. 3. huius. Núnc verò

19 Reſpondeo ſingilatim ad authorit. Concilii, & Aug. Concilium ergó ibi ſolùm intendebat definire contrà Macharium, & Stephan., in Chriſto Domino eſſe duas voluntates, divinam, & humanam; & quamvis certum ſit, quòd humanam impeccabilem vocet, tamèn non aſsignat cauſam impeccabilitatis, nèc modum: áu, ſcilicèt, ſit ab intrinſeco hæc impeccabilitas, vi ſolius unionis, ùt dicunt Thomiſtę: áu ve-

verò ab extrinſeco, & ex vi donorum concomitantium ipſam unionem, ùt docent Scotiſtæ. Et certè, quòd non loquatur Concilium de impeccabilitate ab intrinſeco, vi ſolius unionis, ſatis patet; cùm parificet impeccabilitatem voluntatis Chriſti cum impeccabilitate voluntatis Adami in ſtatu innocentiæ. Alii faciliùs reſpondent, quòd authoritas Concilii *impoſſibile enim eſt*, non eſt Concilii, ſèd confeſsio Macharii hæretici, negantis duas voluntates in Chriſto.

20 Ad authorit. Magni Parentis Auguſt. dico, quòd etſi in verbis allegatis refundere videatur incapacitatem peccandi Chriſti Domini in ſubſtantialem unctionem humanitatis per ipſam divinitatem; eam tamèn refundit, ût in radicem moralem; quia talis incapacitas eſt debita humanitati debito congruentiæ ratione talis unctionis, & unionis hypoſtaticæ: formalitèr verò, & proximè non refundit Sanctus Doctor in talem unctionem talem incapacitatem; ſèd potiùs videtur eam refundère proximè, & formaliter in extrinſecam divinam providentiam, de facto ordinatam ergà humanitatem illam. Proſequitur enim paulò infrà: *ſicùt vas, quod ſubſtantiam continet unguenti, nullum aliud genus poteſt recipere liquoris, ità anima Chriſti, velùt vas, in quo erat ſubſtantia unguenti, impoſſibile fuit, ùt contrarium reciperet odorem.* Hæc Auguſt.. Nùnc ſic; ſèd vas continens ſubſtantiam unguenti, de potentia abſoluta Dei recipere poteſt aliud genus liquoris: ergò & illa humanitas divinitate uncta, etſi de facto in hac providentia peccare non poſsit, nèc capax ſit peccati, attenta potentia abſoluta Dei poſſet, & capax eſſet peccati.

21 Arguunt 2. Thomiſtæ: contrà SS. PP. Eſt dicère, quòd Chriſtus, ùt homo, peccavit: ergò &c. Prob. antec.: contrà S. S. P. P. eſt dicere: *Verbum Divinum peccavit*; ſèd ſi Chriſtus, ut homo, peccaret, verum eſſet dicere: *Verbum divinum peccavit*: ergò. Prob. min.: tunc caſus verum eſſet dicere, quòd ſuppoſitum Verbi divini peccavit, quià *actiones ſunt ſuppoſitorum*, quandò non *elicitivè*, ad minùs *denominativè*: ergò &c. Hoc argumentum non minùs, àc præcedens, eſt Achillès Thomiſtarum, & partim Jeſuitarum ad tuendam impeccabilitatem Chriſti Domini ab intrinſeco; dicendo, quòd Chriſtus Dominus

nùs fuit impeccabilis ab intrinſeco ratione unionis hypoſtaticæ phyſicè ſumptæ, de quo quæſt. 3. ſect. 1. diſputabimus. Et quamvis verum ſit, quod quàm plurimi Scotiſtæ non inferioris notæ de facili ſolvunt propoſitum argumentum, quorumquè ſolutiones & nos ſpeculabimus; tamèn ùt clariùs percipiatur ſolutio, & plùs clareſcant dicenda in tota quæſt. 3., placuit nobis pro argumento plenè ſolvendo diſtinctam apponere quæſt. Sit ergò

QUÆST. II.

An caſu, quo Humanitas Chriſti peccaret, veré diceretur: Chriſtus peccavit: ſeù ſuppoſitum Verbi peccavit denominativè?

1 SUPPONO primò, quòd Marian. Doct. nullibi concedit hanc propoſitionem: *Chriſtus, ùt homo, potuit peccare*; nam in 3. diſt. 12. & 18., quibus in locis de hoc tractat, ſolùm quòd innuit, eſt, naturam humanam Chriſti Domini habuiſſe poſsibilitatem ad peccatum; quòd quidèm valdè diverſum eſt à propoſitione propoſitâ. Sèd, quiâ valdè familiaris eſt in ore Scotiſtarum huiuſmodi propoſitio: *Chriſtus, út homo, potuit peccare*, quamqué in ſenſu catholico explicant; de quaquè & nos in quæſtione ſequenti agemus; conveniens eſt, út inveſtigemus, quid ſit de mente N. Subt. Doct. in caſu, quo hæc poſsibilitas ad peccatum in humanitate Chriſti Domini per poſsibile, aût impoſsibile ad actum reduceretur: àn túnc caſus poſſet dici, quòd ſuppoſitum Verbi denominativè peccaret; ità út denominatio caderet ſuprà ipſum ſuppoſitum Verbi? Et ùt hanc difficultatem reſolvamus,

2, Suppono ſecundò, quòd hoc axioma commune, & apùd Thomiſtas omninò verum: *actiones ſunt ſuppoſitorum*, tribuitur à Thomiſtis Philoſopho 1. metaph.; immeritò tamén juxtà N. Doct. in 4. diſt. 12. q. 3. §. *ad 2. principale*. Philoſ. ergò in loco prælegato ſolùm docet, *actionem, & generationem eſſe circà ſingularia*; quod quidém, ût vides, diverſiſſimum eſt. Sèd pro núnc non conceſſo, ſéd admiſſo huiuſmodi proloquio; noto, quód dupliciter poteſt intelligi: vèl *elicitivé*, vel *denominativè*. *Elicitivé* ſumptum vult dicere, quód ipſa ſuppoſitalitas ſimùl cum natura ſit comprincipium concurrens ad actiones, ſeù operationes naturæ; ità ùt ſuppo-

ſi-

ſitum ſit principium elicitivum *quo*, aút eliciens *quod*; ſicût in divinis omnipotentia reſpectu creaturarum eſt principium activum eliciens *quo*, & hoc ſingulare, ſeu natura divina ſingularis eliciens *quod*. Et in creatis reſpectu intellectionis creatæ intellectus eſt eliciens *quo*, & hoc ſingulare eliciens *quod*. Si ſumatur *denominativè*, innuit, quòd ſuppoſitalitas ſit ratio denominandi ſuppoſitum, & iſtud ſit, quod ultimò denominatur. Hoc ſuppoſito,

3 Suppono, 3., quòd prædictum axioma, *elicitivè* ſumptum, eſt abſolutè falſum, tám in divinis, quâm in creatis. Prob. quód in divinis: actiones divinę vél ſunt ad *intrà*, vél ad *extrà*: & quæ ad *intrà*, vèl eſſentiales, vél notionales; sèd reſpectu omnium iſtarum operationum non eſt verum prędictum axioma in ſenſu *elicitivo*: ergó. Prob. primó de operationibus eſſentialibus ad *intrà*; nàm iſtæ ſunt naturæ divinę, & dicuntur de ipſa priuſquàm concipiatur per relationes perſonales prioritate *in quo* intelligentiæ; Deus enim dicitur ſe comprehendens, & amans pro priori ad productionem Filii, & Spiritus S.; undè emanavit illud axioma: *in divinis eſſentialia ſunt priora notionalibus*: ergò reſpectu operationum eſſentialium Dei non tenet: *actiones ſunt ſuppoſitorum elicitivè*.

4 Prob. ſecundò, quód néc teneat reſpectu operationum notionalium, quales ſunt productiones Filij, & Spiritus Sancti: operationes iſtæ ſunt naturæ divinę fœcundantis divinum intellectum, & voluntatem; ità ùt hæ potentiæ ſint integra, & adæquata principia generandi, & ſpirandi in ratione principij *quo*: relationes verò ſolùm ſunt conditiones, út Perſona dicatur principium *quod*; non veró ſunt virtutes producendi: relatio enim Perſonę producentis requiritur, út diſtinguatur producens á producto; non verò, út habeat virtutem productivam: ergò reſpectu harum operationum notionalium non ſe habet ſuppoſitum *elicitivè*. Undè Pater Æternus eſt principium *quod* producens, & generans Filium; non quiá paternitas ſit cauſa, aút ratio formalis veritatis productionis, & generationis; séd quiá generatio eſt operatio perſonalis, quæ eſt neceſſariò diſtincti operantis ab operato; & ideò nequit attribui in divinis naturæ, quæ ſe habet ùt forma; cùm ipſa ſit per ſe indiſtincta, út in tribus. Ex hoc habetur, quod actiones notionales in divinis ſunt ſuppoſitorum, ût prin-

principium *quod* denominatum ultima denominatione, hoc eſt, generare.

5 Probatur tertiò quòd prædictum axioma non ſit verificabile in divinis in ſenſu *elicitivo* adhúc reſpectu operationum Dei ad *extrà*: tota, & formalis ratio agendi ad *extrà* in Deo eſt ejus intellectus, aùt voluntas, vèl omnipotentia ab his diſtincta ſecundùm diverſas opiniones. Undè eſt commune axioma theologicum: *opera ad extrà ſunt indiviſa toti Trinitati*, & conſequenter, creaturas dependere à Deo, non ùt trino, ſéd ut uno: ergò divina ſuppoſita non ſunt principium elicitivum, nèc ùt *quo*, nèc ùt *quod* operationum Dei ad *extrà*. Hoc expreſsè habetur à N. Doct. in 1. diſt. 4. quæſt. 2. §. *sèd nunquàm*. An verò actiones Dei ad *extrà* ſint à ſuppoſitis *denominativè*? ſub lite eſt inter Scotiſtas. Nunc veró

6 Videamus, quòd néc in creatis eſt verum prædictum axioma: *actiones ſunt ſuppoſitorum elicitivè*. Licèt ſubſiſtentia, & ſuppoſitalitas in naturis ſuppoſitatis ſit conditio per ſe præcedens naturali quadam præſuppoſitione actiones naturæ, quatenùs priùs eſt eſſe, quàm operari, & ſic priùs ſubſiſtere; tamèn non eſt cum natura principium *elicitivum* ſuarum operationum: imó nèc eſt conditio ſimplicitèr requiſita ex parte principii *quo*, ſcilicèt, naturæ; aùt ex parte principii *quod*, ſcilicèt, ſingularis ad operandum: ergò in creatis actiones non ſunt *elicitivè* à ſuppoſitis. Antec. quoad primam part. patet tàm in ſententia conſtituente ſubſiſtentiam creatam in negativo, quàm in ſententia de poſitivo. Et probatur: ſola natura reſpectu ſuarum operationum eſt tota ratio agendi; cùm ſola ipſa ſit tota ratio aſſimilandi ſibi effectum productum: ergò ſubſiſtentia (etiàm ſi in poſitivo conſiſtat) non eſt cum natura principium *elicitivum* ſuarum operationum; cùm potiùs ſit ratio diſtinguendi producens, & productum creatum, quàm ratio aſſimilandi.

7 Probatur ſecunda pars, ſcilicèt, quòd ſubſiſtentia non ſit conditio ſimplicitèr requiſita, nèc ex parte principii *quo*, nèc ex parte principii *quod*: conditio ſimplicitèr requiſita ex parte naturæ ad operandum eſt illa, ſiné qua nequit cauſa ullo modo ſuos effectus producere, ùt patet in exiſtentia, quę eſt conditio ſimplicitèr requiſita ex parte naturæ ad operandum;

ità ùt ſinè ipſa ſit ſimplicitêr impotens ad operari; ſéd natura poteſt abſolutè elicere ſuas operationes ſinè ſubſiſtentia, ùt patet in anima ſeparata eaſdem operationes intellectionis, & volitionis habente, ac dúm erat corpori conjuncta: & in albedine in Euchariſtia, quæ eodem modo diſgregat viſum póſt conſecrationem, ac anteá; quin nèc anima ſeparata, nèc talis albedo ſint ſuppoſitata, ſicùt antéa: ergò quiá ſubſiſtentia non eſt conditio ſimplicitêr requiſita néc ex parte principii *quo*, nèc principii *quod*. Videatur ſupèr hoc N. Sapientiſſ. Quiroga in ſua axiomatum explicatione ſupèr hoc axioma.

8 Ex dictis ergò habes, quòd nos in præſenti non quærimus: án ex ſuppoſitione, quód poſsibilitas, ſeú potentia humanitatis Chriſti Domini ad peccandum reducererur ad actum, Chriſtus, út homo, ſeù ſuppoſitum Verbi Divini diceretur peccans, ſeú peccator *elicitivè*? Hoc enim nefas eſt audire; quantò magis proferre. Undè temerarium eſſet, hoc in dubium vertere. Et quamvis Thomiſtæ hoc inferre conentur ex ſuo indubitato proloquio: *actiones ſunt ſuppoſitorum, nedùm denominativè, sèd etiàm elicitivè*; fruſtrá laborabunt, & ſempér aerem verberabunt, ût ſatis liquet ex dictis. Quaré difficultas tota eſt: án talis propoſitio teneat in ſenſu denominativo? Hoc eſt: an in tali caſu, quo humanitas Chriſti Domini peccaret, ſuppoſitum Verbi Divini denominaretur peccans, aùt peccator? Sit

CONCLUSIO:

9 Caſu poſsibili, vél impoſsibili, quo humanitas Chriſti Domini peccaret, nullo modo ſuppoſitum Verbi Divini denominaretur peccans. Concluſio eſt N. Doct. in locis citandis. Probatur 1. ex ipſo in Report. ſuper 3. diſt. 12. quæſt. unic., ubi contrà ſe ſic objicit: *omnes operationes Chriſti ſunt operationes Verbi per communicationem idiomatum: igitúr impoſsibile eſt naturam aſſumptam peccare, niſi Verbum obliquè ageret; sèd hoc eſſet, Verbum non eſſe Verbum: igitùr &c.* Huic ergò argumento ſic reſpondent num. 6.: *ad ſecundam rationem priùs factam, quæ eſt ſpecialis de operatione Verbi; cùm dicitur: omnes operationes operatur Verbum, quas operatur natura humana.*

10 „Dico, quód nullam „rationem cauſæ habet Verbum

„ bum reſpectu operationis „ Chriſti, quam non habet Pa„ ter, & Spiritus Sanctus; nèc „ eſt operatio naturæ humanæ „ à Verbo, quę non eſſet à to„ ta Trinitate, ſicut ſi eſſet „ natura humana ſibi dimiſſa; „ sèd tùnc non eſſet commu„ nicatio idiomatum; (*noten„ tur ſequentia verba*) non ta„ mèn dicitur, Verbum deno„ minari ab operatione ſecun„ dùm naturam humanam; et „ ſi ipſa obliquè ageret, non „ aliter denominaretur Verbum „ ab operatione aliqua, quàm „ núnc tota Trinitas propter „ hoc quod agit quantùm ad „ ſubſtantiam actus, cùm quis „ actù peccat. Tamèn malè ſo„ naret de Deo, quòd Ver„ bum obliquè operaretur, & „ inconveniens eſt, quód na„ tura aſſumpta obliquè agat; „ quià de congruo habet ple„ nitudinem gratiæ; sèd non „ eſt contradictio, naturam *aſ„ ſumptam obliquè agere.* Hęc „ Subt. Doct..

11 Ex quibus in primis habetur, quòd omnes operationes Chriſti ſunt operationes Verbi per communicationem idiomatum, eſt falſa; séd ſi aliquæ operationes, convenientes naturę humanæ, non verificantur de ſuppoſito Verbi per communicationem idiomatum, maximè hæc: *Chriſtus, út homo, peccat*: ergo talis propoſitio nec per communicationem idiomatum, nèc denominativè poteſt verificari de ſuppoſito Verbi; quiá quod denominativè verificatur, ratione communicationis idiomatum verificatur. Secundò expreſsè docet Doct. hic, quòd ſi natura aſſumpta obliquè ageret, aùt peccaret, non denominaretur Verbum ab illa operatione peccaminoſa, nèc reſpectu illius haberet aliam denominationem, quam habet tota Trinitas concurrens ad materiale peccati, cùm quis actú peccat: ergò juxta Doct., ſi natura aſſumpta peccaret, denominatio peccatoris, nèc *elicitivè*, nèc *extrinſecè denominativè* caderet ſuprà ſuppoſitum Verbi.

12 Prob. 2. concluſio ex eodem Doct. in 1. diſt. 12. quæſt. 1., ubi dicit: *ex quo ſuppoſita non denominantur actione formæ, niſi quià habent eſſe per formam, denominarentur ab eadem actione, ſicùt haberent eſſe illius formæ activæ.* Ex quibus ſic formatur ratio: juxtà Doct. actio naturæ denominat ſuppoſitum, & ipſi tribuitur, tamquàm principio *quod*, quandò natura ſecundùm rationem, quà habet actionem,

dat ſuum eſſe ſuppoſito, in quo ſubſiſtit; sèd natura humana ſecundúm rationem, qua peccaret, non daret, nèc poſſet dare ſuum eſſe ſuppoſito Verbi: ergò ſi in aliqua providentia peccaret, nèc ſuppoſitum Verbi eſſet principium *quod*, néc denominaretur peccans á peccato talis naturę. Mai. eſt expreſſa Scoti. Min. verò probatur: natura humana ſecundúm rationem, qua non eſt à Deo, sèd merè *ex nihilo*, & *ex non eſſe*, non dat ſuum eſſe ſuppoſito Verbi; sèd ratio, quâ natura humana peccaret, non eſt à Deo, sèd merè *ex nihilo*: ergò ſecundûm rationem, qua peccaret, non daret ſuum eſſe ſuppoſito Verbi. Mai. conſtat; nàm ideó, quamvis natura humana ſit facta ex *nihilo*, & *ex non eſſe*, hoc quod eſt, *ex nihilo eſſe*, non cadit ſupra Verbum, nêc dici valet: *Verbum eſt ex nihilo, adhûc proût ſuſtentat naturam humanam.*

13 Prob. mîn.: ratio formalis peccabilitatis eſt ordo ad deformitatem, quæ eſt in actu peccaminoſo; sèd hic ordo, ùtpotê exoſus Deo, ab ipſo Deo nequit eſſe, ut expreſsê tenet Doct. in 2. diſt. 44. quæſt. unic., dicens: *iſte ordo ad peccare nihil eſt, ſicût terminus, ſcilicèt, peccare nihil eſt; & ideò non eſt à Deo.* Urgetur: natura humana dat ſuum eſſe ſuppoſito Verbi ſecundùm rationem, qua eſt à Verbo dignificabilis; sèd ſecundúm rationem, quá eſt moralitèr defectibilis, non eſt à Verbo dignificabilis: ergó ſecundúm rationem, qua eſt defectibilis, non dat ſuum eſſe ſuppoſito Verbi, & conſequentér néc denominat. Mai. conſtat ex eo, quod dumtaxàt dat ſuum eſſe ſuppoſito Verbi ſecundùm omnem illam rationem, ſecundùm quam eſt á Verbo aſſumptibilis: & ſolùm, ùt dignificatur á Verbo, eſt à Verbo aſſumptibilis. Prob. min.: omne à Divino Verbo dignificabile, eſt á Deo acceptabile, & amabile; sêd natura humana ſecundúm rationem, qua eſt moralitêr defectibilis, & dicit formalem ordinem ad peccatum, nequit á Deo acceptari, & amari; cùm, proút ſic, non ſit â Deo; quià hoc habet ex eo, quod ſit ex nihilo: ergó &c.

14 Prob. 3. concluſio: etſi actiones naturæ ſubſiſtentis in proprio ſuppoſito poſsint ipſum denominare, & de facto denominent; non tamên actiones naturę ſubſiſtentis in alieno

no ſuppoſito, niſi alienum ſuppoſitum exerceat ergà ipſas aliquem moralem influxum (nàm phyſicum nullum habere poteſt); sèd ſuppoſitum Verbi Divini eſt alienum reſpectu naturę humanæ aſſumptæ, nèc ullum influxum moralem habere poteſt reſpectu peccati, caſu quo natura humana aſſumpta peccaret, ùt de ſe conſtat: ergò nullo modo denominaretur à peccato peccans. Prob. maior: ratio, cùr omnes actiones ſunt denominativè ſuppoſiti proprii, eſt, quià hoc, ſeù ſuppoſitalitas propria fluit á natura ipſa, & eſt proprium naturale completivum ſubſtantiale eius, ab illaquè ſpecificatur; propterea què, quamvis *elicitivè* ſint ſolùm á natura ſingulari, meritò appropriantur ſuppoſito, & illud denominant, út proprium completivum naturale, & ſubſtantiale; sèd nihil horum reperitur in ſuppoſito divino reſpectu naturæ humanæ aſſumptę; quià licèt ſit completivum ſubſtantiale talis naturæ, eſt tamèn alienum, & non fluit ab ipſa, nèc influxum moralem ergà actiones peccaminoſas habere valet: ergò etſi actiones, &c.

SOLVUNTUR ARgumenta.

15 Arguitur 1.: in Concilio Florent. ſeſ. 18. & 19. approbatum eſt hoc proloquium: *actiones ſunt ſuppoſitorum*; sèd hoc ipſo, ſi Chriſtus, ût homo, peccaret, eius ſuppoſitum divinum diceretur, aút denominaretur peccans; nàm ad minús in hoc ſenſu approbatum eſt dictum axioma: ergò. Mai. conſtat; nàm Joannes Theologus diſputans cum Græcis de proceſsione Spiritus Sancti à Filio, ad declarandum, quòd Pater generat, & non Eſſentia, ſic arguit: *quià eſſentia non ſignificat ſuppoſitum: actiones autèm ſunt ſuppoſitorum, ſicùt in humanis univerſa clamat philoſophia*: ergò &c. Reſpondeo 1., certum eſſe prędictum Concilium approbaſſe, & definiſſe ſententiam proceſsionis Spiritus Sancti à Filio; sèd ex hoc non ſequitur, quòd approbavit, & definivit rationem, qua uſus eſt Joannes Theologus; tûm, quià neſcio, qua veritate dixit: *ſicùt in humanis univerſa clamat philoſophia*; cùm per integrum ſęculum prędeceſſerit Schola Scotica in diverſis Europæ Univerſitatibus oppoſitum clamans.

Tum

16 Tum; quià in more eſt apúd Concilia approbare, & definire aliquam veritatem, relinquendo tamèn medium, aút rationem, qua utuntur Theologi, in ſuamet probabilitate. Hoc patet in 7. Syn. gen., ubi quidam Theologus diſputans cum hæreticis, ùt probaret: *Angelos depingi poſſe*; aſſumpſit pro medio: *Angelos eſſe corporeos*, quod tunc erat valdè communis opinio: & Concilium, eſtò approbaverit concluſionem ex tali principio deductam, non tamèn ex hoc approbavit principium illud. Sic in præſenti. Reſpondeo ſecundò, quòd eſtó tale principium teneat in divinis reſpectu operationum notionalium (in qua materia loquebatur Joannes Theologus) ſaltèm denominativè, & ut conditio prærequiſita ad diſtinctionem operantis ab operato; ſecús verò in creatis.

17 Arguitur 2.: ideò caſu, quo humanitas Chriſti peccaret, ſuppoſitum divinum non poſſet adhùc denominativè dici peccans per communicationem idiomatum, quià malè ſonaret de Deo, quòd Verbum obliquè operaretur, juxta Subt. Doct. cit. num. 10.; sèd hoc non eſt verum: ergò quiâ non inconvenit, quòd ſuppoſitum denominetur peccans. Prob. min.: non inconvenit, quòd Chriſtus, ùt homo, denominetur creatura, & incœperit eſſe: ergò nec inconvenit, quòd denominetur peccans. Antec. eſt Doct. in 3. diſt. 11. q. 1. §. *alitèr dicitur*. Reſpondeo, conceſſa mai., negando min.: ad cuius probationem aliqui Scotiſtæ negant abſolutè antec.; & conſequentèr conſeq.. Séd, út à communiori ſententia non recedamus,

18 Nota, quòd nomen *creatura* poteſt ſumi ità rigoroſè, út non ſolùm ſit ex nihilo, ſeù ex nullo præſuppoſito ſubiecto, sèd etiàm ùt nullùm eius eſſe præceſſerit eius creationem; ſic etiàm ſumi poteſt ly *incipere eſſe*. Et in hoc ſenſu certum eſt, quòd Chriſtus non eſt creatura, nèc incœpit eſſe; quià non eſt tantúm homo, séd etiàm Deus. Secundò poteſt ſumi non ità rigoroſè, sèd præciſè pro quocumque in tempore producto, quod prædicetur de creatura; in quoquè ſenſu iſtæ propoſitiones: *Chriſtus, ùt homo, eſt creatura*: *Chriſtus, ût homo, incœpit eſſe*, *ly ût* appellante non ſuprà concretum perſonale, sèd ſuprà concretum individuale, & ſingulare, poſſunt concedi; quià ùt prædicatum aliquod

ab-

abſolutè enuntietur de ſubiecto, ſufficit, quòd conveniat alicui parti ſubiecti, ſivè conveniat parti materiali, ſivè parti formali; sèd eſſe creaturam, & incipere eſſe, convenit humanitati Chriſti: ergó in tali ſenſu ſunt verę tales propoſitiones. Circà hoc vide, quæ diximus tract. 1. diſp. 5. quæſt. 9. dubio primo, à num. 13. Hoc ergò animadverſo,

19 Reſpondeo ad argumentum, conceſſa mai., negando min.; ad cùius probationem, conceſſo antec., nego conſeq.. Non enim ea inconvenientia, quæ ſequuntur ex eo, quod Chriſtus, út homo, peccans, eius divinum ſuppoſitum denominetur peccans, inferuntur ex eo, quod Chriſtus, út homo, denominetur creatura, aut incipiens eſſe. Ratio eſt; quià cùm peccare ſit actio propria ipſius creaturę, ſeù Naturę humanę aſſumptæ, ſitquê odibilis Deo, ex hoc in ſuppoſito divino eſſet aliqua denominatio ipſum indignificans, denominanſquê dignum odii divini; quod eſt blaſphemum aſſerere. At eſſe creaturam, ſeù incipere eſſe naturam humanam Chriſti, ex ſe, & ex ſua ratione formali nullam imperfectionem involvit moralem, dignam odio Dei; & ſic quamvis ex hoc, quod Chriſtus, út homo, ſit creatura, & incœperit eſſe, eius ſuppoſitum denominetur creatura, non ſequitur, quòd ſit dignum tali odio.

20 Arguitur 3.: eſſe mortuum prædicatur de Chriſto: ergò & eſſe peccabile prędicaretur, caſu quo humanitas aſſumpta peccaret. Prob. conſeq.: eſſe mortuum eſt defectus naturæ humanæ non minùs, ac eſſe peccabile; & provenit in creatura pròùt ex nihilo, ſicút eſſe peccabile: ergô ſi, hoc non obſtante, eſſe mortuum prædicatur de Chriſto, etiàm eſſe peccabile prædicaretur de Chriſto, caſu quo eius humanitas peccaret. Reſpondeo, conceſſo antec., negando conſequentiam. Ad probationem, diſtinguo antec.: eſſe mortuum eſt defectus *phyſicus* humanitatis Chriſti, conc. antec.: eſt defectus *in linea morali*, nego antec., & conſeq.. Imó per ly *non minùs* poteſt negari abſolutè antecedens, & hac eadem ſolutione, quę ſatis clara eſt, poteſt ſolvi argumentum præcedens.

20 Ex dictis in tota hac quæſt. conſtat reſponſio ad ultimum argumentum propoſitum in quæſt. antec. num. 21., ad quod reſpondeo, conceſſo an-

antec., negando conſeq. : ad cuius probationem concedo mai., & nego min. ; ad probationem iſtius nego antec., cum imbibita probatione, cuius falſitas ex dictis patet. Séd quià quàm plures Scotiſtæ dicunt, quòd hæc propoſitio : *actiones ſunt ſuppoſitorum*, eſt vera ſaltêm in ſenſu denominativo, ideó præfato argumento aliter reſpondeo, quód quamvis Chriſtus denominaretur peccans, út homo, ly *út* appellante ſuprâ concretum, nihil indecoroſum poneretur in Deo, ſicùt nèc ponitur ex eo, quod Chriſtus, út homo, dicatur paſſus, mortuus, ſubditus, &c. : quæ non minùs repugnant Deo, quàm illud.

21 Hoc confirmant Scotiſtæ contrà Thomiſt. ſic: Deus potuit non conferre humanitati Chriſti ſcientiam beatam, nèc infuſam in vita mortali: & in tali caſu poſſet intellectus humanus Chriſti pati ignorantiam, & errorem, ſicût noſter patitur ſæpé ; & conſequentêr Deus diceretur ignorans, & errans. Similitêr, caſu quo aſſumpſiſſet naturam irrationalem, & tûnc paritèr diceretur Chriſtus irrationalis, & rationis incapax. Vèl ergó hæ denominationes, *ignorans*, *errans*, *rationis incapax*, *irrationalis*, sùnt horribilia, & abſurda de decentia Chriſtum, út ab ipſis denominetur, vél non ſunt? Si ſunt : ergó omnia hæc impoſsibilia ſunt, quod non concedunt : ſi non ſunt ſic horribilia : néc erit denominatio peccatoris. Tandém : non negabunt Thomiſtæ, quód in natura aſſumpta, ſecundùm ſe conſiderata, ſit potentia remota peccandi ; quia hæc eſt intrinſeca, & inſeparabilis â libero arbitrio creato. Infero : ergò de facto poteſt dici de Chriſto, quòd habet potentiam remotam peccandi ; sèd hæc non minùs repugnat, quòd dicatur de ſuppoſito divino, quàm potentia proxima, & ipſummet peccatum : ergó &c. Licét hę inſtantiæ faciant probabilem hanc ſecundam reſponſionem, meliùs eſt ſtare primæ.

QUÆST. III.

A quo proveniat impeccabilitas Chriſti Domini?

1 CUM omnibus Catholicis ſupponimus, Chriſtum Dominum nêc unquàm peccaſſe, nêc peccare potuiſſe. Eſt tamén celebris difficultas inter Theologos, undè ortum ducat hæc impeccabilitas Chriſti Domini ut homi-

minis? Et nota, quod non eſt quæſtio de impeccabilitate radicali, & remota; sêd de impeccabilitate proxima, & formali; hæc enim certum eſt, ex dictis diſp. antec. agendo de ſanctitate Chriſti, quód fundatur radicalitèr, & remotè in gratia unionis; cûm vi huius ſit debita congruentialitèr humanitati Chriſti impeccabilitas formalis, & proxima. Sèd quænam ſit ratio formalis proxima huius impeccabilitatis formalis de facto convenientis Chriſto, eſt quod in dubium vertitur.

2 Circá quam difficultatem duplex eſt oppoſita ſententia: prima communis extrá noſtram Scholam tenet, unionem hypoſtaticam eſſe talem cauſam; conſequenterquê humanitatem Chriſti Domini eſſe ab intrinſeco, abſolutê, & ſimplicitèr impeccabilem proximê, tàm in ſenſu compoſito unionis, hoc eſt, peccatum cum unione compoſitum; quàm in ſenſu diviſo, ſcilicét, peccato impediente, vél deſtruente unionem. Sic communitér Thomiſtæ; licèt intér ſe diſcordent aliquomodò in aſſignando prædicato, undè hæc impeccabilitas proxima immediatè proveniat. Alii dicunt provenire ab ipſa unione, quæ per ſe immediatè pugnat, nedûm cum peccato, séd cum potentia proxima peccandi. Alii tenent, provenire ab ipſo divino Verbo; quiá eo ipſo, quòd humanam naturam aſſumpſerit, tenetur eam regere ità taliter, ùt ſi per impoſſibile peccaret voluntas humana Chriſti, peccatum tribueretur Verbo Divino; ſicùt peccata potentiarum inferiorum refunduntur in voluntatem, quæ tenetur eas regere, & à peccatis cohibere. Sêd quidquid ſit de hoc;

3 Secunda ſententia per oppoſitum defendit, Chriſtum Dominum non eſſe ab intrinſeco impeccabilem proximè, & formaliter, néc per unionem hypoſtaticam, néc per aliquid metaphyſicè connexum cum illa. Sic omnes Scotiſtæ ſequentes Subt. Doct. in 2. diſt. 2. quæſt. 1.; & diſt. 12. quæſt. 1. Etſi Scotiſtæ poſteá etiâm intêr ſe diſſideant in aſſignanda ratione formali impeccabilitatis formalis, & proximæ in Chriſto Domino; quamvis conveniant in hoc, talem impeccabilitatem ab extrinſeco provenire. Hanc ſcoticam ſententiam temerè cenſurant non pauci aſſertores primæ ſententiæ; séd à tota Schola Scotica meritò parvi penditur hic modus loquendi; ùt difficultatem cla-

riùs reſolvam, quæſt. in ſectiones ſecabo. Sit ergò

SECT. I.

An unio hypoſtatica ſit proximè, & formaliter ratio impeccabilitatis formalis Chriſti Domini?

CONCLUSIO.

4 UNIO hypoſtatica, nèc ſecundùm ſe, néc ratione alicuius metaphyſicé connexi cum ipſa eſt talis ratio impeccabilitatis. Eſt communis in noſtra Schola contrà communem Thomiſtarum. Prob. 1. concluſio: unio hypoſtatica ſecundùm ſe metaphyſicé ſumpta non pugnat cum potentia proxima peccandi: ergò non eſt cauſa proxima talis impeccabilitatis. Probatur antec.: ideò pugnaret, vèl quia eſt ſanctitas ſubſtantialis Chriſti: vél quiâ potentia proxima peccandi includit aliquam moralem imperfectionem repugnantem ſummæ ſanctitati Chriſti Domini; séd ex nullo capite eſt repugnantia: ergò &c. Min. quoàd primam partem conſtat ex dictis diſp. antec. quæſt. 3., ubi diximus, unionem hypoſtaticam ſecundùm ſe non eſſe formam formaliter ſanctificantem humanitatem Chriſti. Séd hoc pro nùnc admiſſo, probatur min. quo ád primam partem: actus primus ex ſuo genere non pugnat cum oppoſito actus ſecundi contingentèr cauſabilis; ût patet in juſto, in quo actus primus, ſcilicèt, potentia proxima peccandi non pugnat cum gratia, quæ eſt oppoſitum actus ſecundi, ſcilicèt, peccati: ergò licêt unio hypoſtatica, qua ſanctitas ſubſtantialis humanitatis, pugnet cum peccato actuali; non tamèn cum potentia proxima peccandi.

5 Probatur eadem minor quo ád ſecundam part.: omnis moralis imperfectio dependet à liberâ voluntate operantis; ſed potentia proxima peccandi non dependet à libera voluntate operantis; quià, *ut proxima*, conſtituitur præcisè per oblationem concurſus divini ad utrumlibet parati; ſiquidêm tali concurſu præcisè poſito, potentia remota fit intranſitivè proxima: ergò talis potentia proxima peccandi non includit aliquam moralem imperfectionem repugnantem ſummæ ſanctitati Chriſti Domini. Confirmatur: potentia proxima peccandi, ſicùt & remota, nèc eſt culpabilis, nequè conſtituit ſubjectum, in quo eſt, inimicum Dei,

Dei, indignum gloria, aùt dignum aliqua levi diſplicentia divina: ergò talis potentia proxima peccandi non includit, &c.

6 Probatur 2. concluſio: unio hypoſtatica ex natura rei conſiderata non pugnat cum potentia remota peccandi: ergò nèc cum proxima. Antec. communitér conceditur. Prob. conſeq.: potentia proxima peccandi ſolùm extrinſecè differt à remota; sèd metaphyſica repugnantia nequit oriri à differentia puré extrinſeca: ergò ſi potentia remota, &c. Mai. patet; nàm, ùt dixi, potentia remota intranſitivé fit proxima per oblationem divini concurſus indifferentis ad utrumlibet. Probatur min.: oppoſitio eſſentialis ortum ducit, aùt fundatur in aliquo prædicato poſitivo, & intrinſeco rei; & differentia extrinſeca à prædicato tantùm extrinſeco originatur: ergò eſſentialis repugnantia nequit oriri á differentia purè extrinſeca; & conſequentèr cum potentia remota peccandi, & proxima, ſolùm differant extrinſecè; ſi prima non pugnat cum unione hypoſtatica, nèc ſecunda pugnabit.

7 Prob. 3. concluſio: & probatur, quòd talis impeccabilitas non proveniat réc ab unione hypoſtatica, néc ab aliquo prædicato cum ipſa eſſentialiter connexo. Chriſtus, quà homo, nequit eſſe ab intrinſeco impeccabilis, nèc vi unionis, nèc vi perſonalitatis Verbi, nèc per divinam naturam, niſi aliquid ex his excludat ab humanitate unita potentiam proximam peccandi; sèd non excludunt: ergò &c. Prob. min.: unio hypoſtatica, Verbi perſonalitas, ac divina Natura non perficiunt potentias naturæ aſſumptæ; séd hoc ipſo non excludunt ab ipſa potentiam proximam peccandi: ergò. Mai. conſtat; quià unio hypoſtatica non eſt de linea operativa; nèc Verbi perſonalitas, nèc divina natura uniuntur ſub ratione perfectiva potentiarum in ordine ad operationem; nàm ſi perficerent potentias operativas naturæ aſſumptæ in ordine ad eius operationes, ſuperfluerent in Chriſto habitus infuſi, & dona Spiritus Sancti; cùm excellentiùs perficeretur talis natura ad ſuas operationes per unionem hypoſtaticam, Verbi perſonalitatem, aùt naturam divinam.

8 Probatur min.: potentia proxima peccandi, juxtà Thomiſtas, eſt imperfectio potentiæ liberæ; & hoc vél ipſius, vèl intellectus, in quantùm iſte eſt capax erroris, ſinè quo, jux-

tá Thomiſt., non eſt peccatum in voluntate ; séd imperfectio potentiæ operativæ in ordine ad operationem non excluditur, niſi per perfectionem perfectivam ipſius in ordine ad operationem : ergò , cúm nèc unio hypoſtatica , nèc Perſonalitas Verbi , nèc natura divina ſint perfectiones in ordine ad operationem , non excludunt à natura aſſumpta potentiam proximam peccandi. Confirmatur: non minùs eſt imperfectio intellectus poſſe errare, ſeù potentia ad errorem , aùt actum erroneum , àc eſt imperfectio voluntatis poſſe peccare , ſeù potentia proxima peccandi ; sèd potentia proxima ad errorem, & poſſe proximé errare non excluditur ab intellectu naturæ aſſumptę , nèc per unionem hypoſtaticam , nèc per aliquid, cum quo unio hypoſtatica habeat metaphyſicam connexionem : ergò nèc potentia proxima peccandi naturæ aſſumptę excluditur per unionem, aùt aliud prædicatum divinum. Quid reſpondeant Thomiſtæ huic rationi patebit ex ſolutione argumentorum. Nùnc verò

9 Probatur 4. concluſio : de facto humana natura ſubſiſtens ſubſiſtentia Verbi eſt inconfuſa , & impermiſta cum divina , tàm in ſe , quàm in ſuis potentiis , & operationibus; séd ſi humanitas aſſumpta redderetur formalitèr impeccabilis per unionem hypoſtaticam , aùt per aliquod prædicatum cum ipſa metaphyſicè connexum, non eſſet ſic impermiſta , & inconfuſa , nèc in ſe , nèc in ſuis operationibus , & potentiis : ergò non redditur ſic impeccabilis. Maior eſt de fide contrà Euthychem , & alios hęreticos. Prob. min. : tùnc humana natura vi unionis , aút alterius prædicati cùm ipſa connexi, ponitur ſubſtantialitér ſancta, repugnans cúm omni peccato, & ejus potentię indeclinabiles á rectitudine ponuntur in operando , & conſequentèr earum operationes indeclinabilitér rectæ ; sèd hoc eſt ponere in Chriſto confuſionem utriuſque naturæ, earum potentiarum , & operationum : ergò &c. Mai. eſt certa : prob. min.: talis ſanctitás , puritas ab omni labe, rectitudo potentiarum , & operationum humanitatis aſſumptæ confunditur cùm ipſa ſanctitate ſubſtantiali , puritate divinæ naturę , rectitudine divini intellectus , & voluntatis in operando : ergó &c.

10 Probatur antec. præcavendo reſponſionem: licèt tália prędicata conveniant divinæ

nę naturæ, divino intellectui, & voluntati *exſe*, *& àſe*, tamen ſi conveniunt naturæ aſſumptę ratione unionis cùm divina natura in ſuppoſito Verbi, vél ratione ſuppoſiti, cui unita eſt, non propterèa vitatur confuſio, quę vitari oportet in utraque natura contrà hæreticos: ergò &c. Probatur antec.: hac ſtánte convenientia, amittit humana natura potentiam peccandi, quæ eſt propria omnis naturæ intellectualis creatæ; defectibilitatem à rectitudine in operando, quę eſt propria potentiarum ejus, & induit ſubſtantialem ſanctitatem, impeccabilitatem, & indeclinabilem rectitudinem, quæ ſunt propriædivinæ: ergò non vitatur confuſio.

11 Probatur tandèm concluſio ex præcipuo fundamento contrariorum: ideò juxtá Thomiſtas, Chriſtus redditur impeccabilis ab intrinſeco vi unionis, quiá Verbum divinum vi ipſius tenetur regere humanitatem, né peccet; sèd hęc ratio probat contrà ipſos: ergò. Prob. min.: regimen neceſſariò debet eſſe de contingentibus, & poſsibilibus antecedentèr; nam de antecedentèr neceſſariis, & impoſsibilibus fruſtraneum eſt regimen, ût ex ſe conſtat: ergò ſi Verbum divinum tenetur vi unionis hypoſtaticæ regere humanitatem, nê peccet, neceſſariò potentia proxima peccandi eſt poſsibilis humanitati unitæ; ad quid enim, ſi impoſsibilis eſſet, egêret regimine? Núnc ſic; sèd pro priori ad regimen intelligitur humanitas Verbo unita: ergò humanitati unitę Verbo non repugnat potentia proxima peccandi. Conſequentia infertur. Subſumpta patet; quià talis obligatio regendi humanitatem reſultat in Verbo divino ex vi unionis præexiſtentis ſaltim prioritate naturæ. De hoc ampliús in ſolutione argumentorum.

SOLVUNTUR ARgumenta.

12 Arguunt 1. Thomiſtę, & Jeſuitę omnibus illis authoritatibus SS. PP., quas adduximus à num. 14. quæſt. 1. huius (Videte ibi) ex quibus ſic formant rationem: Chriſtus, út homo, eſt ab intrinſeco impeccabilis; quia impoſſibile fuit, ipſum peccare; sèd hæc impoſsibilitas ab intrinſeco proximé, & formalitér debet oriri ab unione hypoſtatica: ergó hæc eſt cauſa formalis impeccabilitatis Chriſti. Ad mai. huius argumenti ſatis reſpon-

ponſum eſt à num. 16. quæſt. cit.. Ad min. dico, quòd in nulla authoritate SS.PP. exprimitur, quód unio ſola ſecundùm ſe humanitatem Chriſti reddat impeccabilem, sèd confusè de ipſa loquuntur cum cæteris donis ipſam concomitantibus; undè talem impeccabilitatem referunt in unionem exigitivè, & radicalitèr, quatenùs unio connaturalitèr exigit alia principia ab unione diſtincta, à quibus redderetur formalitèr impeccabilis.

13 Replicabis: SS.PP. tribuunt humanitati Chriſti impeccabilitatem ipſi ſoli convenientem, & non convenientem beatis; sèd impeccabilitas conveniens Chriſto Domino, diſtincta ab impeccabilitate beatorum, debet eſſe ab intrinſeco ratione unionis hypoſtaticæ: ergó ità eſt. Prob. min.: impeccabilitas ab extrinſeco vèl ratione viſionis, & fruitionis, vél ratione divinæ manutenentiæ convenit beatis, juxtá Scotiſtas: ergò impeccabilitas conveniens ſoli Chriſto debet eſſe ab intrinſeco. Reſpondeo, negando min.; & diſtinguo ant. ec. probationis: impeccabilitas ab extrinſeco fundata, & radicata moraliter in eſſe purè accidentali ſubiecti convenit beatis, conc. antec.; impeccabilitas ab extrinſeco radicata, & fundata in aliquo eſſe ſubſtantiali ſubiecti, convenit beatis, nego antec. & conſeq..

14 Itaqué, licèt formalis impeccabilitas ab extrinſeco ratione viſionis, & fruitionis, aút ratione divinæ manutenentiæ (de quo poſteà) conveniat Chriſto, ùt homini, & beatis; excellentior valdè eſt impeccabilitas Chriſti; cùm radicetur, & ſit debita debito congruentiæ ratione ſubſtantialis unionis humanitatis cum Verbo; & ſic fundatur in ipſo eſſe ſubſtantiali Chriſti, ùt hominis: impeccabilitas verò beatorum radicatur, ſeù eſt debita debito congruentię ratione beatitudinis, quæ eſt accidentalis ipſis ſpecificativè, & ùt ſunt ſubjectum impeccabilitatis. Quaré impeccabilitas beatorum tàm formalis, quàm radicalis eſt ipſis accidentalis: impeccabilitas verò radicalis Chriſti, út hominis, eſt ſubſtantialis; quiá eſt ratione unionis ad Verbum, ût terminum ſubſtantialitèr completivum humanitatis in ſubſiſtendo: & cùm impeccabilitas formalis Chriſti, ùt hominis, licèt accidentalis, radicetur in eſſe ſubſtantiali modo explicato; hinc eſt, quòd excellentiori modo con-

convenit impeccabilitas formalis Chriſto Domino, ac beatis.

15 Arguunt 2. Thomiſtæ ſic: ſi Chriſtus, ùt homo, non eſſet ab intrinſeco impeccabilis, séd ab extrinſeco, poſſet talis potentia reduci ad actum; séd hoc repugnat: ergò &c. Prob. min.: ſi hæc potentia reduceretur ad actum, ſupponitur Verbi divini eſſet peccans; quia actiones ſunt ſuppoſitorum; séd hoc repugnat: ergò. Hoc argumentum propoſitum eſt num. 21. quæſt. 1. huius, & longè ſolutum quæſt. 2. per totam, ubi num. 15. proponitur replica, & ſolutio ipſius. Vide ibi; quia non eſt neceſsè, ût ampliùs in hoc immoremur.

16 Arguitur 3., & militat contrà ultimam probationem concluſionis: Verbum divinum ratione unionis fecit humanitatem adeó propriam, ût teneatur eam regere, nè peccet: ergó ratione talis unionis redditur impeccabilis. Antecedens probant primò authorit. 6. Syn. gener. Conſtantinop. action. 8. ex Div. Gregor. Niſeno, ubi dicitur: *quemadmodùm noſtrum corpus regitur, ornatur, atquè ordinatur ab intellectuali, & rationali anima noſtra, ità & in homine Chriſto tota luminis ejus conſperſio ab ejuſdem Verbi divinitate ſemper, & in omnibus mota Deo, mobilis fuit.* Secundò probant ex Div. Epiphanio in Anchorato, ubi reddens cauſam impeccabilitatis Chriſti, ait: *quià Verbum virtute ſua frænavit inferiorem naturam ab omni inutili carnali motu: ſicùt ſupernè perfectus eſt, etiàm infernè*, (hoc eſt ſecundùm portionem inferiorem) *quòd ſi infernè imperfectus eſſet, etiàm ſupernè*: ergò, juxta hos SS. PP., Verbum divinum ratione unionis tenetur regere humanitatem aſſumptam, né peccet; & conſequentèr reddit eam impeccabilem.

17 Probatur 3. antec. ratione: convenientibus in eadem Perſona pluribus potentiis, ſuperior ex illis tenetur inferiores regere, & ab omni defectu, quem poſſent habere in ſuis operationibus, refrænare: ergo &c. Prob. antec. his exemplis: quià voluntas eſt ſuperior potentia in homine ad appetitus ſenſitivos, & potentias externas, ei attinet eorum motus refrænare, & dirigere actiones potentiarum: ſimilitèr, propter eſſentialem conjunctionem, & ſubiectionem uxoris ad maritum, Filii ad Patrem, ſubditi ad Superiorem, datur in iſtis ſpecialis obli-

obligatio, regendi uxorem, Filios, & ſubditos; ita ùt, ſi hoc negligant, peccatum illorum ipſis tribuatur. Núnc ſic; sèd in Chriſto Domino ſunt intimê unitæ, & coniunctæ duæ voluntates, divina, ſcilicét, & humana; hęc inferior, & illa ſuperior: ergo in iſta, ratione talis unionis, datur ſpecialis obligatio illam regendi, nê peccet. Vidê dicta in ultima probatione concluſionis num. 11. Nûnc veró

18 Reſpondeo primò negando antec. cum imbibita probatione. Ad authoritates: & primó authoritatem Concilii Conſtantinop. dico, ipſum loqui de facto, & in præſenti providentia, in qua certum eſt, quòd Chriſti humanitas vi unionis hypoſtaticæ, & cæterorum donorum ſupernaturalium, in omnibus mota fuit à Deo; nàm ſtante huiuſmodi motione, ſi motio eſſet ad malum, Deus ad malum moveret; non verò loquitur in alia providentia, in qua Deus de ſua potentia abſoluta potuit non movere, nec regere tali motione, & regimine humanam naturam aſſumptam: undè non eſt contra nos. Eodem modo reſpondetur ad authoritatem Sancti Epiphanii. Et hæc reſponſio fundatur in authorit. Divi Thomæ prima ſecundæ, quęſt. unic. art. 3., ubi ait: *quià fuit inſtrumentum divinitatis eam moventis: divinitas autèm non potuit eam ad malum movere.* Quod totum verum eſt de facto; & ſic dicimus, de facto non potuiſſe peccare. Et tota difficultas eſt, à quo proveniat hæc impeccabilitas formalis & proxima.

19 Reſpondeo ſecundó diſtinguendo antec.: Verbum divinum ratione unionis fecit humanitatem adeò propriam, ùt teneatur eam regere obligatione aliqua ſpeciali per aliquam particularem legem inductam, nego antec.: tenetur, quiá Pater, aùt proviſor eſt, conc. antec., & nego conſeq. Ex eo, ergó, quod humanitas aſſumpta à Verbo, non regeretur ab ipſo, & in propria natura peccaret, minimé ſequeretur, quod Verbum peccaret; aliàs peccata noſtra in Deum redundarent; quiá ùt Pater, & Proviſor tenetur etiám nos regere, & gubernare, ût optimè probant exempla adducta in argumento; nos autèm, ùt Pater, & Proviſor gubernat, prębendo auxilia ſufficientia ad peccata vitanda: & humanitatem aſſumptam gubernat prębendo ipſi auxilia ſpecialiſſima, & per manutenentiam

Sco-

Scoticam, de qua poſteà. Deindè, exempla non ſunt ad rem, quod ſic oſtendo.

20 Licèt de facto dependentia uxoris à marito, Filii à Patre, & Servi á Domino fundet in creatis obligationem in Marito, Patre, & Domino, non verò in Deo talem obligationem fundat; quià eſt ſupremus Dominus Creaturæ; & ideó in omnes habet abſolutum dominium, út pro libito ſuo poſsit licitè permittere peccatum, & ruinam ſuorum ſubditorum, & Filiorum; quod facilè poterat vitare, ſi vellet: quod Pater, & Dominus creatus non poteſt. Undé in Deo nulla eſt obligatio ergà creaturas, sèd ſolùm poteſt eſſe debitor ex liberalitate ſua. Tandèm, abſolutè falſum eſt, quòd peccata uxoris, Filii, & ſubditi redundent in Maritum, Patrem, & Dominum, quandò talia peccata ſunt particularia, & perſonalia.

21 Arguitur 4.: ſi humanitas unita Verbo potuit peccare, potuit peccare mentiendo; séd hoc eſt impoſsibile: ergò & quod potuit peccare. Mai. conſtat; cúm eadem ſit ratio de omnibus peccatis. Prob. min.: fide divina tenemur credere, omnia dicta ab humanitate Chriſti unita Verbo eſſe vera, ſivè eius dicta ſint doctrinalia pertinentia ad munus Legislatoris; ſivè non doctrinalia ſpectantia ad munus Redemptoris; séd, ſi potuiſſet mentiri, non teneremur ſic credere: ergó. Reſpondeo diſtinguendo mai.: ſi humanitas unita Verbo potuit peccare, potuit & mentiri in alia providentia, tranſeat mai.: in præſenti providentia, nego mai.: inverſis terminis diſtinguo min., & nego minorem probationis.

22 Itaquè verum eſt, quód in præſenti providentia non potuit humanitas Chriſti mentiri ex ſuppoſitione aſsiſtentiæ Spiritus Sancti, quam ſempèr, & ad omnia habuit: ſicùt Summus Pontifex loquens ex cathedra eſt infallibilis ex aſsiſtentia Spiritus Sancti; undè omnia, quæ ex cathedra definit, ſunt objecta fidei divinæ; sèd cúm hoc dicimus, quòd ſicút de facto in hac providentia libere fuit decreta à Deo prædicta aſsiſtentia, potuit Deus in alia providentia contrà congruentiam unionis liberè non decernere præfatam aſsiſtentiam: & tùnc caſus, derelicta humanitate ſine tali aſsiſtentia, potuiſſet mentiri; & túnc eius dicta non eſſent fide divina credibilia; cæterùm nûnc, cùm ſupponatur talis aſsiſten-

tia, omnia dicta eius debent fide divina credi.

23 Arguitur 5.: omnis forma formaliter ſanctificans includit aliquem gradum repugnantiæ cum peccato: ergò quò perfectior fuerit forma ſanctificans, maior erit repugnantia cum peccato. Nùnc ſic; sèd unio hypoſtatica eſt ratio formalis ſanctificans perfectiſſimè humanitatem Chriſti: ergò communicat ipſi maximam oppoſitionem cum peccato, qualis eſt oppoſitio metaphyſica; & conſequenter eſt ratio formalis impeccabilitatis metaphyſicæ Chriſti Domini. Reſpondeo, conceſſo primo enthymemate, negando abſolutè minorem ſubſumptam, cuius falſitas ſatis conſtat ex dictis diſputatione antec. quæſt. 2., & 3., ubi docuimus, quòd nèc natura divina, nèc perſonalitas Verbi, nèc unio hypoſtatica ſanctificant formaliter humanitatem Chriſti. Vide ibi.

24 Arguitur 6.: illa, quæ de facto repugnant, non poſſunt fieri adhùc de potentia Dei abſoluta, niſi quià Deus per ſpecialem actionem illa ponat in exiſtentia; séd de facto repugnat humanitatem Chriſti Domini unitam Verbo peccare; & ex alia parte Deus nequit concurrere ſpecialitér ad ponendam ſpecialem actionem peccati: ergò quià de facto repugnat, humanitatem Chriſti peccare ab intrinſeco, ſcilicèt, ratione unionis. Prob. min.: túnc caſus, ſi Deus concurreret ſpecialitèr ad talem actionem, eſſet auctor peccati; quià ſicût tribuitur ei omne opus miraculoſum, ſic ipſi, ſpecialitèr agenti tunc caſus, tribueretur tale peccatum. Reſpondeo, diſtinguendo mai.: illa, quæ de facto repugnant, repugnantia orta ab intrinſeco, & ex ipſa natura rerum, non poſſunt fieri adhúc de potentia Dei abſoluta, niſi quià Deus, &c. conc. mai.: repugnantia orta ab extrinſeco, & ex gratuita Dei providentia, nego mai.; inverſis terminis diſtinguo min., & nego conſeq.

25 Itaquè, dùm repugnantia oritur ex natura rei, quià in rerum natura non eſt virtus; ût de potentia abſoluta fiat, neceſſe eſt, quòd Deus per extrinſecam aſsiſtentiam, & ſpecialem actionem ſuppleat defectum naturæ, ùt ſit illud, quod tota natura non poteſt ponere in exiſtentia. At verò, dùm repugnantia eſt ratione gratuitæ providentiæ, uti eſt in noſtro caſu, ſufficit, quòd Deus illam gratuitam providentiam non ordinet circà humanitatem uni-

unitam, nihil aliud illi conferendo prætér unionem ad Verbum, auferendo ab ea divinam manutenentiam; tùnc enim caſus humanitas unita poſſet peccare; quin ex hoc ſequatur, quòd Deus tùnc eſſet auctor peccati: tùm, quiá nullum eſſet miraculum, nêc operaretur contrà debitum naturæ, sèd ſolùm contrà debitum moralis congruentiæ. Túm, quiá peccatum in nulla providentia eſſet ex Dei volitione, sèd ex determinatione ipſius voluntatis creatę.

26 Arguitur ultimò: ſi humanitas Chriſti Domini non redditur impeccabilis proximè, & formaliter ratione unionis, ſequitur, quód ut unita Verbo, ſecluſa beatitudine, & manutenentia Dei extrinſeca, poſſet peccare; séd hoc eſt falſum: ergò &c. Prob.: ſi proút unita Verbo poſſet peccare, proút unita Verbo poſſet damnari; sèd hoc repugnat: ergò &c. Mai. conſtat: probatur min.: ſi poſſet, proút unita, damnari, ſimûl, & ſemêl eſſet honorabilis, & contemptibilis: amabilis, & odibilis; sèd hoc repugnat: ergó &c. Mai. conſtat; quia ratione unionis cum Verbo eſſet honore, & veneratione digna: & ratione ſtatus damnationis eſſet contemptibilis, & odibilis. Aliqui reſpondent huic argumento, (quòd plùs habet de apparientia, quàm realitate) quòd caſu, quo humanitas Chriſti poneretur ratione peccati in ſtatu damnationis, túnc deficeret unio hypoſtatica, tám humanitatis, quàm partium; quiá ſtatus damnationis eſt carentia totius boni ſupernaturalis, ſicút ſtatus beatitudinis eſt carentia totius mali. Undé tùnc caſus amitteret unionem ad Verbum, & reſultaret ſubſiſtentia propria. Optima ſolutio; sèd

27 Reſpondeo alitér, conceſſa mai., negando min.: ad probationem, nego min., ad cuius probationem diſtinguo mai.: ſi poſſet damnari, eſſet ſimúl, & ſemél honorabilis, & contemptibilis: amabilis, & odibilis in diverſa linea, & penès diverſos reſpectus, conc. mai.: in eadem linea, & penês eundem reſpectum, nego mai.: inverſis terminis diſtinguo min., & nego conſeq. Eiſdem terminis diſtinguitur probatio. Itaquê caſu, quo humanitas Chriſti Domini ſecluſa beatitudine, & divina manutenentia, proùt unita, peccaret, & poneretur in ſtatu damnationis, verum eſt, quód ratione unionis, caſu quo eam non amitteret, eſſet digna honore in

ordine ad cultum perſonalem, & non eſſet proùt ſic contemptibilis. Verùm non eſſet amabilis, quiâ amor eſt ratione bonitatis obiecti, & proùt ſic eſſet odibilis ratione peccati. Hoc declaratur hòc exemplo: etſi Rex ratione alicuius crimmis fiat odibilis, non tamèn fit contemptibilis, sèd manet honorabilis ratione regiæ dignitatis. Sic paritèr in noſtro caſu. Videte, quæ diximus diſp. 4. quæſt. 1. num. 3..

SECT. II.

An humanitas Chriſti Domini fuerit proximè, & formalitèr impeccabilis ex vi beatitudinis, vèl manutenentia Dei extrinſeca?

28 QUamvis communis Scotiſtarum opinio teneat, impeccabilitatem Chriſti Domini non eſſe ab intrinſeco, sèd ab extrinſeco; tamèn adhúc diſcrepant in aſsignanda ratione formali huius impeccabilitatis. Quidam enim dicunt, huiuſmodi prædicatum eſſe auxilium efficax gratię excitantis, & prævenientis, conſiſtens in ſancta cogitatione ex parte intellectus, & in pia motione ex parte voluntatis. Sèd hic modus dicendi nobis non placet; cúm minimè admittamus auxilium efficax moralitèr ab intrinſeco: & ex alia parte diſp. 3. huius, q. 1. à num. 2. dixerimus, quód in Chriſto Domino non detur gratia actualis per modum principii. De quo erit ſermo quæſt. ſequenti. Undè in hoc modo dicendi impugnando, hic non ampliùs immoramur.

29 Alii Scotiſtæ tenent, humanitatem Chriſti Domini reddi formalitêr, & proximé impeccabilem pręcisè ratione beatitudinis formalis, hoc eſt, ratione viſionis, & fruitionis. Hanc ſententiam deducunt ex Subt. Doct. in 3. diſt. 2. quæſt. 1. § *ad argumenta*, verſic. *ad rationem probantem*, num. 12., ubi ait: *Deus naturæ unitę ſibi perſonalitèr non poteſt de potentia ordinata non dare ſummam charitatem, & ulteriùs ſummam fruitionem, quæ excludit peccatum.* Et diſt. 12. quæſt. unic. num. 3. ait: *ad ſecundum dico, quòd natura, quam aſſumpſit, erat de ſe poſsibilis peccare, quià non erat beata ex vi unionis, & habuit liberum arbitrium, & ita vertibile ad utrumlibet; sèd per beatitudinem eſt confirmatum à primo inſtanti, ùt ſit impeccabile, ſicùt beati ſunt impeccabiles.* Séd, quomodó intelligendæ ſint hæ authoritates Doct., poſteâ

poſteá dicemus. Alii tandèm tenent, quòd humanitas Chriſti Domini redditur impeccabilis per manutenentiam Dei extrinſecam, vi decreti divini efficacis applicativi voluntatis Chriſti ad vitandum, ſeù impediendum omne peccatum. Quid nobis, per duplicem concluſionem brevitér conſtabit. Sit ergò

PRIMA CONCLUSIO.

30 Humanitas Chriſti Domini non redditur proximè, & formalitêr impeccabilis præcisé per beatitudinem, ſeù ex vi viſionis, aùt fruitionis præcisè. Hæc concluſio eſt expreſſa N. Doct. in 4. diſt. 49. quæſt. 6. ſub num. 11. Probaturqué 1.: Chriſtus, quà homo, ab inſtanti ſuę conceptionis fuit beatus, & conſequentèr ab eodem principio à quo beati redduntur impeccabiles, & ipſemet Chriſtus redditur impeccabilis; séd beati non redduntur impeccabiles præcisé per beatitudinem, ſeù ex vi viſionis, & fruitionis: ergò nèc humanitas Chriſti Domini. Mai. eſt Noſtri Doct. allegati in 2. authorit. poſita num. 2. huius, ubi concludit: *ùt ſit impeccabile, ſicût beati ſunt impeccabiles.* Min. ad longum probatur in tom. 4. Theolog. huius almæ Provinciæ, tract. 10. diſp. 8. quæſt. 2. per duplicem ſectionem; ubi proponuntur & argumenta contrá iſtam concluſionem. Quaré, né ibi dicta iterûm repetamus, tranſmitto vos in illam quæſt., ùt illam ad litteram hic transferatis.

31 Solùm, ergò, reſtat reſpondere auctoritatibus Subr. Doct. adductis num. 2.. Reſpondeo ergô, quód Subt. Doct. in præfatis locis ſolûm intendit probare contrà Thomiſtas, humanitatem Chriſti Domini non reddi proximé, & formaliter impeccabilem ratione unionis. Undé primam authoritatem ſic continuat: *& ſic ex hac unione eſt impeccabilis non formalitèr, sèd virtualitèr diſpoſitivè, diſpoſitione remota; licét neceſſariò reſpectu Dei agentis, ſicût neceſſarium eſt aliquem beatum non peccare.* Verumtamèn Subt. Doct. nullibi ponit rationem formalem impeccabilitatis in beatitudine, aùt eius actibus, sèd ad ſummum concomitantér; quià beatitudinem comitatur divina manutenentia, per quam beati ſunt formalitèr impeccabiles, ùt expreſsè docet ipſe Doct. cit. in 4.. Undé ſit

SECUNDA CONCLUSIO.

32 Humanitas Chriſti D. fuit formalitèr, & proximè impec-

peccabilis per extrinſecam manutenentiam Dei, ſeú per decretum, quó Deus decrevit ſempér cum illo concurrere ad actus bonos. Concluſio hæc eſt N. Doct., & ferè omnium Scotiſtarum, cum aliquibus extraneis. Probaturquè ratione: ratione illius convenit humanitati Chriſti Domini impeccabilitas formalis & proxima, ratione cuius eſt proximè impeccabilis; sèd ſolùm ratione manutenentiæ extrinſecę Dei, ſeù ex negatione concurſus indifferentis convenit humanitati Chriſti Domini impeccabilitas formalis, & proxima: ergò ſolúm ratione huius eſt proximè impeccabilis. Mai., cum conſequentia, tenet. Prob. min.: id, quo præcisè poſito, humanitas eſt proximé impeccabilis, & quo præcisé ablato, humanitas eſt proximè peccabilis, eſt id ratione cuius humanitas eſt proximè impeccabilis; séd poſita præcisè negatione concurſus indifferentis, humanitas eſt proximè impeccabilis; & hac præcisè ablata, humanitas eſt proximè peccabilis: ergò &c. Mai. communitêr recipitur: min. quoád primam part. conſtat; quiá ſinè concurſu Dei nequit voluntas creata operari, néc bené, néc malé; cùm ad operandum egeat concurſu Dei, ùt cauſæ primæ: ergò hoc concurſu negato, nequit voluntas proximé peccare.

33 Ex hac ratione tenent aliqui Scotiſtę, quòd hæc impotentia peccandi orta ex manutenentia Dei extrinſeca, conveniens humanitati Chriſti, non eſt phyſica, nèc philoſophicè, néc theologicê, séd ſolúm eſt theologicé moralis. Ratio eſt; quiâ impotentia phyſica philoſophicé eſt, quæ provenit ex defectu alicuius principii phyſici, vèl ex aliquo phyſicê in actu primo impediente operationem; sèd concurſus determinatus ad bonum, ex quo oritur impotentia peccandi in humanitate Chriſti, non eſt principium phyſicum, nèc ſe tenet ex parte actus primi; eſt enim cauſalitas, quę ſe tenet ex parte actus ſecundi: ergò impotentia conveniens Chriſto Domino ad peccandum non eſt phyſica philoſophicé; cùm oriatur ex concurſu determinato ad bonum.

34 Probatur etiàm, quòd néc ſit phyſica theologicè; quiá talis impotentia oritur ex negatione concurſus indifferentis; sèd talis impotentia non eſt phyſica theologicé: ergò &c. Prob. min.: impotentia phyſica theologicé ad peccandum dicit repugnantiam eſſentialem cum

cum peccato ; ità út implicet ad actum ſecundum peccati redduci ; sèd impotentia peccandi ex negatione concurſus indifferentis non eſt cum repugnantia eſſentiali , ità út implicet eſſentialitèr redduci ad actum ſecundum peccati ; cúm talis impotentia non proveniat ab intrinſeco : ergò non eſt impotentia phyſica theologicè. Solúm ergò reſtat , quòd ſit impotentia theologicè moralis. Hæc doctrina , etſi ſit ſatis familiaris àpùd aliquos Scotiſtas, út hàc viâ ſalvent in Chriſto Domino libertatem requiſitam ad meritum cum eius impeccabilitate ; non tamén adeó certa eſt , út non egeat examine , de quo ex profeſſo quæſt. ſequenti.

35 Dices nùnc contra concluſionem : ſi impeccabilitas Chriſti Domini proveniret proximé , & formalitér ex manutenentia Dei extrinſeca , ſequeretur , quòd Chriſtus Dominus á primo inſtanti ſuæ conceptionis fuiſſet æquè impeccabilis , àc nùnc eſt in Patria,& eodem modo impeccabilis , ác ſunt beati ; sèd hoc nequit dici : ergò nèc quòd ſit impeccabilis proximé , & formalitér ex manutenentia Dei extrinſeca. Mai. quoàd utramque part. conſtat ; quià in primo inſtanti ſuę conceptionis fuit perfectè beatus , non minús àc nùnc, & intenſivè magis beatus , quàm quilibet beatus , & etiàm extenſivè. Prob. min. : ſi eſſet ſic beatus (ſicùt ſunt cæteri beati) a primo inſtanti ſuæ conceptionis , ſequeretur , quòd ſicút beati in Patria ſunt ità impeccabiles , út non poſſint mereri ; ſic ſimiliter , & humanitas Chriſti Domini à primo inſtanti ſui eſſe , & pro toto tempore vitę ſuę vialis , ſeù vię , eſſet ità beata , & impeccabilis , út non potuerit mereri ; sèd hoc nequit dici : ergò.

36 Huic argumento, quod eſt unicum in hac materia , varié reſpondent Scotiſtæ. Aliqui enim dicunt , quòd impeccabilitas Chriſti Domini à primo inſtanti ſuæ conceptionis non fuit talis , qualis eſt in ipſo nùnc in Patria , & in beatis. Ad quod ſuadendum dicunt, quód decretum manutenentiæ Dei duo dicit , unum de *poſitivo* , & alterum de *negativo* : de poſitivo dicit conſervationem fruitionis : de negativo verò ſolúm dicit denegare concurſum ad oppoſitum fruitionis , ſivè ad materiale peccati. Undé concludunt , quòd impeccabilitas Chriſti Domini ſolùm proveniebat à decreto manutenentię ſecundùm id , quod dicit tale decre-

cretum de poſitivo : in beatis verò provenit â manutenentia Dei conſiderata ſecundùm utramque formalitatem , hoc eſt , proût dicit conſervationem fruitionis , & denegationem concurſus ad oppoſitum fruitionis , ſivè ad materiale peccati.

37 Ratio , qua hoc probant, eſt , quià , cùm beati adæquatè ſint in termino , & non egeant libertate ad meritum, conſtituti ſunt impeccabiles, tám moralitèr , quàm phyſicè, vi decreti manutenentiæ adæquatè ſumpti. Voluntas verò creata Chriſti Domini , cúm in ſtatu vitæ mortalis fuerit ſimûl comprehenſor , & viator, habenſqué libertatem merendi, non fuit conſtituta impeccabilis per decretum manutenentię adæquatè ſumptum ; quià cùm libertas ad meritum eſſentialitér exigat in ſubiecto , ſtrictè obligato ad adimpletionem præcepti, potentiam phyſicam proximam , & antecedentem ad non adimpletionem prȩcepti; & hæc nequeat ſalvari ſinè indifferentia ad utrumlibet extremum contradictionis , ſcilicèt, ad adimpletionem, & non adimpletionem prȩcepti ; hinc fit, quòd illud decretum manutenentiæ non fuit in Chriſto Domino ſecundùm id , quod importat denegare concurſum ad oppoſitum fruitionis. Optima ſolutio ad ſolvendum argumentum, negando abſolutè maiorem. Reſtat verò videre , an ſit optima doctrina? Quod videbimus quæſt. ſequenti.

38 Reſpondeo nûnc verò brevitèr , conceſſa mai., negando min. : ad cuius probationem , nego mai. ; licèt enim humanitas Chriſti Domini à primo inſtanti ſuę conceptionis fuerit perfectè beata , & impeccabilis , ſicùt cæteri beati per decretum divinæ manutenentiæ adȩquatê ſumptæ , hoc eſt, tám ſecundùm id , quod dicit de *poſitivo* , quám ſecundùm id, quod de *negativo* dicit ; non ex hoc ſequitur , quód caruerit libertate prærequiſita ad merendum toto tempore vitę ſuę ; & hoc tàm reſpectu operum prȩcisè cadentium ſub conſilio, ut diximus diſp. 1. huius, quæſt. 3. ſect. 1., quàm reſpectu operum ſub præcepto cadentium, modo dicendo quæſt. ſequenti, in qua declarabitur ſolutio, aperiendo noſtram mentem ergá modum concordandi libertatem Chriſti Domini ad meritum cum eius impeccabilitate.

39 Núnc, ergò, ex omnibus hucuſquè dictis in præcedentibus quæſtionib. poterit prudens , & doctus judex formare judicium de cenſuris, quibus

bus contrarii inurunt ſententiam Subt. Doct. in hac re, vocantes eam, nedúm viro Theologo indignam, verùm etiàm doloſam, piarum aurium offenſivam, blaſphemam, temerariam; & aliqui, ut hæreticam; alii, út judaicam hæreſim. Abſdubio enim inveniet prudens doctor, quòd hęc omnia ſcomata, dicteriaquè abſque ullo prorsùs fundamento ſunt. Omnia enim PP. teſtimonia explicata ſunt, & rationes ſolutæ. Deindé: nèc N. Subt. Doct., néc ejus diſcipuli ullibi dixerunt, quòd Chriſtus Dominus potuit peccare de facto, & in præſenti providentia; quinimò hoc conſtanter negant, & in hoc conveniunt cum adverſariis. Quare tota lis eſt in aſſignanda ratione formali huius impeccabilitatis formalis, & proximæ. Non aſſentiunt contrariis, dicentibus eſſe vèl, unionem hypoſtaticam, ſecundùm ſe phyſicè conſideratam: vèl naturam divinam: vél perſonalitatem Verbi Divini. Undè, cùm inter ſe etiàm diſcordent, neſcio, cùr ad invicém inter ipſos non ſit debacchatio. Nos autem uniformitèr dicimus, & probamus talem rationem formalem, & proximam eſſe manutenentiam extrinſecam Dei; quin in alios modos dicendi aliquam cenſuram proferamus. Hoc enim prorſus alienum eſt à viro Religioſo in belli. intellectualibus, in quibus non leve indicium eſt, vires, & rationes deficere parti connanti alienam ſententiam terrere contumelioſis vocibus, & cenſuris.

SECT. III.

In qua ſolvuntur aliqua dubia hùc ſpectantia.

40 DUbitabis 1.: àn in Chriſto Domino fuerit, vèl potuerit eſſe fomes peccati? In Chriſto Domino fuiſſe appetitum ſenſitivum, & aliquos eius actus, extra dubium eſt; nàm Chriſtus, juxtà Concilia, eſt perfectus homo per omnia nobis ſimilis abſquè peccato; undè non ſolúm eſt perfectus ſecundùm quod rationalis; verùm etiam ſub conceptu animalis. Vide, quæ diximus diſp. 1. huius, quæſt. 1. à num. 9. Solùm ergò eſt in præſenti difficultas de fomite peccati. Qui quidèm conſiderari poteſt in actu primo proximo, & quoad eſſentiam, & ſic communitèr definitur: *eſt inclinatio habitualis inordinata appetitus ſenſitivi ad objecta ſenſibilia præter crationem rationis,*

orta ex juſtitiæ originalis carentia per peccatum deperditæ. Vèl poteſt conſiderari in actu ſecundo ; & ſic definitur : *ſunt motus ipſi inordinati ex tali inordinata inclinatione cauſati.* His notatis,

41 Dico 1. : in Chriſto Domino de facto non fuit fomes peccati, nèc in actu primo proximo, nèc in actu ſecundo. Eſt communis SS. PP., & Theologorum. Et probatur expreſsis Verbis divi Leonis Papæ Epiſt. 11. ad Julianum ſic dicentis : *nil enim carnis ſuæ habebat adverſum, nèc diſcordia deſideriorum gignebat repugnantiam voluntatum ; ſenſus enim corporei vigebant ſinè lege peccati, & veritas affectuum ſub moderamine Deitatis, & mentis ; nèc tenebatur illecebris.* Certé nil expreſsius pro noſtra concluſione. Probatur tamèn ratione: Adamus in ſtatu innocentiæ, & Immac. Virgo Maria caruere fomite peccati utroque modo ſumpto : ergó potiorí jure hoc aſſerendum eſt de Chriſto Domino ; cùm eius humanitati excellentiora dona fuerint collata, juxtá debitum, & congruentiam unionis hypoſtaticę, modo explicato quæſtionibus anteced.

42 Dico 2. : in alia providentia, ſeù de potentia Dei abſoluta, exiſtente unione ſinè aliis ſupernaturalibus donis, quibus de facto comitata fuit, potuit eſſe in Chriſto fomes peccati, tàm in actu primo, quàm in actu ſecundo. Eſt communis Scotiſtarum, & plurium Jeſuitarum contrà communem Thomiſt.. Probatur : de potentia Dei abſoluta, in ſuppoſitione facta in concluſione, potuerunt eſſe in Chriſto Domino motus inordinati appetitus ſenſitivi : ergò & fomes peccati tam in actu primo, quàm in actu ſecundo. Prob. antec. : juxtá dicta quæſtionibus antec., de potentia abſoluta, & in ſenſu compoſito unionis hypoſtaticę, ſecluſis aliis donis ſupernis, potuit eſſe in Chriſto Domino potentia proxima peccandi ; imò & actuale peccatum leve, aút grave ; cùm nullam dicat repugnantiam metaphyſicam cum unione hypoſtatica nudé ſumpta ; séd hoc ipſo potuerunt in tali providentia eſſe motus inordinati appetitus ſenſitivi in Chriſto Domino : ergò &c.

43 Dices : ſumma puritas, & ſanctitas poſsibilis creaturæ rationali pugnat cum fomite peccati tàm in actu primo, quam in actu ſecundo; quiá ſumma puritas, & ſanctitas eſt ſum-

ſummus receſſus à peccato, qui revera pugnat cum tendentia actuali ad objectum rationi diſſonum; sèd humanitas Chriſti Domini fuit ſummè ſancta, & pura: ergó pugnat cum fomite peccati. Reſpondeo, omiſſa mai., diſtinguendo min.: sèd humanitas Chriſti fuit ſummè ſancta, & pura, de facto, ſubdiſting. min.: ratione gratiæ unionis præcisè ſumptæ, nego min.: ratione cęterorum donorum ſupernaturalium, maximè ratione gratiæ, conc. min.: fuit ſummè ſancta, & pura de poſſibili, & de ſuppoſitione facta in concluſione, ſanctitate in ordine ad beatitudinem, nego min.; imò & ſuppoſitum. Solutio conſtat ex dictis diſp. 4. huius quæſt. 3. & 5.

44 Dubitabis 2.: àn in Chriſto Domino fuerit, vél potuerit eſſe moralis imperfectio? Difficultas hæc jàm diſcuſſa manet diſp. 1. huius, quæſt. 3. ſect. 1. per totam, ubi diſtinximus num. 2. de duplici imperfectione, poſitiva, ſcilicèt, & negativa. Vide ibi. Undè breviter dico primo: Chriſtus Dominus non fuit, néc potuit eſſe imperfectus moralitèr imperfectione ulla poſitiva. Eſt communis Theologorum. Prob. ratione: humanitas Chriſti Domini à primo ſuæ conceptionis inſtanti fuit beata; sèd cum beatitudine non eſt conjungibilis de facto poteſtas proxima ad peccandum, nèc peccató gravi, nèc levi, á quo contrahitur imperfectio moralis poſitiva: ergó non fuit ſic imperfectus.

45 Dico 2.: Chriſtus Dominus nullam commiſit imperfectionem moralem negativam, licèt habuerit libertatem phyſicam, & moralem ad illam. Prima pars concluſionis conſtat ex illo Joann. 6.: *deſcendi de Cœlo, non ùt faciam voluntatem meam; sèd voluntatem eius, qui miſit me.* Et 8.: *quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* Ex quibus ſequitur, quòd Chriſtus, út homo, nullum conſilium fuit tranſgreſſus, séd in omnibus ſempèr fuit ſecutus, quod conformius agnoſcebat maiori beneplacito divino; sed hoc ipſo non fuit imperfectus negativé; quia imperfectio moralis negativa conſiſtit in hoc, quod non fiat ſummum opus, quod fieri poterat: ergò. Secunda pars concluſionis conſtat ex tota ſectione cit.; ubi etiam proponuntur, & ſolvuntur argumenta contra ipſam.

46 Dubitabis 3.: àn in Chriſto fuerit, vél potuerit eſſe aliquis habitus vitioſus? Tamquam quid certum ſuppono,

Deum ſe ſolo non poſſe infundere habitum vitioſum, nèc erroneum in humanitate unita Verbo. Hæc ſuppoſitio conſtabit ex dicendis tract. de fide. Pro nùnc verò ratio eſt; quià Deus non poteſt eſſe cauſa per ſe peccati, aút alicuius mali moralis poſitivi, aút alicuius poſitivè inclinantis in tale malum morále poſitivum. Undè omnis habitus vitioſus ex repetitione actuum peccaminoſorum cauſatur. Quarè ſenſus difficultatis eſt: an in humanitate Chriſti fuerit, vêl potuerit eſſe habitus vitioſus generatus ex actibus vitioſiis, & peccaminoſis elicitis ab humanitate Chriſti? Dico: quòd néc fuit, nèc potuit eſſe in præſenti providentia aliquis habitus vitioſus in humanitate Chriſti Domini. Ratio eſt; quià in præſenti providentia nec fuit, néc potuit eſſe aliquod peccatum in Chriſto Domino, ùt ſatis conſtat ex dictis: ergò néc fuit, nèc potuit eſſe in Chriſto cauſa generativa talis habitus vitioſi. Quid autém dicendum in alia providentia, conſtat ex dictis concluſione 2. primæ difficultatis. Vide ibi.

QUÆST. IV.

Quomodò Chriſtus Dominus, ſalva ejus impeccabilitate, habuerit ſufficientem libertatem ad meritum?

1 HÆC eſt illa ardua difficultas, quam promiſimus pertractare diſp. 1. huius, quæſt. 3. ſect. 1.. Et, ùt ingenuè loquar, adeò ardua eſt, ùt in eius diſcuſsione mallem audire, quam decidere; hoc eſt, proponere aliorum placita, quín propriam meam mentem in publicum proferrem. De ipſa enim dici poteſt, quòd ſunt tot ſententiæ, quòt capita. Nèc mirum; cùm cuncta divina myſteria noſtrę reparationis ſuperent noſtrum captum. Undé in pręſenti difficultate, ùt minori confuſione procedam, priùs per varias ſectiones aliorum placita referre, & refutare conabor: & tandêm propriam ſententiam, pro tenuitate mei captus, firmabo. Sit ergò

SECT. I.

Communis Thomiſtarum ſententia refertur, & refellitur.

2 ETſi Thomiſtæ intèr ſe, in hac gravi difficultate reſolvenda, ſint aliquo-

quomodò diviſi, tamèn principaliorem modum dicendi eorum referam, ût refert hic Gonet diſp. 21. §. 3.. Ait enim, quòd modus conciliandi in Chriſto libertatem cum præcepto mortis abſquè peccabilitate, ſtat in hoc, quod licèt non potuerit Chriſtus velle non mori in ſenſu compoſito præcepti, hoc eſt, conjungere negationem mortis cum præcepto obligante ad ipſam, benè tamèn in ſenſu diviſo, id eſt, velle negationem mortis, út abſtractum a præcepto: ſicùt voluntas eliciens amorem, ùt liberé amet, non requiritur, imò implicat, quòd amando conjungat negationem amoris; séd ſufficit, quód amando poſſit ponere negationem amoris diviſim a poſitione amoris actualis. Sic Chriſtus Dominus út liberé mortuus dicatur, inſtante præcepto, & impeccabilitate, non erat opus, imò implicabat, poſſe conjungere negationem mortis; sèd sát erat, quôd volendo actualitèr mortem ſub præcepto, retinuerit ſimúl potentiam ad negationem mortis diviſim à præcepto.

3 Ultrá nota, quôd Thomiſtæ duplicem ſenſum diviſum diſtinguunt: unum *poſitivum*, qui importat poſitivé diviſionem à præcepto, & hæc poteſtas eſt ad auferendum præceptum, quæ non datur in Chriſto. Alium ſenſum diviſum *præciſivum*, qui ſolùm dicit diviſionem præcepti præciſivè ſumptam, & non requirit poteſtatem ad impediendum præceptum, sèd ſolùm ad omiſſionem mortis ſecundùm ſe ſumptam, quæ poteſtas datur in Chriſto, & ſufficit ad libertatem veram moriendi.

3 Nota tandèm cum Thomiſtis, quòd duplex eſt potentia, una *antecedens*, & alia *conſequens*. Prima non eſt perfectè practica, néc terminatur ad omiſſionem moraliter, & privativè ſumptam, sed eſt præciſiva, & terminatur ad omiſſionem ſecundúm ſe; unnê hæc potentia, cùm ſit ad omiſſionem ſecundum ſe, non eſt potentia ad peccandum. Potentia verò conſequens eſt perperfectè practica; ideòquè non præſcindit à circunſtantiis accidentalibus ſui termini, & conſequentér potentia conſequens ad omiſſionem eſſet ad peccandum, quià non præſcinderet à præcepto. Potentiam antecedentem concedunt Thomiſtæ Chriſto Domino ad omiſſionem mortis, ſecundam verò negant. Et hâc doctrina conciliare volunt libertatem Chriſti ad meritum, cùm eius impeccabilitate.

Im-

Impugnatur hic modus.

5 Primó ſic : conditio neceſſariò connexa cúm aliquo conditionato reddit ipſum eqùè neceſſarium ; sèd præceptum mortis eſt conditio Chriſto antecedentèr neceſſaria , & neceſſariò connexa cúm morte: ergò reddit mortem antecedentèr neceſſariam Chriſto Domino ; & conſequentèr non datur in ipſo poteſtas antecdens ad non mori. Mai. ſuadetur his exemplis : quià exiſtentia Solis eſt connexa cûm exiſtentia lucis, exiſtentia lucis eſt neceſſaria, exiſtente Sole. Secundó; quiá inclinatio vehemens ad conſenſum eſt moralitèr connexa cúm ipſo , conſenſus eſt moralitèr neceſſarius , exiſtente vehementi inclinatione. Tertiò: quiá fruitio Dei eſt neceſſariò connexa cúm eius clara viſione, poſita viſione , fruitio eſt omninó neceſſaria ; ita ùt , néc in ſenſu diviſo, ſit potentia in beatis ad non fruendum , iuxtà Thomiſtas : ergó tenet maior.

6 Probatur min. principalis : quod exiſtit independentér ab exercitio libertatis Chriſti , eſt Chriſto antecedentèr neceſſarium ; séd præceptum mortis exiſtit independentér ab exercitio libertatis Chriſti : ergô eſt Chriſto antecédentèr neceſſarium. Min. conceditur à Thomiſtis. Mai. autem eſt Divi Anſel. lib. 2. *cùr Deus homo* , cap. 18. dicentis: *eſt neceſsitas præcedens , quæ cauſa eſt , ùt ſit res : & eſt neceſsitas conſequens , quam res facit.* Et lib. *de Concordia præſcientiæ, de libero arbit. cap.* 1.: *has neceſsitates facit voluntatis libertas, quæ antequàm ſint , eas cavere poteſt.* Undé iuxta hunc ſenſum D. Doct. duplex eſt neceſsitas in noſtra voluntate , una antecedens , & ſubjiciens ſibi voluntatém, quę non compatitur cúm libertate ; & alia conſequens exercitium libertatis ; quæquè ſtat cûm illa : ergò cûm independentér ab exercitio libertatis Chriſti , exiſtat præceptum mortis, eius neceſsitas eſt antecedens. Hoc etiam docet Div. Aug. lib. 5. de *Civitate Dei*, cap. 10.. Subt. Doct. in 2. diſt. 37. quæſt. 2.

7 Impugnatur 2. hic modus dicendi Thomiſtarum: cui eſt antecentér neceſſaria veritas realitèr , & virtualitér identificata cùm alia , eſt antecedentêr neceſſaria illa alia; séd Chriſto (poſito præcepto mortis) eſt antecedentèr neceſſaria veritas realitèr , & virtualitér identificata cum morte: ergò eſt antecedentèr neceſſaria mors.

Mai

Mai. ex terminis patet. Probat. min.: Chriſtus Dominus ut potè impeccabilis ab intrinſeco, iuxtà Thomiſtas, ratione unionis, poſito præcepto antecedenter mortis, eſt neceſsitatus ad ponendam mortem; sèd hoc ipſo eſt antecedenter neceſſaria veritas realitér, & virtualitér indentificata cùm morte, ſcilicèt, impeccabilitas ab intrinſeco ipſi conveniens; nàm iſta ſuppoſita, impoſsibile eſt non obſervare præceptum: ergò &c.

8 Impugnatur 3. Chriſtus Dominus eſt antecedentér neceſsitatus, vèl ùt deficiat præceptum, vèl ùt exiſtat cùm morte; séd antecedentèr eſt neceſsitatus, út non deficiat præceptum; quia cùm nequeat determinare exiſtentiam præcepti, nèc ejus exiſtentiam impedire valet: ergò eſt antecentér neceſsitatus, ùt exiſtat præceptum, & mors. Prob. mai.; impoſsibile eſt, exiſtere in Chriſto præceptum de morte, & exiſtere ſinè morte: ergò Chriſtus Dominus eſt antecedentèr neceſsitatus, út exiſtat præceptum de morte cùm morte. Prob. antec.: exiſtere in Chriſto præceptum de morte ſine morte, eſt, iuxtà adverſarios, exiſtere præceptum cùm peccato Chriſti, frangendo præceptum; séd hoc eſt impoſsibile: ergò.

9 Reſpondent Thomiſtę cùm Gonet; neceſsitatem moriendi ex præcepto in Chriſto Domino, non eſſe antecedentem, & per modum naturæ excludendo determinationem liberi arbitrii; sèd conſequentem ipſam non *formalitèr*, séd *æquivalentèr*, & ſic non deſtruit eius libertatem. Explicat hoc: conſequi formalitér libertatem noſtram, eſt illam in ſe ipſa ſupponere: conſequi verò æquivalenter, eſt illam ſupponere in aliquo eminentèr continente libertatem noſtram. Undè, cùm præceptum impoſitum Chriſto ſupponat decretum Dei efficax de operatione præcepta: & aliundè in tali decreto, ùtpotè primo libero, & prima radìce totius libertatis creatæ, libertas actus Chriſti imperati eminentèr contineatur; hinc fit, quòd neceſsitas orta ex præcepto Chriſto impoſito, conſequatur libertatem actus præcepti, ſi non formalitèr, ſaltèm æquivalentèr; àc proindé, quòd non ſit neceſsitas antecedens, determinans per modum naturæ, sèd per modum liberi, efficiendo coôperatione voluntatis, & ſic eſt conſequens, quòad effectum conſervandi illæſam libertatem.

10 Contrá ſic argumentor; ergò, iuxtá ſolutionem

nem, voluntas creata Chriſti Domini independetèr á ſuo conſilio, optione, & electione, eſt præventa per præceptum mortis, & determinata ad mortèm: ergò eſt præventa, & determinata ad unum præ alio non liberé, séd neceſſáriò. Prima conſeq. eſt certa: probatur ſecunda: modus liber determinationis liberę debet eſſe iuxtà conſilium, optionem, & electionem voluntatis creatę, & non alterius; ſed voluntas creata Chriſti Domini independentèr ab omibus his invenitur per præceptum mortis præventa, & determinata ad unum præ alio: ergò & neceſsitata abſolutè antecedentér. Contrà 2.: præceptum ſupponitur ordine naturæ, & cauſalitatis priùs, & independens, àc formalitér antecedens uſum libertatis creatæ Chriſti Domini, hanc determinando ad unum præ alio, ſcilicét, ad acceptationem mortis: ergò hâc ratione implicat, poſſe eſſe virtualitér conſequens, dependens, & poſterius libertate; nâm ad hoc debebat dari, & præintelligi in voluntate creata Chriſti aliqua potentia, aùt dominium, ſaltêm virtuale, ad impediendum præceptum de morte.

11 Contrá 3.: licet Deus ſit primum infinitum liberum, & contineat eminentér omnem contingentiam, & libertatem cauſarum, tamèn abſolutè Deus non poteſt cauſare libertatem, aùt modum liberum per id, quod eſt contrarium, & oppoſitum libertati; sêd præceptum in ſubjecto impeccabili ab intrinſeco eſt contrarium, & oppoſitum cúm actu libero á neceſsitate, liberèquè producendo: ergó ratio primi liberi eminentèr continentis omnem contingentiam, & libertatem cauſarum, non eſt ad rem. Mai. conſtat; quiá licèt Deus contineat eminentér omne creabile, tamèn repugnat, quód ipſum crêet per actionem eductivam, oppoſitam eſſentialitér termino creabili, & modo creabilitatis ipſius. Min. conſtat ex impuguationibus antecedentibus.

12 Impugnatur 4. præoccupando ſolutionem Thomiſtarum: ideò, iuxtà ipſos, voluntas Chriſti Domini eſt potens ponere omiſsionem mortis præceptæ, quià, licèt non poſsit præſcindere à præcepto poſitivè, hoc eſt, dividere ipſum, poteſt tamén præciſivè; sèd hæc ſolutio nulla eſt: ergò &c. Mai. eſt ſolutio ipſorum; prob. min.: præſcindere privativè â præcepto, eſt in tali præciſione non advertere ad præceptum, ſcù pro tùnc ipſum non cognoſcere; sèd implicat

ad

adimplere prȩceptum mortis non advertendo ad prȩceptum, ſeù non cognoſcendo ipſum: ergò falſum eſt, quod poſsit liberê adimplere præceptum mortis, non advertendo ad tale præceptum, ſeú prȩſcindendo ab ipſo. Prob. min.: prȩceptum ſtrictè obligans in conſcientia ad acceptandam mortem conſtituit actum primum libertatis, eſtó non acceptetur ex motivo formali obedientiæ, séd præcisê út adimpleatur præceptum; séd ad hoc requiritur advertentia, & & cognitio prſicepti: ergò cúm inadvertentia, & ſinè cognitione præcepti non ſtat adimpletio libera præcepti. Prob. antec.: præceptum, út cognitum, conſtituit actum primum libertatis ad acceptandam mortem, etſi hæc acceptetur ex alio motivo à motivo obedientiæ: ergô &c.

13 Probatur antec.: ſinè prȩcepto, & cognitione prȩcepti non datur actus primus proximę libertatis adimpletivæ præcepti mortis, ipſam acceptando ex alio motivo à motivo obedientiæ; sêd illud conſtituit actum primum libertatis, vêl ſaltêm ad ipſum pertineret, ſine quo talis actus primus non datur: ergò præceptum, út cognitum, &c. Prob. mai.: licêt ſine præcepto, & cognitione præcepti detur actus primus proximus libertatis ad mortem, ſicút ad alios actus non prȩceptos, tamèn ſinê prȩcepto, & cognitione ipſius non eſt dabilis actus primus proximus libertatis adimpletivæ præcepti mortis, ipſam acceptando ex alio motivo à motivo obedientiæ: ergò &c. Probatur antec.: actus primus proximus libertatis adimpletivę præcepti mortis eſt ille, cuius actus ſecundus eſt libera acceptatio formalis mortis præceptæ, & eius obligatìonis; quamvis prȩceptum non ponatur ex motivo formali obedientiæ, sêd ex alio ſuperiori, v. g. charitatis; sêd ſinê cognitione præcepti acceptatio mortis, quæ poneretur, non eſſet actus ſecundus adimpletivus præcepti; cúm túnc non cognoſceretur præceptum: ergó &c.

14 Urgetur hæc ratio: ſi eſſet dabilis libertas formalis adimpletiva prȩcepti abſque cognitione prȩcepti, talis libertas non expoſceret cognitionem præcepti; sêd hoc eſt falſum: ergò &c. Prob. min.: ſi talis libertas ex ſua ratione formali non expoſceret cognitionem prȩcepti, in quolibet ſubjecto, ſivê impeccabili, ſivê peccabili, talis libertas non expoſceret cognitionem præcepti; sêd hoc eſt

falſum : ergó. Mai. eſt certa; quià contractio ad hoc, vêl illud ſubjectum non variat rationem formalem. Prob. min. : implicat libertas formalis adimpletiva præcepti in ſubiecto peccabili, quæ ex ratione ſua formali non expoſcat cognitionem præcepti : ergò falſum eſt, quod libertas, &c.

15 Prob. antec. : non requiritur in ſubjecto peccabili maior cognitio, & advertentia ad peccandum transgrediendo præceptum, quàm ad merendum per formalem adimpletionem præcepti ; sêd ad peccandum, libertas transgreſsiva præcepti ex ſua ratione formali expoſcit cognitionem præcepti: ergo & libertas adimpletiva præcepti, per quam adimpletionem meretur, expoſcit ex ſua ratione formali cognitionem præcepti. Mai. eſt certa apùd Theologos, & Moraliſtas. Min. etiam conſtat ; ideò nàmquê laborans ignorantià invencibili præcepti non peccat, nêc formalitêr transgeditur præceptum per poſitionem oppoſiti rei præceptę, ùt patet in non audiente Miſſam die ſacro, ignorante invincibilitêr, quòd ſit dies ſacer. Nùnc ſic; sêd Thomiſtæ volentes ſalvare libertatem in Chriſto Domino ad adimplendum præceptum mortis per ſenſum diviſum præciſum à præcepto, non poſſunt dicere, quòd in tali ſenſu diviſo præciſivo ſtet actualis cognitio præcepti mortis : ergò nêc poterit ſtare libertas in actu primo, nêc in actu ſecundo ad ipſum adimplendum.

16 Declaratur hoc amplius : applicatio, quæ eſt cauſę ad cauſam, & non cauſę ad effectum, pertinet ad actum primum ; sêd cognitio præcepti, ùt liberè adimpleatur præceptum, eſt applicatio cauſæ ad cauſam, & non cauſæ ad effectum : ergò pertinet ad actum primum libertatis. Mai. apùd Thomiſtas eſt vera ; nàm ideò dicunt, phyſicam prędeterminationem non pertinere ad actum primum, sêd ſe habere ex parte actus ſecundi, quia eſt applicatio, qua Deus applicat voluntatem ad effectum. Prob. min. : illa eſt applicatio cauſę ad cauſam, quæ facit, út coaleſcat adæquata cauſa effectus ; sêd cognitio præcepti requiritur, ùt ex præcepto cognitio, & voluntate coaleſcat adæquata, & expedita cauſa adimpletiva actus præcepti liberê : ergò cognitio præcepti, &c. Maior eſt certa; nam ideò apùd Thomiſtas applicatio ignis ad paſſum eſt applicatio cauſæ ad cauſam, quià

ex

ex virtute calefactiva ignis, & cauſa materiali coaleſcit cauſa adæquata calefactionis. Undê cognitio objecti eſt etiám huiuſmodi ; nàm requiritur , ût objectum applicetur voluntati, ad hoc ût ex objecto , & voluntate cauſetur volitio ; *quià nihil volitum , quin pręcognitum.*

17 Probatur min. primó ; quià præceptum , ùt cognitum, dirigit , & regulat actum præceptum; & ſic cognitio præcepti applicat illud voluntati , ùt dirigatur ad actum pręceptum ponendum : ergò talis cognitio eſt applicatio cauſæ ad cauſam , hoc eſt, voluntatem executioni mandantem tale præceptum. Prob. 2. eadem min. : juxtà adverſarios, cognitio præcepti applicat prę-ceptum voluntati ; sèd non applicat reducendo voluntatem ad exercitium agendi : ergò eſt applicatio pręcepti , út cauſę ad cauſam , & non voluntatis ad actum. Prob.hæc min.:quod applicat reducendo voluntatem ad exercitium agendi , determinat , aùt condeterminat , vèl potiús (ut in principiis Thomiſtarum loquamur) phyſicè prædeterminat , transferendo voluntatem ex indifferentia ad actum ; séd cognitio præcepti hoc non habet ; nám cognitione poſita , adhûc manet voluntas ſub ſua indifferentia ad agendum , vél non agendum : ergò non eſt applicatio cauſę ad effectum , sèd cauſæ ad cauſam , talis cognitio præcepti.

18 Impugnatur tandèm hic modus dicendi Thomiſtarum ex eorum doctrina. Thomiſtæ dicunt , quòd humanitas Chriſti Domini eſt formalitèr ſancta , formalitêrque impeccabilis ab intrinſeco ; cùm hæc ſanctitas, & impeccabilitas proveniat ab aliquo prędicato intrinſecé recepto in ipſa humanitate , hoc eſt , vel à natura divina ſecundùm ſe , vél à Perſonalitate Verbi Divini terminante naturam humanam , vèl ab unione hypoſtatica : & ultrà addunt , quód hæc ſanctitas , & impeccabilitas conveniebat naturę humanæ Chriſti à primo inſtanti ſuæ conceptionis ; séd cum hac doctrina non ſtat libertas prærequiſita ad merendum obediendo præcepto mortis : ergò &c. Probatur min. : in hac doctrina, pręceptum mortis impoſitum fuit Chriſto Domino pro poſteriori ad eius ſanctitatem , & impeccabilitatem ab intrinſeco: ergó media tali ſantitate , & impeccabilitate manebat Chriſtus neceſsitatus ad non pe-

candum, & conſequentèr ad non omittendum præceptum mortis; séd cum hac neceſsitate non ſtat, in principiis Thomiſtarum, libertas: ergó nullo modo per ſuum modum dicendi ſalvant in ſuis principiis libertatem Chriſti Domini ad meritum.

19 Deniqué, hic modus dicendi impugnatur latè, longéque á Noſtratibus, & præcipuè à curſu huius almæ Provinciæ tom. 1. tract. 2. diſput. 5. quæſt. 2. ſect. 2., & tom. 6. diſp. 1. quæſt. 4. & 5. per totam, ubi ex profeſſo refellitur tàm phyſica prædeterminatio, quàm efficacia gratiæ à decreto phyſicè prædeterminante; pro quibus tuendis, familiaris, imò unica, doctrina Thomiſtarum eſt diſtinctio de *ſenſu compoſito*, & *ſenſu diviſo*. Ubi hanc diſtinctionem ex profeſſo rejiciunt, & impugnant Scotiſtæ; quarè, cúm eorum impugnationes etiám hic faciant, videte ipſas ibi.

20 Dices 1. pro Thomiſtis: licét Chriſtus Dominus, ſuppoſita eius impeccabilitate, non habuerit libertatem ad ponendum actum poſitivè oppoſitum præcepto mortis, hoc eſt, *nolo mortem*; tamèn habuit libertatem ad ponendam omiſsionem adimplectionis præcepti; sèd per actum omiſsivum præcepti non peccaret: ergò cum impeccabilitate componitur libertas ad adimplendum præceptum. Min. conſtat, quiá pura omiſsio nequit eſſe peccaminoſa. Reſpondeo, omiſſa mai., negando min., ad cuius probationem nego etiàm min.; quià in noſtris principiis poſſibilis eſt pura omiſsio peccaminoſa, ùt docetur in tom. 5. tract. 14. diſp. 2. quæſt. 1. curſus Theologici huius Provinciæ. Quaré conceſſo, quód Chriſtus haberet poteſtatem ad omittendam mortem, & eam omitteret, inſtante præcepto, abſ dubio peccaret.

21 Dices 2.: Chriſtus Dominus inſtante præcepto erat liber libertate phyſica ad phyſicé acceptare, vél non acceptare mortem: ergó in Chriſto Domino cum impeccabilitate, & præcepto ad mori ſalvatur libertas ad acceptare, vél non acceptare mortem; & conſequentèr cum impeccabilitate, & præcepto ſalvatur in Chriſto Domino ſufficiens libertas ad merendum. Hæc replica eſt contrà communem Thomiſtarum, qui aſſerunt, non ſufficere libertatem purè phyſicam ad merendum, sêd requiri moralem, expeditam, & non ligatam inimpedibiliter; quarê,

& ipſi tenentur ad ſolutionem. Reſpondeo tamèn diſtinguendo antec.: Chriſtus Dominus inſtante præcepto erat liber libertate puré phyſica ad phyſicé acceptare, &c., tranſeat antec.: erat liber libertate phyſica, & morali, nego antec.: eiſdem terminis diſtinguitur primum conſeq., & negatur ſubillata conſeq.. Undè Thomiſtæ ſic dicendo jám deficiunt à ſuo modo reconciliandi libertatem Chriſti Domini, ſtante præcepto obligatorio in conſcientia, cum eius impeccabilitate, & accedunt ad alium, qui poſteà impugnabitur.

22 Dices Ultimò: prædefinitio efficax conſenſus non conſtituit libertatem ad conſenſum; sèd tamén libertas ad conſenſum prædefinitum nequit intelligi, quin intelligatur prædefinitio: ergò quamvis libertas ad mortem præceptam nequeat intelligi, quin præceptum intelligatur, non ob hoc benè probatur præceptum mortis conſtituere libertatem ad mortem; & conſequentér impugnatio 4a. & 5a. non tenent. Paritas conſtat: nàm ſicút non intellecta prædefinitione intelligitur libertas ad conſenſum, licèt non ad conſenſum prædefinitum; ità ſiné præcepto intelligitur libertas ad mortem, licét non ad mortem út præceptam. Reſpondeo, quód maior in noſtris principiis peccat in ſuppoſito falſo; quià non admittimus prædefinitiones morales efficaces ad conſenſum, & multó minús phyſicas, út docetur tom. 6. tract. 15. à quæſt. Vide ibi.

SECTIO II.

Proponitur, & impugnatur ſecundus mòdus dicendi, negans in Chriſto Domino præceptum mortis.

23 PLurimi RR. cúm Lorca, út ſalvent libertatem Chriſti D. cúm impeccabilitate, dicunt Chriſto D. non eſſe impoſitum præceptum mortis ullo modo obligatorium in conſcientia ſub peccato, nec quidêm veniali; séd ſolúm habuiſſe conſilium, cùm quo conſilio poterat Chriſtus liberè coniungere omiſsionem mortis; quià hæc omiſsio non eſſet peccatum, nèc imperfectio moralis poſitiva, sêd ſolûm imperfectio moralis negativa, quæ, iuxtà ipſos, non repugnat Chriſto Domino. Certê hic modus dicendi, ſi non deficiret in ſuppoſito, facilitêr ſalvaret, & concordaret libertatem Chriſti Domini cúm eius impeccabilitate. Undê melior modus ipſum impugnandi eſt proba-

re

re, quód Chriſtus Dominus defacto fuit obligatus in conſcientia nedúm ad præceptum mortis, sêd etiám ad præcepta naturalia, quòd per concluſiones exequemur. Sêd antê ipſas

24 Nota, ex Tomo 5. Curſus huius Almæ Prov. tract. 13. *de Legibus*, diſcrimen repertum intêr conſilium, & præceptum; hoc enim ponit obligationem; ſ[illegible]ìs verò illud. Præceptum exp[illegible]catur per hęc verba: *fac hoc*: conſilium verò eſt voluntas explicativa beneplaciti. Inſupêr nota differentiam intêr præceptum, & mandatum; nám primum inducit obligationem obedientiæ ergà ſuperiorem ad quem ſpectat præcipere: ſecundum verò dicit commiſsionem datam alicui de re ſeú negotio aliquo tractando, & agendo; quod poteſt imponi â Perſona non ſuperiori; licêt in uſu ſcripturæ præceptum, & mandatum idem ſignificent. Ultimò adverte, quòd præceptum aliud eſt directivum, aliud verò coactivum; séd utrumque obligat in conſcientia in communi Theologorum, quamvis differant in eo, quod coactivum obliget ſub comminatione culpæ, & pœnæ, non verò directivum, niſi ad ſumum comminatione lata culpæ, & pœnæ. His notatis, ſit

PRIMA CONCLUSIO.

25 Chriſtus, ùt homo, ly ût *homo* ſupponens pro concreto individuali fuit in conſcientia ſtrictè obligatus præceptis naturalibus, tàm negativis, quàm affirmativis. Eſt contrà aliquos RR.: communis tamèn intèr AA. utriuſque Scholæ. Prob. 1.: lex ſuperioris, quæ reddit illicitam omiſsionem rei præceptæ, obligat in conſcientia; séd Chriſtus Dominus de facto habuit præceptum, aùt legem naturalem non mentiendi, non perjurandi, quæ reddebat illicitam omiſsionem rei præceptæ: ergò Chriſtus de facto fuit obligatus præceptis naturalibus. Probatur min.: Chriſto de facto non erat licitum, séd illicitum perjurare, mentiri, &c.; sèd hæc illicitudo provenit ex lege, & præcepto naturali: ergò, &c.

26 Confirmatur, & prœoccupatur ſolutio contrariorum: lex naturalis in homine ineſt ex naturali inſtincto naturæ, ipſum obligans, út ſe ſubjiciat Deo, tamquam ſuo Auctori, & ſuperiori; sèd Deus, quà Deus, eſt Dominus, & ſuperior Chriſti *ùt hominis*, ratione naturæ humanæ

næ, quæ eſt illi inferior: ergò Chriſto, ùt homini, ratione naturæ humanę ineſt ex naturali inſtincto naturę obligatio, ùt ſubjiciat naturam aſſumptam Deo, tamquam ſuo Auctori, & Superiori. Mai. eſt certa. Min. eſt Div. Auguſt. tract. 79. in Ioann. ubi ait: *hùc accedit, quòd Chriſtus non tantùm Deus eſt, qua ratione æqualis eſt Patri, sèd etiam homo, quâ naturâ maior eſt Pater, cujus etiam non ſolùm Pater, sèd etiam Dominus eſt.* Hac ratione præcluditur ſolutio adverſariorum dicentium probare ſimilitér, Deum eſſe obligatum in conſcientia ad non mentiendum. Pręcluditur ergó; quià Deus non habet ſuperiorem, néc legem ſuperioris obligantis in conſcientia, ſicùt habet Chriſtus Dominus, quà homo.

27 Probatur 2. concluſio: tria præcepta primæ tabulæ, & octavum Decalogi nequent aliquomodo diſpenſari: & ſic negativa obligant omnes, & ſingulos ſemper, & pro ſempèr: afirmativa verò obligant ſempér, licèt non pro ſemper; séd hoc ipſo Chriſtus út homo, ly *ùt homo* reduplicans ſuprà concretum individuale, fuit ligatus, & obligatus ſub præcepto obligante in conſcientia ad talia pręcepta obſervanda: ergó Chriſtus ùt homo, fuit in conſcientia ſtrictè, & abſolutè obligatus præceptis naturalibus tam negativis, quàm affirmativis. Maior huius diſcurſus eſt Subt. Doct. in 3. diſt. 37. & 38. & cúm eo ſunt omnes Scotiſtæ, & Thomiſtæ cùm Ieſuitis contrà Nominales. Vide eam probatam tom. 5. noſtræ Provinciæ, tract. 13. diſput. 2. quæſt. 4. ſect. 2.. Min: diſcurſus etiàm conſtat; quiá lex naturæ, eiuſque pręcepta naturalia comprehendebant Chriſtum Dominum, erantquè ipſi indiſpenſabilia adhúc à Deo: ergò obligatus erat in conſcientia ad ea adimplenda.

28 Probatur tandèm auctoritate ipſiusmet Chriſti, Ioann. 8., ubi loquens de Patre ſic ait: *ſi dixero, quià non novi eum, ero ſimilis vobis mendax.* Ex quo ſic argumentor: ſi Chriſtus, út homo non eſſet ſtrictê obligatus in conſcientia pręcepto *non mentiendi*, dato, quod mentiretur, non eſſet mendax, ſicût homines, dùm contrá propriam mentem loquuntur; sèd hoc eſt contrà textum aſsignatum: ergó quià erat ſtrictè obligatus in conſcientia pręcepto non mentiendi. Probatur maior: ùt

eſſet

eſſet Chriſtus mendax ſicùt nos, requirebatur, quòd mentiendo eſſet peccans ſicût nos; sêd ût eſſet peccans ſicût nos requiritur præceptum naturale *non mentiendi* ipſum ſtrictè obligans in conſcientia: ergó, út ſit mendax ſicút nos, & ùt peccet ſicùt nos, eſt neceſſe, quòd interveniat præceptum naturale ipſum in conſcientia obligans. Idem dic de aliis præceptis primæ tabulæ; cùm hac differentia, quòd affirmativa, ipſum ligabant ſempèr, sèd non pro ſempêr; negativa veró ſempèr, & pro ſempèr. Hæc concluſio ampliùs conſtabit ex ſequentibus. Sit ergó

SECUNDA CONCLUSIO.

29 Chriſto, ût homini (reduplicatione ſumpta, út in concluſione prima) fuerunt impoſita à Patre ſtricta præcepta in conſcientia obligantia, diſtincta á præceptis naturalibus. Eſt contrá plures Thomiſtas, & Jeſuitas. Prob. 1. ex illo Ioann. cap. 15. ubi Chriſtus Dominus dicebat Diſcipulis ſuis: *ſi præcepta mea ſervaveritis, ſicút egò Patris mei præcepta ſervavi, manebitis in dilectione mea ſicùt & ego manſi.* In quibus verbis utiqué Chriſtus Dominus fatetur, ſe accepiſſe præcepta à Patre. Nèc valet reſponſio, quòd hæc præcepta erant laté ſumpta, hoc eſt, mera conſilia. Non valet; & ùt claré hoc videatur, ſic ex præfata auctoritate.

30 Probatur concluſio: ſicùt Chriſtus impoſuit Diſcipulis præcepta, quorum obſervatio requirebatur ad manendum in dilectione Chriſti, ità Pater impoſuit Chriſto, ût homini, præcepta, quorum obſervatio erat requiſita, ùt maneret in dilectione Patris; séd præcepta impoſita Diſcipulis, út manerent in dilectione Chriſti, erant præcepta ità obligantia in conſcientia ad non tranſgrediendum: ergo & præcepta impoſita à Patre Chriſto, ùt homini, ità ipſum obligabant. Maior eſt Angelici Præceptoris, qui lect. 2. in dicta verba, ſic ait: *Chriſtus per hoc oſtendit, quod manſit in dilectione Patris; quia omnia mandata ſervavit.* Ex quo infero: ergó ſi non obſervaſſet, non manſiſſet in Patre; quià deficeret ratio manendi: ergó neceſſaria fuit obſervantia ad manendum in dilectione Patris.

32 Dubitant hic A.A.: àn talia præcepta impoſita á Pa-

Patre Chriſto Domino fuerint purè directiva; an verò coactiva & comminatoria? Aliqui dicunt, quod fuerunt purè directiva. Sic Pater Marin. Reſpondeo tamen, quód fuerunt coactiva & comminatoria, non abſolutè, sèd dumtaxat conditionatè, ſub conditione violationis antecedentèr poſsibilis libertati voluntatis humanæ Chriſti. Ratio eſt; quià in Chriſto Domino ſolùm fuit timor Filialis, quoad actum primarium reſpicientem divinam Maieſtatem, vèl ùt facientem mirabilia, vèl ùt adeó eminentem, quod eam cùm tremore revereretur Chriſtus Dominus; maximè videndo, proùt erat homo, ſuam propriam parvitatem; inquoqué ſenſu dicitur, quód ſit in patria donum timoris in beatis.

32. Undè de facto in Chriſto Domino, ùt homine, non fuit adhùc ſub conceptu inadęquato timoris filialis, timor pœnæ, aût culpę; non quià pœna, aût culpa ipſi erat antecedentèr impoſsibilis; sèd quiâ hęc mala, ût ſint obiectum timoris actualis, debent eſſe, vel futura, vèl imminentia; hoc eſt, ſaltèm probabilitèr, & contingentèr futura, quod minimè habuit locum in Chriſto, ût homine; cùm haberet certitudinem de non futuritione ſuæ culpæ, aût pœnæ ob impotentiam conſequentem, manutenentiam Dei extrinſecam, né minimam culpam committeret. Quapropter tale pręceptum non poterat abſolutè tendere ad ipſum retrahendum per vim coactivam timore pœnæ, quod eſt proprium præcepti abſolutè coactivi, & comminatorii; & ſic ſolùm fuit comminatorium conditionatè, ſcilicet, ſub conditione ſi, ùt erat poſsibile antecedentèr ſuæ libertati ſibi ipſi derelictæ, violaret mandatum. Per hanc doctrinam ſolvuntur argumenta, quæ hic objici ſolent.

TERTIA CONCLUSIO.

33. Chriſtus Dominus habuit rigoroſum præceptum de morte. Concluſio eſt communis intér Thomiſtas, Scotiſtas, & Jeſuitas, contrá aliquos, quos citat P. Marin. Eam tenet Subt. D. in 3. diſt. 17. num. 15., & ſatis colligitur ex præcedentibus. Probatur 1.: Sacra Scriptura intelligenda eſt in proprio, & rigoroſo ſenſu, quandò ex tali intelligentia nullum ſequitur inconveniens; séd Script. Sacra docet, Chriſtum habuiſſe præceptum de mor-

te: & intelligendo, quòd tale præceptum fuerit rigoroſum, nullum ſequitur inconveniens: ergò dicendum eſt, quòd Chriſtus Dominus habuit rigoroſum præceptum de morte. Prob. min. quoàd primam part.: Joann. 10. dicitur: *hoc mandatum accepi à Patre*, hoc eſt, mortis. Item cap. 14.: *ſicùt mandatum dedit mihi Pater, ſic facio: ſurgite, eamus*: ergo ex Scriptura Sac. conſtat, Chriſtum Dominum habuiſſe præceptum de morte.

34 Probatur eadem min. quoàd 2. part.: ſi aliquod inconveniens ſequeretur ex eo, quod præceptum de morte impoſitum Chriſto Domino intelligeretur in rigoroſo ſenſu, maximè nè daretur fundamentum Arrianis intendentibus ex hoc probare inferioritatem Filii reſpectu Patris; quià, qui tenetur præceptis rigoroſis alterius, inferior eſt ipſo; ſéd hoc non ſequitur: ergò nullum ſequitur inconveniens. Prob. min. primo ex Mag. P. Aug. ſupèr verba relata in probatione primę partis, ubi docet, quòd præceptum non infert inferioritatem naturæ, per hæc verba: *quòd præcepto Patris obediens ſit filius, nèc in nobis demonſtrat diverſam, imparemquè naturam.* Prob. ſecundò eadem min.: Arriani enim omnimodam inferioritatem ponebant in Chriſto Domino reſpectu Patris; dicebant enim, Verbum divinum eſſe puram creaturam; nos verò cum Magn. P. Aug. catholice fatemur, quòd Chriſtus, ſolùm ùt homo, eſt minor Patre, & proùt ſic capax ſtricti præcepti: ergò nullum fundamentum damus pro Arriana hæreſi fovenda.

35 Probatur 2. concluſio: convenientiſsimum fuit, quòd Chriſtus Dominus ex obedientia perfectiſsima moreretur; ſéd perfectiſsima obedientia ergà aliquam rem oritur ex obligatione ſtricti præcepti: ergò Chriſtus moriendo obediv it ſtricto præcepto. Min. conſtat ex illo Paul. *factus obediens uſquè ad mortem.* Prob. min.: cæteris paribus, perfectior eſt ratione obedientiæ illa, quæ eſt ſtricta, & mera obedientia, quàm illa, quæ non eſt ſtricta, nèc mera obedientia; ſèd acceptatio mortis ex ſtricto præcepto eſt ſtricta, & mera obedientia: acceptatio verò mortis ex non præcepto, non eſt ſtricta nèc mera obedientia: ergò ſi conveniens fuit, &c. Min. quoàd ſecundam part. eſt Divi Laurent. Juſtiniani lib. de *contemptu mundi*, ubi ait: *tùnc eſt*

mera

mera obedientia, quando præceptum obligat, & non ex alia cauſa. Deindé: illa eſt perfectior obedientia, quæ minùs habet de propria voluntate, & eſt de voluntate ſuperioris. Aliæ probationes huius concluſionis patebunt in concluſione ſequenti. Sit

QUARTA CONCLUSIO.

36 Præceptum impoſitum Chriſto Domino de ſubeunda morte non fuit tantùm circà mortem quoàd ſubſtantiam, séd etiàm circunſtantionatam omnibus ejus circunſtantiis. Concluſio hæc eſt contrà plures Jeſuitas, & Scotiſtas conantes ſic ſalvare libertatem Chriſti, ùt hominis, in ſubeunda morte cum ejus impeccabilitate. Rationem aſsignant; quià licèt ſuppoſito præcepto moriendi non poſſet non mori, erat tamén indifferens ad mortem acceptandam hoc, vél illo tempore; actû intenſo, vèl remiſſo; hoc, vél illo motivo, &c. Undé, quando eam ſic, vél ſic acceptavit, liberè acceptavit; quia de his circunſtantiis nullum fuit præceptum; ác per conſequens acceptatio illa fuit meritoria; quiâ circunſtantiæ illæ ſunt de ſubſtantia illius actus: & cúm actus indiviſibilis ſit, totus eſt liber, & totus meritorius. Contrà hunc modum dicendi, ſtat noſtra concluſio.

37 Probatur 1.: ſi Chriſtus D. unicé habuit libertatem ad prædictas circunſtantias, non verò ad mortem quoad ſubſtantiam, mors Chriſti ſecundûm ſubſtantiam non fuit ſimplicitér, & abſolutè libera; séd hoc nequit dici: ergò. Prob. min.: in hypoteſi facta non deberemus reddere Chriſto Domino gratias pro eo, quod mortuus fuerit ſimpliciter, & abſolutê; nêc homines redemiſſet, quià ſic mortuus eſt, sèd tantùm quiá hoc, vèl illo tempore; hoc, vèl illo motivo mortuus fuerit; séd hæc ſequela videtur eſſe contrà Scripturam, ùt ſermo habetur de morte ipſa ſecundûm ſubſtantiam, quaſi libera Chriſto fuerit, & quaſi pro ipſa digno laude, & gratiis, út conſtat ex illo ad Philipenſ. 2.: *factus eſt obediens uſquè ad mortem, mortem autèm Crucis: propter quod Deus exaltavit illum, & donavit, &c.* Ubi præcipuum obedientiæ fuit: *factus eſt obediens uſquè ad mortem*: ergó nequit dici, quód Chriſtus fuerit liber ſolúm quoàd circunſtantias mortis, & non quoàd mortem ſecundum ſubſtantiam.

38 Prob. 2. concluſio: vél præceptum ſtrictè obligans

in conſcientia lædit libertatem reſpectu ſubjecti impeccabilis, vèl non lædit? ſi primum: ergó Chriſtus liberè non mortuus eſt, sêd neceſſariò, contrà illud Scripturæ: *oblatus eſt, quià ipſe voluit*: ſi ſecundùm: ergò ſicut præceptum ſtrictum reſpiciens mortem quoàd ſubſtantiam non lædit libertatem ad illam, paritér, etſi præceptum cadat ſupèr circunſtantias, iſtæ manebunt liberæ. Igitúr impertinens eſt ad ſalvandam libertatem Chriſti Domini cum eius impeccabilitate, recurrere ad diſtinctionem mortis ſecundùm ſe, & mortis circunſtantionatæ. Probari etiàm poteſt concluſio authorit. Divi Aug. tract. 104. in Joan., ubi ſupér illa verba Chriſti Domini: *Pater, venit hora*, ait: *oſtendit omne tempus, & quid, & quandò faceret, vel fieri ſineret, ab illo eſſe diſpoſitum, qui tempori ſubditus non eſt.* Ex qua authorit. colligitur, quòd ne dùm mors quoàd ſubſtantiam, sèd etiàm quoàd circunſtantias temporis, diſpoſita fuit á Patre Chriſto, ùt homini.

39 Argues 1. contrà has concluſiones ex variis locis ſacræ Scripturæ. Joann. 1. dicitur: *Nemo tollit animam meam à me; sèd ego pono eam pro me ipſo.* Et. Iſaiæ cap. 53. *oblatus eſt, quià ipſe voluit.* Supra quæ verba Magn. Par. Aug. lib. 4. de Trinit. cap. 13. ſic ait: *qui potuit non mori, ſi nollet, proculdubio, quia voluit, mortuus eſt*: sèd ex his authoritat. clarè infertur, Chriſtum Dominum non habuiſſe præceptum de morte nèc quoad ſubſtantiam, nèc quoàd circunſtantias: ergò non habuit. Reſpondeo negando abſolute minam in hoc ſtat difficultas in hoc puncto: quomodò Chriſtus Dominus cùm impeccabilitate ipſi convenienti á primo inſtanti ſuæ conceptionis, inſtante præcepto de morte, & eius circunſtantiis habuerit ſufficientem libertatem ad merendum tàm in mòrte, quàm in eius circunſtantiis. Undè fatemur, quod Chriſtus liberè poſuit animam ſuam pro nobis oblatus eſt, quià ipſe voluit, hoc eſt, oblatus, & mortuus eſt liberè, adhûc inſtante præcepto, & impotente peccare. Sèd quomodò hoc? Hic opus, hic labor. Noſtram mentem ſectione ultima aperiemus.

40 Replicabis: ſi Chriſtus Dominus habuit præceptum ad mori, habuit & præceptum ad reſurrectionem; sèd hoc nemo dicit: ergò. Prob. mai.: Joann. 10. ait Chriſtus Dominus: *poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum*

ſumendi eam : hoc mandatum accepi à Patre meo : ergò ſi habuit præceptum ad primum, etiám ad ſecundum. Non deſunt Theologi, qui negant abſolutè minorem. Sèd reſpondeo ex Scoto in 3. diſtinct. 16. quæſt. 2. §. *ad 2.* 3 ubi ſic textum explicat : *ùt homo, accepit mandatum ponendi animam, id eſt, de complacendo, & patiendo animam poni, sèd non effectivè, ità quòd ponere animam, & non ponere fuerit in ejus poteſtate.* Undè præceptum non fuit, nèc circà ponere animám effectivé, néc circà reſurrectionem effectivè, sèd ſolùm, út toleraret mortem, eamque acceptaret, & ſic daret locum moriendo ad miraculum reſurrectionis patrandum.

41 Ex omnibus dictis in hac ſectione, conſtat, quòd etſi AA. huius modi dicendi ſalvent libertatem Chriſti Domini proximam, & expeditam ad mori, & etiám ad circunſtantias mortis cum eius impeccabilitate, non tamèn tangunt principale punctum huius arduæ difficultatis, quæ præcipué ſtat in hoc : quomodó inſtante præcepto alicuius operis, cum impeccabilitate abſoluta ſtet libertas requiſita ad ponendum, vél non ponendum tale opus ; nàm proút ab ipſis diſputatur, manent mors, & eius circunſtantiæ ſub mero conſilio : & reconciliare libertatem cum impeccabilitate in operibus ſub conſilio cadentibus, non eſt ardua difficultas, ù diximus diſp. 1. huius quæſt. 3. ſect. 1.. Deindè: nequeunt negare, Chriſtum Dominum obligatum fuiſſe in conſcientia ad ſervanda tria præcepta primæ tabulę, & octavum Decalogi, & tamèn liberè ſervavit ; ſicut ergò laborant pro reconciliandа libertate cum præceptis iſtis, & laborare debent pro componenda libertate mortis Chriſti cum eius præcepto; alias extrà Chorum canunt.

SECT. III.

Refellitur alius modus dicendè communis Jeſuitis, & aliquibus Scotiſtis.

42 PLauſibilis quidèm apûd Jeſuitas, & aliquos Scotiſtas eſt modus reconciliandi libertatem ad mortem ſtrictè præceptam cum omnimoda impeccabilitate. Dicunt enim fuiſſe quidèm Chriſto Domino impoſitum præceptum de morte, & ſub obligatione peccati, sèd talitèr, ùt fuerit ipſi liberum, vèl non acceptare præ-

præceptum, vèl petita diſpenſatione liberari ab illo; undè fit, ùt ſimplicitér fuerit Chriſto liberum non mori, ſalva eius impeccabilitate, quatenùs potuit ex ſua libertate abſquè peccato poſtulare, & obtinere diſpenſationem præcepti. Ab hoc modo dicendi non multum diſtat N. R. Pater Didacus Gonzal. Matheo lib. 3. tract. 5. diſp. 9. quæſt. 5. à num. 1199. Solùm differt in hoc, quod tenet, Chriſtum Dominum habere datam à Patre poteſtatem, ùt ſecum diſpenſare poſſet tàm in prædicto præcepto mortis, quàm in præceptis legis naturalis, quorum materia admittit moralem mutationem à Deo, ùt Supremo Domino.

43 Quod mirandum eſt in hoc A., eſt, quod hæc via conciliandi cum impeccabilitate Chriſti libertatem expeditam immediatam ad utrumlibet, & requiſitam ad meritum in actibus præceptis, nova dicatur; cùm ipſe in quarto modo dicendi, hanc viam commemoret, & impugnet. Solùm enim ſtat differentia, quòd Jeſuitæ, & aliqui Scotiſtæ dicunt, quòd Chriſtus habuit poteſtatem petendi diſpenſationem, quam abſdubio obtinuiſſet, ſi petiviſſet; hic autém A. dicit, Chriſtum habuiſſe poteſtatem delegatam à Patre ad ſecum diſpenſandum pro libito ſuo. Hic modus dicendi etiám inſinuatur à curſu Theolog. huius Alm. Prov. tom. 6. diſp. 1. quæſt. 4. argum. 4. num. 112. ubi docet, *pactum interveniſſe intèr ipſum, & Patrem relinquendo in eius manu acceptare, vèl non acceptare mortem.* Sed quidquid ſit de hoc.

44 Hic modus dicendi non eſt deſtitutus ab omni ratione, & authoritate, quod ſic oſtendo: potuit Deus imponere in Chriſto præceptum moriendi, & ſimúl relinquere in poteſtate eius, ût moreretur juxtá præceptum, vêl, ſi vellet, poſſet impetrare precibus præcepti diſpenſationem, aút ſecum diſpenſare per poteſtatem ſibi datam, ùt ait N. Matheos; sèd, hoc ſuppoſito, non ſolúm Chriſtus fuiſſet liber quoàd circunſtantias mortis, sèd etiàm quoàd ſubſtantiam ipſius; & ex alia parte maneret illæſa eius impeccabilitas: ergò cum hic modus rectè conciliet perfectam Chriſti libertatem, quoàd ſubſtantiam actus præcepti cum impeccabilitate, erit cæteris præferendus. Maiorem diſcurſus probant ex illis verbis Chriſti, Mathęi 26.: *àn putas, quià non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò, pluſquàm*

quàm duodecim legiones Angelorum ? Quibus verbis oſtendit Chriſtus, ſe potuiſſe vitare mortem, rogando Patrem, ùt ab ea liberaretur, ſi voluiſſet. Nùnc ſic; sêd non potuiſſet vitare mortem, ſtante præcepto: ergò liberum erat ei petere diſpenſationem à præcepto, vél ſecum in ipſo diſpenſare per poteſtatem delegatam à Patre.

45 Prob. min. primi diſcurſus: non poteſt maior libertas excogitari in adimpletione præcepti, quam ita acceptare mortem, ùt poſsit non ſolùm tùnc, quandò præceptum intimatur, sèd nunquàm illam acceptare; sèd Chriſtus ità habuit præceptum moriendi, út non ſolùm non teneretur tùnc, quandò præceptum habuit, mortem acceptare, sèd nèc poſteà pro tempore ſequenti; quià toto tempore ſequenti potuit petere præcepti diſpenſationem, aút ſecùm diſpenſare, & conſequenter potuit ſimplicitér non mori: ergó Chriſtus fuit liber, &c. Confirmari hòc poteſt textibus Sacræ Scripturæ, in quibus dicitur, quód Chriſtus poſuit animam ſuam á ſe ipſo, & oblatus eſt, quiá ipſe voluit; nàm in tantùm poſsuit, & oblatus eſt, in quantùm noluit diſpenſationem petere, aùt ſecum diſpenſare. Certè, ùt verum fatear, hic modus dicendi ſatis probabilis videtur, ſi univerſalitèr de omnibus præceptis probaret. Undé, ipſo in ſua probabilitate relicto, pro nùnc ipſum ſic

46 Impugno 1.: licèt præfatus modus dicendi optimé ſalvet libertatem Chriſti Domini cum eius impeccabilitate ergá præcepta, quę ſunt diſpenſabilia, vél mutabilia ratione materiæ, non verò probat ergà præcepta naturalia, quę abſolutè, & ſimplicitèr indiſpenſabilia ſunt, ùt ſunt tria primæ tabulæ, & octavum Decalogi; sèd Chriſtus Dominus non ſolùm debet eſſe liber quòad obſervantiam præceptorum, quæ diſpenſabilia ſunt, sèd etiàm quoàd obſervantiam præceptorum, quæ ſunt naturalia, & indiſpenſabilia: ergò cùm quoad iſta nequeat præfatus modus dicendi reconciliare libertatem Chriſti Domini cum eius impeccabilitate, hinc eſt, quod talis modus dicendi non ſit adæquatus, nec adæquatè reſolutivus difficultatis. Minor diſcurſus conſtat; quià Chriſtus Dominus non minùs perfectè meruit per opera adimpletiva præceptorum naturalium indiſpenſabilium, quàm per adimpletionem præcepti mortis, & aliorum præceptorum

rum naturalium diſpenſabilium: ergò neceſſe eſt etiàm ponere libertatem in Chriſto Domino ad adimpletionem præceptorum naturalium indiſpenſabilium. Hac ratione convictus N. R. Matheus cit. alio modo diſcurrit de his præceptis concluſione 4. De quo nobis poſtea.

47 Impugnatur 2. hic modus dicendi: quamvis ſalvet hic modus dicendi libertatem mediatam, & in cauſa, non tamèn immediatam, requiſitam ad meritum: ergò hic modus dicendi non ſalvat libertatem requiſitam ad merendum. Prob. antec.: libertas requiſita ad meritum eſt libertas concomitans actum in ipſo inſtanti elicientiæ eius; sèd talis libertas non ſalvatur per poteſtatem petendi diſpenſationem, aùt diſpenſandi ſecum: ergò &c. Prob. min.: pro inſtanti eliciendi actus præcepti non eſt libertas ad ipſum, & eius omiſſionem, niſi pro priori inſtanti durationis fuerit impetrata, aût facta diſpenſatio; sèd impetrata, aùt facta diſpenſatione pro priori inſtanti durationis ad elicientiam actus, non concomitatur elicientiam actus poteſtas petendi diſpenſationem, aùt diſpenſandi, út eſt evidens; quia jàm prèteriit, poſtulata, & impetrata diſpenſatione; ergó talis libertas nunquàm concomitatur elicientiam actus.

48 Confirmatur: pro inſtanti elicientiæ actus præcepti, vèl ſupponitur diſpenſatum præceptum, vèl non ſupponitur diſpenſatum? ſi primum: ergò cùm diſpenſatio, vèl ab alio impetranda, vèl à ſe fienda, præcedat duratione elicientiam actus, pro cuius elicièntia poſtulata, & diſpenſata fuerat, ſequitur, quòd libertas concomitans ad elicientiam actus, non eſt libertas ad actum præceptum; quià impetrata, vèl facta diſpenſatione præcepti pro priori, actus non eſt præceptus reſpectu diſpenſati. Si verò præceptum non ſupponitur diſpenſatum pro inſtanti elicientiæ actus: ergò ſubſiſtit præceptum. Núnc ſic; séd ſubſiſtente præcepto, Chriſtus ratione ſuæ impeccabilitatis eſt neceſſitatus ad actum; quià cum præcepto non poteſt conjungere omiſſinem actus præcepti: ergò. Deindè: tùnc caſus Chriſtus Dominus non meruiſſet in Paſſione, nèc in ſubeunda morte, séd ſolùm in nolitione diſpenſationis præcepti, vèl à Deo impetrandæ, vèl á ſe fiendæ ratione poteſtatis delegatæ.

49 Deindè: néc ratio, qua utuntur, multum urget; nàm in primis poteſt abſolutè ne-

regari mai., ſcilicèt, quòd Deus impoſuerit Chriſto præceptum moriendi, & ſimùl reliquerit in poteſtate eius, út peteret diſpenſationem præcepti. Nèc textus adductus ex Math. 26. hoc probat; nàm dùm Chriſtus Dominus hoc protulit, non dùm advenerat tempus urgens ad adimpletionem præcepti; quapropter pro hoc tempore, quàm optimè poterat Chriſtus evadere mortem. Deindè, loquitur de contumeliis, & violentiis, quæ in ipſo pro túnc faciebant Judæi, ipſum alapis, fuſtibus, & flagellis feriendo. Tandèm, non obſcurè colligitur ex Sac. Scriptura, non habuiſſe liberam facultatem petendi diſpenſationem à præcepto; nàm túnc non ſic poſtulaſſet: *Pater, ſi poſsibile eſt, tranſeat à me Calix iſte*; non enìm diceret: *Si poſsibile eſt*; nàm tùnc utiquè noviſſet certó eſſe poſsibile; cúm poſſet impetrare diſpenſationem, aút ſecum diſpenſare.

SECT. IV.

Proponuntur varij modi dicendi Scotiſtarum.

50 QUià Subt. Doct. hanc difficultatem ex profeſſo non tractat, ut notat N. Maſtrius hic, hinc eſt quòd ejus Diſcipuli in varios modos dicendi, & illam reſolvendi diviſi ſunt; principaliores in hac ſectione proponemus, ut ipſis, & ſua probabilitate viſis, & penſatis, in ſequenti ſect. poſsimus noſtram mentem aperire. Sit ergò

PRIMUS MODUS DICENDI.

51 Noſter Faber in 3. diſt. 44. cap. 1. cum alijs Scotiſtis recurrit, pro reconciliandà libertate Chriſti D. Sufficienti ad meritum cum ejus impeccabilitate, ad libertatem eſſentialem, de qua agit S. Doct. quodlib. 16. & qua libertate, dicunt omnes Scotiſtæ, Deum liberé amare ſuam eſſentiam, & ſpirare Spiritum Sanctum; eſtò Deus neceſſario neceſsitate inevitabilitatis ſe ipſum amet, & Spiritum Sanctum ſpiret. Ut hoc plenè intelligatur, notate, quòd modus operandi primò dividitur in modum agendi *naturalitèr*, & *liberè*: & poſteà modus agendi *naturalitèr* ſubdividitur in modum agendi *neceſſario*, & *contingentèr*. Undé primum extremum diviſionis, ſcilicèt, agendi liberè, eſt commune omni voluntati, tàm creatæ, quàm increatæ; & conſiſtit, in ſimplici dominio, quod

habet voluntas ſuprà ſuum actum; quæ quidem ſpecies libertatis indifferentêr ſe habet ad contingentiam, & neceſsitatem, & eſt cum utraque componibilis.

52 Hac ergó doctrina ſuppoſita, dicunt hi Scotiſtæ, non obſtare Chriſto neceſsitatem in agendo ſeú, ad obediendum præcepto mortis, ortam ex ejus impeccabilitate, ad hoc ut inſimùl dicatur, quòd voluntas Chriſti liberê egit, aút liberè obedivit præcepto mortis ratione dominij, quod habebat ſuprá ſuos actus; quiá etſi voluntas neceſſariò ſe determinet, non deperdit dominium, ſeù gradum libertatis eſſentialis, qua liberê ſe determinat. Quarè defendunt hi Scotiſtæ, quod etſi in Chriſto Domino non ſit libertas connexa cum contingentia, & cum indifferentia ad agendum, & non agendum, ſtantibus neceſſariò requiſitis ad agendum; eſt tamèn libertas ſufficiens ad merendum, ſcilicét, libertas eſſentialis. Certé tota hæc doctrina de libertate eſſentiali veriſsima eſt in via Scoti; sêd non eſt ad rem: quod ſic

53 Oſtendo: libertas eſſentialis, ſeù dominii non eſt ſufficiens ad merendum: ergò hæc doctrina non eſt ad propoſitum. Prob. antec. ex tòm. 6. tract. 17. diſp. 3. quæſt. 2. concluſ. 1. ubi ſtabilitur, quòd, ût actus ſit meritorius ſivè de congruo, ſivé de condigno, debet eſſe liber libertate indifferentiæ ad utramque partem. Vide ibi. Deindè; hic modus dicendi non multum diſtat á Calvini doctrina damnata; hic enim dicebat, libertatem ſufficientem ad meritum, & demeritum in via eſſe ſolùm libertatem á coactione, non excludendo neceſsitatem ſimplicitér, & abſolutam. Tandèm, Subr. Doct. néc per ſomnium dixit, libertatem eſſentialem cohærentem cum abſoluta neceſsitate ſufficere ad meritum, vèl demeritum. Talem enim doctrinam de libertate eſſentiali ſolùm aſsignavit ad diſtinguendos actus divinæ voluntatis ad *intrà*, tàm eſſentiales, quàm notionales, ab actu intellectus, quamvis ambo in neceſsitate conveniat. Undè non eſt neceſſe, út in hoc ampliùs immoremur.

SECUNDA OPINIO Scotiſtarum.

54 Noſter Vulpes ſecunda parte ſum. diſp. 5. art. 9. cum Aretin. in 3. diſp. 18. q. unic. art. 3. & aliis Scotiſtis, dicit, Chriſtum Dominum, & quemlibet beatum duplicitér poſ-

poſſe conſiderari : vèl in illo priori naturæ ad elicientiam actus beatifici, vél prout jàm illum actum elicuerunt. Si primo modo conſideretur Chriſtus, & quilibet beatus, ſunt proximè liberi ; quià proximè poſſunt elicere, & non elicere actum fruitionis ; ſi veró ſecundo modo conſiderentur, iàm ſunt determinati ad elicientiam, & continuationem illius actus ratione manutenentiæ Dei, & decreti denegantis concurſum ad oppoſitum pòſt elicientiam viſionis, & fruitionis beatificæ. Undé in hac ſententia, elicientia fruitionis fuit liberé poſita à Chriſto, & beatis liberè libertate exercitii proxima, & expedita.

55 Declaratur hoc amplius. Libertas illa, qua Chriſtus Dominus in primo ſuæ conceptionis inſtanti liberé elicuit fruitionem beatificam, ità út pro ſigno priori actus primi ad fruitionem habuerit concurſum paratum ad utrumlibet extremum libertatis, fuit etiam libertas, qua ita liberè fruitionem elicuit, ut ſimul ſe liberé determinaverit ad obſervantiam omnium præceptorum, & conſiliorum, quæ per viſionem beatam ipſi repræſentabantur relucentia in Verbo, ſeú in eſſentia divina ; quia eodem actu fruitionis primariò ſe liberè determinavit ad fruendum Deo claré viſo: & ſecundariò ſe liberé determinavit ad ſe conformandum in omnibus divinæ voluntati ; & conſequentèr ad obſervanda omnia præcepta, & conſilia ſibi propoſita ſecundariò per viſionem beatam in verbo relucentia.

56 Ex hac doctrina inferunt hi Scotiſtæ, quòd impotentia phyſica peccandi, quæ eſt in Chriſto D. per denegationem Concurſus ad oppoſitum fructionis, non lædit libertatem requiſitam ad obſervationem præceptorum ipſum ſtrictè obligantium, & conſequenter, nèc requiſitam ad merendum. Tùm, quià Chriſto advenit talis impotentia phyſica peccandi pro poſteriori ad liberam determinationem fruendi Deo, & obſervandi omnia præcepta. Túm, quià denegatio talis concurſus eſt ex ſuppoſitione liberæ determinationis voluntatis Chriſti ad illa obſervanda : qua determinatione ſuppoſita, Chriſtus D. ſibi ipſi impoſuit neceſsitatem, quà non poſit non obſervare, nèc non conformari in omnibus voluntati divinæ. Hic modus diſcurrendi videtur valdé Subtilis ; sèd in rei veritate, & plura continet falſa in ſua doctrina, & aliundè non videtur

ſatisfaciens adæquatè dificultati. Primum ſic demonſtrò.

57 Primò : falſum eſt, beatos in elicientia actus beatifici eſſe proximè liberos. Nam Subt. Doct. in 2. diſt. 5. q. 1. loquens de voluntate Angeli docet, quòd in elicitione actus diverſimodè ſe habuit quandò promeruit, & quandò præmium accepit : *quandò enim præmiatur, vult immutabiliter: ſed quandò meretur, non ſit immutabiliter vult, ſed ùt eliciens actum contingenter videtur elicere* ; quibus verbis expreſsè docet, beatum immutabiliter elicere actum beatificum, qui eſt præmium ; non autèm contingenter. Deindè : quia hac doctrina poſſet dici, quòd beati nunc ſunt in ſtatu merendi; nam, ſi liberè elicuerunt actum beatificum, potuerunt ſe liberè determinare ad continuandum talem actum, & inſimùl ad liberè eliciendum omne illud, quod fuerit magis gratum voluntati divinę, & cum hac libera determinatione pro tota æternitate mereri : ergò, nè hoc ſequatur, dicendum eſt, quòd nèc beati, nèc Chriſtus Dominus fuerunt liberi libertate proxima in elicientia primi actus beatifici.

58 Secundò : falſum eſt in Scoti principiis, quòd voluntas humana Chriſti Domini eodem actu fruitionis ſe determinavit ad fruendum Deo, & ad obſervanda præcepta relucentia in verbo ; nàm Subt. Doct. in 3. diſt. 18. quæſt. unic. in ſolutione ſecundi argum. principalis, nè videatur concedere, quòd Chriſtus Dominus eodem actu tendit in Deum, & in alia obiecta relucentia in Verbo, ſic ſe explicat: *& quando dicis, quòd hoc non ſit uno actu ; verum eſt, sèd* „ duobus; & cùm probas, quod „ non ; quià portio ſuperior habet actum adæquatum beatifi- „ cum reſpectu objecti beatifici, „ & non interruptum: ergò non „ poteſt ſimùl habere alium ac- „ tum circa alia relucentia in „ Verbo: nego conſequentiam. „ Quià licèt actus ille fuerit „ adæquatus intenſivè, ità ût „ perfectiorem habere non poſ- „ ſet, non fuit tamen adæqua- „ tus extenſivè, quin ſimùl „ alium imperfectiorem habere *poſſet*. Hæc Doct. : ex quibus clare conſtat, quod non uno, sèd duobus actibus voluntas Chriſti Domini ſe determinavit ad fruendum Deo primariò, & ſecundariò ad obſervanda omnia præcepta, & ſe conformandum voluntati divinæ in omnibus. Ex quaque doctrina ſic modum dicendi horum Scotiſtarum Im-

59 Impugno brevitèr: juxtà Doct. cit. primus actus elicitus à voluntate Chriſti D. pro priori naturæ ad quemlibet alium actum ipſius fuit fruitio beatifica: ergò pro ſigno poſteriori naturæ, quo elicuit actum, quo ſe determinavit ad obſervanda præcepta relucentia in Verbo, non habebat concurſum paratum ad oppoſitum fruitionis; & conſequenter, nèc ad liberè ſe determinandum. Prob. conſeq.: decretum mantenentiæ de conſervando perpetuò fruitionem per negationem concurſus ad oppoſitum ipſius unicè intelligitur in ſigno elicientiæ fruitionis; cùm in ſigno poſteriori naturæ ad elicientiam ipſius jam per vos, intelligatur negatio concurſus ad eius oppoſitum: ergò jam non intelligitur voluntas Chriſti Domini proximè libera, & expedita in elicientia illius actus, quo ſe determinavit ad obſervanda præcepta relucentia in Verbo; nam elicita fruitione jam non eſt locus, ùt intelligatur præparatio concurſus ad oppoſitum fruitionis conſtituens libertatem proximam.

60 Sed demus gratis his Scoriſtis, quòd voluntas Chriſti Domini liberè ſe determinaverit ad elicientiam fruitionis, & eodem actu ſe determinaverit ad obſervanda præcepta relucentia in Verbo: Dico, quòd adhuc ſtante hac doctrina, non ſatisfit difficultati, ſcilicèt, quòd mors Chriſti fuit libera libertate requiſita ad meritum. Hoc ſic oſtendo: fundamentum moralitatis, & bonitatis meritoriæ non eſt libertas in cauſa, ſed in ſe, & hoc non ſolùm in principio, ſed etiam in medio, & in fine; alias, quæ in ſomno eveniunt, & cauſam habuerunt liberam, eſſent meritoria, & demeritoria; ſed Chriſtus Dominus non ſolùm in primò inſtanti ſui eſſe, ſed etiam toto tempore vitæ ſuæ, & maximè in inſtanti ſuæ mortis promeruit nobis redemptionem; ergò ad hoc non ſufficit illa libertas, quam habuit pro priori ad elicentiam actus beatifici, & ad determinationem adimpletionis omnium præceptorum, quæ ipſi relucebant in Verbo; cùm pro tùnc non eſſet libertas in ſe.

61 Deindè: eſtò fruitio beatifica, & inſimùl determinatio ad obſervanda omnia divina præcepta concedatur libera voluntati Chriſti D. pro illo priori ad eorum elicientiam, ſolùm fuit libera quoàd *elici*, vèl *non elici*, non tamèn quoàd *continuari*, vèl *non continuari*: ergò dùm actu

tú continuabantur, tám fruitio, quàm obſervatio præceptorum, non erat liberum exercitium voluntatis Chriſti D. in ſe, ſed ad ſummum in cauſa; & conſequentèr néc obſervatio poterat eſſe meritoria. Prob. antec. continuatio, vèl non continuatio tâm fruitionis, quàm obſervationis, præceptorum, juxtâ communem Scotiſtarum, unicè pendet ex manutenentia Dei extrinſeca, quæ non eſt in poteſtate voluntatis creatæ, ſéd divinę. Imô, ex hoc ſequitur, quód determinatio voluntatis Chriſti D., proùt continuata, non ſit libera ipſi adhùc in cauſa; cúm voluntas creata Chriſti non ſit cauſa talis continuationis, ſed ſolùm decretum manutenentiæ extrinſecæ: ergò &c.

TERTIA SENTENTIA Scotiſtarum.

62. Noſter Poncius tûm in Commentarijs ſupèr 3. Sent. tûm in Curſu theologico diſp. 39. q. 11. ait, Chriſtum D. liberè obſervaſſe omnia præcepta quoàd ſubſtantiam, & circunſtantias; quiá non erat aliquid, quod determinavit illud ad obſervantiam præcepti, ità ùt abſolute, & ſimplicitér non haberet potentiam phyſicam ad non obſervare præcepta; & ſi moralitér loquendo non poſſet non obſervare. Clarius, ait Poncius: impeccabilitatem Chriſti eſſe tantùm moralem, non autèm phyſicam; undê phyſicè peccare poterat, moraliter verò non. Moralis autèm impeccabilitas, & impotentia moralis faciendi aliquid, non obeſt ad hoc, ùt liberè quis poſsit facere illud. Undê, etſi Chriſtus D. manſerit impeccabilis moralitér, vèl ratione unionis, vêl ratione gragratiæ, vèl ratione beatitudinis, vèl tandèm ratione manutenentię extrinſecæ Dei, juxtà diverſa placita; adhúc tamèn manſit liber libertate phyſica, intrinſeca ipſimet voluntati ad peccandum, & conſequentèr ad merendum.

63 Poncius hoc ſuadere conatur his exemplis: qui habent gratiam efficacem ad aliquid faciendum, ſunt moralitèr determinati ad illud, & tamén liberè faciunt illud; quiá retinent libertatem phyſicam, & intrinſecam. Similitèr, qui gravitèr tentatur ad peccatum, niſi detur ipſi gratia efficax, eſt moralitèr determinatus ad peccandum, & tamén liberé peccat. Quod verò Chriſtus D. non habuerit im-

impeccabilitatem phyſicam, sèd ſolùm moralem, probat Poncius; quià nihil poteſt aſſignari, quod determinet Chriſtum phyſicè ad non peccandum; hoc enim præſertim eſſet viſio, & amor beatificus; ſed hæc non poſſunt phyſicè, illum determinare: ergo nihil aſsignari poteſt, &c. Hanc ſententiam tuentur noſter ſapientiſſ. Macedo, & P. Carolus de el Moral.

64 Ab hoc modo dicendi, non multum diſtat Div. Bonavent. in 3. diſt. 18. art. 1. quæſt. 2. cum aliis, ubi ſalvari intendit impeccabilitatem Chriſti per ſolam efficaciam gratiæ confirmantem voluntatem humanam Chriſti ad bonum; libertatem verò ſalvat in intrinſeca indifferentia ad oppoſitum, quam gratia efficax non tollit: Undé, ut actus dicatur liber ſufficit, ut, quantum eſt ex intrinſeca voluntatis diſpoſitione, poſsit fieri, & non fieri, & voluntas poſsit agere, & non agere; qui modus operandi, quià eſt intrinſecus voluntati, non immutatur per aliquid extrinſecum, qualia ſunt præceptum, & divina aſsiſtentia: ut patet in confirmatis in gratia. Videatur N. Maſtrius hic, quæſt. 9. art. 1. Nos enim hunc modum dicendi ſic, vel ſic explicatum impugnare intendimus.

65 Primò enim, ut ab exemplo Poncii incipiamus, de habentibus gratiam efficacem ipſos moralitér determinantem ad opus, relinquendo in ipſis libertatem ſufficientem ad illud faciendum, vèl non faciendum, videatur ſextus tom. Curſus Theolog. huj. alm. Prov. tract. 15. diſput. 1. quæſt. 6. per totam, in qua hæc doctrina ſolidiſsimè impugnatur in via Subt. Doct.. Ubi etiam ſatisfit abundé ſecundo exemplo de gravitér tentatis, & moralitér determinatis ad peccandum, niſi eis detur gratia efficax. Pro tertio exemplo de confirmatis in gratia. Videatur Maſtrius immediatè citatus.

66 Quod ergó impugnandum in præſenti venit, eſt fundamentum ipſiusmet Poncii, ſcilicét, quod Chriſtus non habuerit aliam impeccabilitatem, quàm moralem, non veró phyſicam; & primò ſic: hic modus dicendi non eſt conformis mentiSubt.Doc.:erg. non eſt ſuſtinendus. Prob. antec.: Subtilis Doctor in Chriſto Domino utpoté beato ab inſtanti ſuę conceptionis ponit eamdem impeccabilitatem, quam ponit in aliis beatis; ſed alii beati ſunt phyſicé impeccabiles, non per beatitudinem ſecundum ſe, ſed per divinam

manutenentiam, per quam in beatis eſt impoſsibilis potentia propinqua ad peccandum: ergò & Chriſtus Dominus eſt phyſicè impeccabilis ratione talis manutenentiæ extrinſecæ. Conſeq. legitimè infertur. Præmiſſæ ſunt probandę.

67 Probatur mai., adducendo litteram Doct. in 3. diſt. 12. §. *reſpondeo.* Sic ait, loquens de Chriſto D. *plenitudo enim gloriæ, qua ipſe fuit conjunctus fini, non minùs, quam alius beatus, licet potuit mereri, æquè excludit omnem poteſtatem in eo avertendi à fine, ſicut in alijs.* Et in eodem loco ſolvendo ſecundum argumentum expreſsius loquitur per hęc verba: „ad „ ſecundum dico, quòd natu„ ra, quam aſſumpſit erat de„ ſe poſsibilis peccare; quia „ non erat beata ex vi unio„ nis, & habuit liberum „ arbitrium, & ità vertibile „ ad utrumlibet; séd per bea„ titudinem eſt confirmatum „ in primo inſtanti, ut ſit im„ peccabile, ſicut beati ſunt impeccabiles. Hæc Doct. in quibus expreſsè ponit ſimilem impeccabilitatem in Chriſto D. ab inſtanti ſuę conceptionis, ac illam, quam ponit in alijs beatis.

68 Prob. nunc min. ſuprapoſita, ſcilicét, quòd beati ſint impeccabiles phyſicè, etſi non per beatitudinem formalem ſecundùm ſe tamen per divinam manutenentiam. Prob. ex Doct. in 4. diſt. 49. quęſt 6. §. *dico ergò*, ſub num. 11. ubi poſtquàm explicavit impeccabilitatem in ſenſu compoſitionis, & diviſionis, ſic ait: „ *ſic dico*, quod nulla eſt cau„ ſa intrinſeca in voluntate „ Michaelis nunc beati, per „ quam excludatur potentia ad „ peccandum pro aliás in ſen„ ſu diviſionis; non eſt autém „ cauſa intrinſeca prohibens „ iſtam potentiam omninò re„ duci ad actum: ſed per cau„ ſam extrinſecam eſt impoſsi„ bilis potentia illa propinqua „ ad peccandum, videlicet per „ voluntatem Dei prævenien„ tem illam voluntatem, ut ſem„ per continuet actum fruendi. Sic Doct., ex quibus, ſic à ratione

69 Probatur præfata min.: illa eſt impotentia phyſica ad actum, cui deficit aliquid neceſſarium ex parte actus primi ad hoc, ut poſsit reduci ad actum; ſed ſtante manutenentia Dei extrinſeca, media qua conſervat concurſum ad actum viſionis, & fruitionis in beatis, & denegat concurſum ad oppoſitum, hoc eſt,

ad

ad peccatum, deficit beatis aliquid indiſpenſabilitér neceſſarium ex parte actus primi, ut poſsint elicere peccatum: ergó eorum impotentia ad peccandum non ſolùm eſt moralis, sèd etiam phyſica. Maior conſtat; quia dúm deficit aliquid neceſſarium ex parte actus primi, ad ſummum poteſt concedi potentia phyſica remota, & impedita, non autem proxima, & expedita. Min. etiam patet; quia concurſus paratus ad utrumlibet eſt unum ex neceſſario prærequiſitis ad libertatem phyſicam, ſeú proximam potentiam agendi, & non agendi. Hęc eadem probatio probat, quòd impeccabilitas Chriſti fuerit phyſica, & non ſolúm moralis; quia fuit impeccabilis per manutenentiam Dei extrinſecam, ſeù per decretum, quo Deus decrevit, ſemper cum illo concurrere ad actus bonos, ſeù non dare concurſum paratum ad utrumlibet.

70 Impugnatur ultrà hic modus dicendi Poncii, ſcilicét, quód Chriſtus ſolúm fuit impeccabilis moraliter; nam, ſi hoc eſſet verum, Chriſtus Dominus quâ homo in hac vita mortali, in pręſenti providentia potuit pro ſuo libito peccare, ſi ipſi placuiſſet: nec phyſice fuit magis remotus, & diſtans à peccato, quam ſunt confirmati in gratia; ſed hoc non decet Chriſtum Dom.: ergò, quià non ſolúm moraliter, ſed etiam phyſicé fuit impeccabilis. Min. conſtat ex dictis quęſt. antec.. Mai. probatur: impeccabilitas moralis ſolum inducit neceſsitatem moralem non peccandi, ſed non tollit potentiam phyſicam, nec aliquod neceſſariò requiſitum, ût potentia phyſica peccandi reducatur ad actum; nam tunc jam induceret neceſsitatem phyſicam non peccandi: ergò &c. Ex hoc apparet, quód eſt falſa doctrina, quam ex aliquibus Scotiſtis retulimus quæſt. antec. ſect. 2. num. 33. & 34.

71 Nec ratio Poncii nos urget; quia falſum eſt, quod nihil aſsignari poſsit, quod determinet Chriſtum Dominum phyſicè ad non peccandum; quia licét verum ſit, quòd nec voluntas Chriſti, nec ullius beati phyſicè determinatur ad non peccandum per viſionem, aùt fruitionem beatam, tamquam per formam intrinſecam à Deo impreſſam, & voluntatem ad unum determinantem, quod & nos probabimus quęſt. ant. ſect. 2. concl. 1.; cúm hoc tamen ſtat, quod determinetur ab extrinſeco, & modo quodam

negativo, in quantùm non habet concurſum paratum Dei, nec Deus vult concurrere ad oppoſitum viſionis, & fruitionis, quòd (ut dixi) ſufficit, ut reddatur impotens phyſicê ad peccandum.

72 Ex omnibus dictis patet, quòd nèc nobis arridere debet in hac materia modus ille dicendi aliquorum Scotiſtarum, quem inſinuavimus quæſt. ant. ſect. 2. num. 36.: ſcilicêt, quòd impeccabilitas Chriſti Domini à primo inſtanti ſuæ conceptionis non fuit talis, qualis eſt in ipſo nunc in patria, & in beatis. Ratio; quiá decretum manutenentiæ Dei duo dicit: unum de *poſitivo*, ſcilicét, conſervationem fruitionis; & aliud de *negativo*, ſcilicét, negationem concurſus ad opoſitum fruitionis, ſivê ad materiale peccati. In Chriſto Domino prout viatore, licêt fuerit manutenentia Dei ſecundum id, quod dicit de poſitivo; non verò ſecundum id, quód dicit de negativo. In beatis autêm, & in Chriſto D. núnc prout comprehenſore eſt talis manutenentia ſecundùm utramque formalitatem.

73 Nobis ergò non arridet hic modus dicendi, primò; quiá non facit Chriſtum Dominum â primo inſtanti ſuæ conceptionis æquê impeccabilem, ac beatos, quod certê in via Subt. Doct. ſuſtineri non valet, ut vidimus num. 67. hujus. Secundò; quiá vel manutenentia Dei extrinſeca ſecundùm id, quod includit de poſitivo (ut iſti ajunt) reddit humanitatem Chriſti Domini impeccabilem ſolùm moralitêr, vêl etiam phyſicé; ſed quodcumque dicant, redeunt inſtantię factę contrá modum dicendi Poncii: ergò nihil de novo addit. Tandem: illa diviſio manutenentiæ Dei in formalitatem de *poſitivo*, & aliam de *negativo* eſt abſque ullo fundamento; nàm ſemêl àc Deus decreverit, dare concurſum poſitivum determinatum ad unum extremum, cum tale decretum ſit abſolutum, per ipſum intelligitur concurſus negatus ad aliud extremum; & maximê, cúm tale decretum ſit perpetuum. Alios modos dicendi, ut potè reducibiles ad aliquem ex propoſitis, omitto; nàm ex dictis facilê impugnantur. Sit ergò

SECT. V. ET ULT.

In quâ noſtra proponitur Concluſio.

74 VIdimus jám tot AA. gravium placita in re tàm difficili; & li-

licèt omnia ſint veneratione digna, quià ingenioſa, & quià probabilitate non carent; tamén nullus eorum ex ſe ſolûm, niſi aliquid aliud addatur, nobis impræſenti placet ad reconciliandum præciſum punctum libertatis prærequiſitę in Chriſto Domino ad merendum in obſervatione præceptorum, ſtrictè obligantium ipſum in conſcientia, cum eius impeccabilitate. Undê, ut prȩcipuus ſcopus huius arduæ difficultatis benê percipiatur.

75 Noto 1. certum de fide eſſe, Chriſtum Dominum per operationes humanas verè, & proprié apud Deum meruiſſe; qua propter in Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. dicitur de ipſo: quod in ligno Crucis nobis meruit juſtificationem. Ex hoc notabili ſequitur, quod in ejus actionibus fuerunt omnes conditiones ad actum meritorium requiſitæ. Quodque probat N. Subt. Doct. in 3. diſt. 18. quæſt. unica; quodque ſic breviter ſuadetur: omnes Chriſti actiones fuerunt moralitêr bonæ, non ſolúm, quià non potuit peccare ſaltêm de potentia ordinaria; sèd etiam, quia nullum actum indifferenter elicuit; cum ſemper perfectiſsimo modo operaretur referendo in Deum omnes ſuas actiones.

76 Deinde; quià fuerunt tales operationes elicitę ab homine in gratia exiſtente; quia ut in diſputationibus antecedentibus dixi, Chriſtus Dominus á primo inſtanti ſuę conceptionis, nedúm habuit unionem hypoſtaticam, quæ fuit radix, & cauſa diſpoſitiva ſanctitatis formalis; sèd etiam fuit ſumma gratia habituali repletus; imò & fuit perfectè beatus. Fuerunt etiam operationes Chriſti Domini toto tempore, quo vixit in hac vita uſqué ad inſtans mortis incluſivè; fuerunt, inquam, hominis viatoris nám licêt Chriſtus Dominus in hac vita fuerit comprehenſor, fuit paritêr ex ſpeciali Dei dipenſatione viator, paſsibilis, & mortalis; quare: licét quoad affectionem juſtitiæ eſſet Deo ſummé conjunctus, non tamen quoad affectionem commodi, & quoad portionem inferiorem: & ſic multa incommoda pro redemptione humani generis poterat meritoriè pati, & de facto paſſus eſt. Fuerunt, demúm, in Chriſto Domino omnes aliȩ conditiones ad meritum exigitæ, quęque in tom. 6. tract. 17. diſp. 4. quęſt. 2. explicatę manent.

77 Solúm ergò difficultas reſtat de libertate proprié dicta, quæquè regulariter lo-

quendo ad meritum prærequiritur in nobis, iuxtà Scripturam PP. & quàmplurimas Pontificias conſtitutiones; nam talis libertas non debet eſſe ſolùm á coactione, ùt impius Calvinus ajebat; néc ſola libertas eſſentialis, út jám diximus ſect. antec. à num. 51. séd eſt libertas, quę dicit indifferentiam ad utrumlibet; quæquè certé ex dictis quæſtionibus anteced. hic; non benè cohæret in Chriſto D. cúm ejus abſoluta impeccabilitate. Undê tota ratio hujus difficultatis ſtat intêr AA., ad ſtatuendam in Chriſto D. libertatem ſufficientem ad meritum in obſervatione præceptorum cúm ejus impeccabilitate; & hoc tàm phyſica proxima, & formali, quàm morali, út diximus ſect. antec. impugnando ſententiam Puncii, & aliorum.

78 Undè hic notandum eſt, quòd etſi ibi dixerimus, quod impeccabilitas Chriſti non ſolúm fuit moralis, sêd etiã phyſica; hoc tamen ita intelligendum eſt, quod fuit impeccabilitas phyſica proxima, & accidentalis, in quantum Chriſto D. deficiebat aliquod extrinſecum ad hoc, ùt proximé, & expeditè poſſet exire in actum, ſcilicet, concurſus paratus ex parte Dei ad utrumlibet extremum, hoc eſt, ad actum bonum, vèl malum; fuit tamen in Chriſto D. peccabilitas remota intrinſeca, & impedita formalitér â manutenentia Dei extrinſeca. Undè ex conſequenti philoſophare debemus de ejus libertate ad peccandum, & merendum, ſic; quód quamvis non habuerit libertatem phyſicam proximam, & expeditam ad utrumlibet extremum; habuit tamen libertatem phyſicam remotam, & intrinſecam ad agendum, & non agendum; quæ utique componibilis eſt cum eius impeccabilitate phyſica proxima, & expedita. An verò hęc libertas phyſica remota, & intrinſeca fuerit ſufficiens in Chriſto Domino, & quomodò? Hic opus, hic labor. Sit

NOSTRA CONCLUSIO.

79 Ut Chriſtus D. ſalva ejus phyſica impeccabilitate proxima, & expedita, mereri potuiſſet in obſervatione cuiuſcumque præcepti, tàm poſitivi, quàm naturalis, ſufficiens fuit in ipſo (mediante divina diſpenſatione) libertas remota, & intrinſeca indifferentia ad agendum, & non agendum; non verò neceſſaria fuit proxima, & accidentalis libertas ad operandum, & non operandum, qualis in puro via-

viatore requiritur ad merendum. Hæc concluſio quoàd omnes ſuas partes eſt noſtri Maſtrij hic quæſt. 9. art. 3. à num. 389. eamquè ex varijs locis N. Subtilis deducit, communioremqué vocat apùd Scotiſtas. Et, út verum fatear, hic modus dicendi parum diſtat â modo N. Fabri cit. ſect. antec.; & etiam à modo dicendi N. Pontij, út obſervat noſter Quiroga tract. 12. diſp. 49. de merito Chriſti, ubi ait, quòd ſolúm eſt quæſt. de nomine. Sed quidquid ſit de hoc, ſic

80 Probatur 1. Conſio ex Doct. in 3. diſt. 18. q. unic.: Chriſtus D. ex ſpeciali privilegio fuit ſimùl viator, & comprehenſor; séd hoc ipſo, etiám ex ſpeciali aliqua diſpenſatione potuit mereri, etſi non habuerit libertatem phyſicam proximam, & expeditam, dummodó retinuerit remotam, & intrinſecam: ergò ità dicendum eſt. Mai. eſt expreſſa Doct.; probatur min. ex ipſo cit. ubi docet: actum beatificum Michaelis acceptari poſſe à Deo tamquàm meritorium: ad hoc enim ſufficit, quód ſit imputabilis actus ad laudem, & vituperium; út veró ſit ità imputabilis, ſufficit, quòd ſic ſit in poteſtate agentis, út excludat neceſſitatem intrinſecam agendi, licèt extrinſecam haberet ex denegatione divini concurſus parati ad utrumlibet: ſufficit, inquam, út quantúm eſt ex intrinſeca voluntatis diſpoſitione poſsit ipſa agere, & non agere, & actus fieri, & non fieri; cûm enim hic modus operandi ſit intrinſecus voluntati creatę, non poteſt immutari per aliquod extrinſecum, ſicùt eſt denegatio concurſus parati: Ergó ſicút voluntas Michaelis cum libertate phyſica intrinſeca, & remota poterat elicere actum beatificum meritorium; ſic & voluntas Chriſti D. ex ſpeciali diſpenſatione, quamvis impeccabiles, potuit út viator elicere ſimiles actus cum ſola libertate phyſica remota; séd ſi potuit, ità de facto aſſerendum eſt: ergó.

81 Probatur 2. concluſio ex alia authorit. Doct. in eodem 3. diſt. 12. q. unic. ſub num. 2. ubi ait: *de ſecundo dico*, quòd cum Chriſtus in „primo inſtanti unionis ejus „cum Deo fuit beatus, & „beatitudo abſtulit ſibi omnem peccabilitatem, vèl poſ„ſibilitatem peccandi, quę po„teſt auferri per beatitudinem; „licèt cum hoc (*nota ſequen„tia*) diſpenſativè ſtaret po-

teſt

„ tellas merendi. Ex quibus verbis ſic efformo rationem: juxtà Subt. Doct. beatitudo, etſi non formaliter ex ſe, ſed proùt connotat manutenentiam Dei extrinſecam abſtulit àChriſto D. potentiam peccandi, ſeù reddidit ipſum impeccabilem eo modo, quo potest, ſcilicèt, impeccabilitate proxima, & expedita; non veró remota, & intrinſeca; sèd cum hoc coheret, juxtà ipſummet Subt. Doct., ùt ſtaret in ipſo libertas ſufficiens ad meritum *diſpenſativè*, hoc eſt media diſpenſatione, & ſpeciali privilegio: ergó hoc mediante, dicendum eſt in via Doct., quòd libertas phyſica remota, & intrinſeca ſufficit ex diſpenſatione ad merendum; & conſequentér ſic conciliantur libertas Chriſti in obſervatione præceptorum cum ejus impeccabilitate. Vide etiam Doct. diſt. 16., & 17. huius tertij.

82 Probatur 3. concluſio ratione: ideò libertas eſt neceſſaria ad merendum, ût néc de potentia Dei abſoluta poſsit eſſe meritum ſinè ipſa; quià meritum eſt veluti quidam contractus ex juſtitia, quo merens offert, quod ſuum eſt, præmianti, & præmians dat pro illo id, cuius eſt Dominus; quod nequit fieri ſiné libertate; séd voluntas Chriſti retinet dominium ſuprà ſuos actus, licét non omninó proximum, & expeditum, ſtante denegatione concurſus parati ad oppoſitum: ergò ſimplicitèr abſolutè loquendo retinet libertatem ſufficientem ad meritum, dummodó Deus ex diſpenſatione velit ipſum acceptare. Mai. conſtat. min. probatur doctrina Doctoris in 4. diſt. 22. q. unic. artic. 3. ubi docet, quòd interdùm alicui remanet jus in rem, cui non remanet, vèl non competit actio proptér aliquod impedimentum: ergò quamvis Chriſtus D. non habuerit uſum libertatis expeditum ad ponendos, vél non ponendos actus præceptos; tamèn habuit dominium ſuprá ſuos actus, ſtante impedimento extrinſeco, hoc eſt, denegatione, concurſus divini parati ad oppoſitum, & conſequenter libertatem ſufficientem ad meritum, accedente divina diſpenſatione.

83 Probatur tandèm concluſio: adeſt ſufficiens ratio ad hoc, út in Chriſto D. ſtatuamus hanc diſpenſationem, & eſpeciale privilegium, ùt illá libertate phyſicá remotá, & intrinſecà potuerit meriri: ergò ità de facto aſſerendum eſt. Conſeq. conſtat; nám ità faci-

cillimè reconciliatur libertas ad merendum cum ejus impeccabilitate. Antec. verò probatur ex doctrina Doct. cit. diſt. 18. ſic: Chriſtus Dominus fuit mediator, & redemptor generis humani; séd qua parte erat redemptor, & venit ad deſtruendum peccatum, debebat eſſe expers peccati, & etiam potentiæ phyſicæ proximæ ad peccandum: & qua parte erat Mediator Dei, & hominum, redemptor, & advocatus humani generis, debebat multos actus meritorios elicere, quos non poterat alitèr elicere, niſi ex diſpenſatione, & privilegio: ergò adeſt ſufficiens ratio, &c. Hac ipſiſsima ratione utuntur Scotiſtæ nobis contrarij ad ponendum in Chriſto D. ex ſpeciali privilegio ſtatum viatoris, & comprehenſoris inſimùl, & ſemél; cúr ergo, & nos non poſſumus uti ea ad ponendam in Chriſto D. talem diſpenſationem, ùt media ipſa cum libertate phyſica, & impedita poſſet mereri? Vide noſtrum Maſt. cit. diſp. 3. quæſt. 3. & 9.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

84 Arguitur 1: ex vaaijs authoritat. ſac. Scripturæ, in quibus dicitur, voluntatem humanam Chriſti D. fuiſſe propriè, & perfectè liberam in actibus ſuis, hoc eſt, non tantúm à coactione, quatenùs voluntariè operabatur, & non coactè; sèd etiàm libertate á neceſsitate; quià aliquomodo habebat in ſua poteſtate operari, & non operari; sèd cùm hac doctrina non ſtat noſter modus dicendi: ergo non ſtat. Mai. conſtat 1. ex illo Iſaiæ 53.: *oblatus eſt, quia ipſe voluit*; ſuper quę Div. Hieronimus ait: *non neceſsitate, ſed voluntate crucem ſubit.* Secundò ex illo Joann. 10. *ego pono animam meam; nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſo.* In quibus verbis clarè exprimitur libertas, nedùm à coactione, ſed etiàm à neceſsitate: ergò in Chriſto D. fuit talis libertas in ordine ad obſervationem præceptorum. Confirmatur: ex à nobis dictis ſect. 2. huius conſtat, Chriſto D. impoſita fuiſſe à Patre præcepta; ſed quin eſſet libera ejus voluntas á neceſsitate; hoc non fieret; nam nemo præcipit alicui actum neceſſarium, quem non poteſt non operari: ergò.

85 Reſpondeo, verum eſſe, quòd ex locis allegatis ſacræ Scripturæ, & aliis pe-

penè innumeris, quæ ab AA. hic adduci ſolent, optimè infertur, quod voluntas humana Chriſti D. cum ejus impeccabilitate retinuit libertatem maiorem, quam à coactione; habuit enim, & retinuit libertatem phyſicam intrinſecam, & remotam, ut perſæpè diximus: et ratio eſt; quia cum Chriſtus D. factus fuerit impeccabilis non ab intrinſeco, hoc eſt ab aliquo prædicato intrinſeco ipſius voluntatis; ſed ſolùm ab extrinſeco, ratione divinæ manutenentiæ: & ex alia parte libertas phyſica intrinſeca, & remota ſit intrinſeca; & eſſentialis voluntati creatæ; hinc fit, quod huiuſmodi libertas non ſolùm à coactione, ſed etiam à neceſsitate remanſit in Chriſto D. cùm ab intrinſeco non fuerit neceſsitatus, ſed ſolùm ab extrinſeco.

86 Undè quotiés tibi objiciatur aliqua authoritas ſac. Scripturę, quæ enuntiet, quòd Chriſtus D. fuit liber nedum à coactione, sèd etiàm á neceſsitate ad obſervanda præcepta: eàm ſic explica: fuit liber à neceſsitate *proveniente ab intrinſeco*, concedo; à neceſsitate *proveniente ab extrinſeco*, nego antec. Ex qua ſolutione patet reſponſio ad confirmationem; quiá cum voluntas Chriſti D. habuerit libertatem phyſicam ad obſervanda præcepta, ſi non proximam & expeditam, ad minus intrinſecam, & remotam, hinc eſt, quod fuit capax præcepti, & obedientię, modo explicato ſect 2. huius ſub num. 31. & 32. Deindé: omnia argumenta, quę ex Scriptura nobis objicere ſolent contrarii, in ipſos objici valent. Ipſi namque communitèr dicunt, fuiſſe impeditum, ſaltem moralitèr, uſum liberum voluntatis Chriſti D. ex ejus impeccabilitate: ad quid ergò ei imponebantur præcepta, dum erat moralitèr neceſsitatus, & libertas ejus phyſica impedita, né poſſet non obſervare præcepta?

87 Arguitur 2., & poteſt eſſe replica: Noſter modus dicendi ſavet errotibus Baii, Janſeniii, & aliorum hæreticorum meritò ab Eccleſia præſcriptis; ſed hoc ipſo non eſt ſuſtinendus: ergó. Prob. mai. propoſitio 38. Michaelis Baii damnata ſic ajebat: *quod voluntariè fit, liberè fit, quamvis neceſſariò fiat*: ſed, ſi verà eſt noſtra doctrina, hæc propoſitio tenet; quia dicimus, quod opera Chriſti D. etſi neceſſariò fiant, liberé fiunt, quià voluntariè fiunt: ergò. Janſenius in ſua 3. propoſitione, ut videri eſt apud P. Viva, num 7., ex eo, quod Chriſtus liberè prçcepto mortis obtemperavit, ac per

obedientiam iſtam meruit, juxta Apoſt., & præceptis naturalibus obedivit; cùm tamen ratione impeccabilitatis caretet indifferentia ad opoſitum, ſic arguebat: ſi poterat in Chriſto D. haberi meritum in actu obedientiæ per ſolam libertatem à coactione, à fortiori poterit id haberi in natura lapſa, in qua homines habent libertatem indifferentiæ in cauſa, ſeu in peccato, & libertate Adæ. Videatur P. Viva cit.: ex quo infero: ergò noſter modus dicendi præbet fundamentum his hæreticis, & alliis.

88 Reſpondeo negando mai.: ad primam probationem dico, quód Michael Bajus, eiuſque ſequaces cum ſuo Principe Calvino, ad merito (& hoc regularitér loquendo) nullam aliam libertatem admittebant, quàm libertatem â coactione; undé, cùm omnimoda neceſsitate ad opus eliciendum, componebant voluntarietatem, & libertatem ſufficientem ad merendum. Nos verò non cum omnimoda neceſsitate, séd ſolúm cum neceſsitate ab extrinſeco proveniente, componimus in Chriſto D. libertatem ſufficientem ad meritum. Undê ejus opera, & voluntaria, & libera erant, quia non omninó neceſſaria erant. Ad ſecundam propoſitionem ex Janſenio dico, quòd in ipſamet continetur ſolutio; nàm ſupponit falſum, hoc eſt, quód Chriſtus D. habuerit meritum in actu obedientiæ per ſolam libertatem à coactione. Nos verò ponimus etiám libertatem à neceſsitate, modo jàm toties explicato.

89 Ut verò omnia argumenta hac via procedentia plané, plenequè ſolvantur, præ oculis habendum eſt, quòd licet PP., & quàmplures Pontificiæ conſtitutiones doceant, quód ad merendum requiritur in voluntate proxima, & expedita libertas ad operandum, & non operandum, loquuntur regularitér loquendo, & de hominibus purè viatoribus, quod nos catholicè fatemur; non verò loquuntur abſolutè, & ſimpliciter, & in alia providentia de merito ex ſpeciali privilegio, & diſpenſatione, quale eſt meritum Chriſti D., cujus diſpenſatio ſtat in hoc, quod ubi in nobis ad merendum requiritur libertas proxima, & expedita; in Chriſto diſpenſato ſufficiat libertas phyſica remota. Et certè plures ex adverſariis hac obſervatione tenentur uti; difficultér enim ſalvabunt in Chriſto D. impeccabilitatem ipſi convenientem, ſi ad merendum admittunt libertatem proximam,

& expeditam, qualis juxtà Scripturam, Concilia, & PP. requiritur in hominibus puré viatoribus.

90 Arguitur 3.: vèl voluntas Chriſti potuit non implere præcepta, vêl non potuit? ſi potuit: ergò potuit peccare; & ſic non erat ità impeccabilis, út potentia ejus non poſsit reduci ad actum, quod eſt contra nos. Si non potuit non adimplere præcepta, infero: ergó non erat liber, & conſequentèr incapax merendi. Hoc argumentum eſt genericum contra omnes modos dicendi. Reſpondeo tamen diſtinguendo antec. quoad 1. part.: vel voluntas Chriſti D. potuit non implere præcepta, *potentia remota*, conc. antec.: potuit *potentia proxima*, nego antec.: & diſtinguo quoad 2.: vél non potuit *potentia proxima*, conc. antec.: *potentia remota*, neg. antec.: & diſtinguo 1. conſeq.: ergo potuit peccare *potentia remota*, conc. conſeq. *potentia proxima*, nego conſeq.. & diſtinguò 2.: ergó non erat liber *proximè*, conc. conſeq.: *remotè*, nego conſeq. & ſubillatam; quia út Chriſtus mereretur, ſufficiens erat libertas remota. Solutio ſatis claret ex eius terminis, & ex dictis.

91 Arguitur 4.: licét humana voluntas Chriſti non eſſet determinata ad actum præceptum ratione principii intrinſeci, erat tamen ratione principii extrinſeci, ſcilicét, concurſus Dei determinati ad unum; ſed hoc ſufficit, út non poſſit dici revera libera in ſervando præceptum: ergò non fuit. Prob. min.: qui eſſet in carcere, quamvis non eſſet ligatus pedibus, ſi tamén circà ſe haberet milites, qui nunquàm illum permitterent capere fugam, certè liber non eſſet ad fugiendum; sèd quod facerent milites reſpectu iſtius ſoluti pedibus, facit manutenentia Dei extrinſeca reſpectu voluntatis Chriſti Domini, nè peccet: ergò ſuppoſita tali manutenentia, voluntas Chriſti non manet libera ad obſervanda præcepta; & conſequentèr nèc libera ad merendum.

92 Reſpondeo, argumentum ſolùm probare, Chriſtum non habuiſſe libertatem requiſitam ad meritum puri Viatoris; ad hoc enim requiritur libertas proxima, & plenus, ac expeditus uſus libertatis. At non probat, non habuiſſe libertatem ſufficientem ad meritum hominis viatoris, & comprehenſoris ſimùl, ex peculiari privilegio, àc diſpenſatione divina, ſicût hæc mediavit, ùt eſſet ſimùl viator, & comprehenſor. Undè, quamvis eius voluntas eſſet determinata ab extrinſeco ratione divinæ manutenen-

tiæ ; dicebatur tamén adhúc indeterminata ratione principii intrinſeci , à qua indeterminatione libertas actus principaliter attenditur.

93 Arguitur ultimò : quamvis Chriſtus Dominus ex ſpeciali privilegio fuerit ſimul viator , & comprehenſor , nullo modo potuit diſpenſari , ùt cum libertate intrinſeca remota potuerit mereri : ergò deficit paritas noſtri modi dicendi. Probatur antec. : eſt magna diſparitas intér utramquè diſpenſationem , & privilegium ; nàm quod merens ſit purus viator, eſt conditio requiſita ad meritum , non ex natura rei , séd ex ſola Dei ordinatione ſtatuta ; cùm de potentia Dei abſoluta poſſet quoquè comprehenſor mereri per ſuos actus ; séd libertas eſt conditio ex natura rei requiſita , àc adeò ad meritum neceſſaria , ùt nèc de potentia Dei abſoluta poſsit aliquod opus eſſe meritorium ſiné ea : ergò eſt magna diſparitas intèr utramque conditionem.

94 Reſpondeo negando antec., ad cuius probationem , dico, quod diſparitas non officit noſtræ reſolutioni. Ratio eſt ; quià libertas requiſita ad meritum indiſpenſabiliter , eſt libertas remota , quæ eſt intrinſeca voluntati , & conſiſtit in potentia ad agendum , & non agendum ; non autèm libertas proxima , quæ importat expeditum uſum libertatis , & dicit ordinem , non ſolùm ad principium intrinſecum activum, séd etiam ad cætera requiſita extrinſeca,prę̀cipuè ad concurſum Dei paratum ad utrumlibet. Cùm ergò Chriſtus Dominus etiàm circà actus præceptos habuerit libertatem remotam , quæ eſt voluntati intrinſeca,habuit quoquè libertatem ſufficientem , ùt mediante diſpoſitione libertatis proximæ extrinſecæ , & accidentalis , poſſet mereri.

95 Pro coronide huius quæſtionis , nè de inconſequentia arguamur ; notandum eſt, quód etſi num. 79. huius dixerim , quòd noſter modus dicendi parum differt á modo Fabri, & Poncii ; hoc tamèn cum grano ſalis venit intelligendum. Si Faber enim admittat ſolùm in Chriſto Domino libertatem eſſentialem, modó, quo eam tenet Subt. Doct.quodlib. 16., & neget in Chriſto Domino omnimodam libertatem phyſicam, etiàm intrinſecam , & remotam; tùnc in rei veritate ab ipſo diſcordamus , ùt ſatis patet ex dictis. Similitèr , ſi N. Poncius vult eſſe in Chriſto libertatem phyſicam ; nedùm intrinſecam, & remotam , sèd etiám proximam , expeditam , & extrinſe-

cam, cum sola necessitate morali; cum ipso convenire non possumus. Et certè hoc velle, satis innuit eius exemplum de gratia efficaci moralitèr, cum qua componit libertatem physicam, proximam, & expeditam. An benè, & conformitèr ad eius principia? videatur 6. tom. nostri Cursus Theologi tract. 15. disp. 4. quæst. 6. Hæc sufficiant pro hac disputatione; & quæst.

DISP. VI. ET ULTIMA. DE GRATIA CAPITALI, OFFICIJS, ET DIGNITATIBUS Christi Domini: âc de eius potentia ad patranda miracula.

Postquám de gratia habituali, & sanctitate Christi Domini egimus; pro fine huius tractatus agemus de gratia Capitali ipsius, antequàm de merito tractemus; nâm Christus Dominus est caput eorum, quibus meruit, & pro quibus satisfecit. Sit ergó

QUÆST. I.

RESOLVUNTUR DUBIA DE gratia Capitali Christi Domini.

1 DUbitabis 1.: in quo consistat gratia capitalis Christi Domini? Per gratiam capitalem nihil aliud intelligitur, quám gratia illa, qua Christus, ut humo, constituitur caput aliorum, in quantum per ipsam habuit virtutem influxivam in illos, cujus Christus est caput, & ipsi membra corporis Christi. Undé gratia capitis in Christo consistit in

in dignitate, aùt poteſtate, quam Deus illi contulit in Angelos, & homines. Quarè

2 Dico: gratia capitis in Chriſto Domino formalitêr conſiſtit in quadam denominatione, aùt relatione rationis, reſultante in ipſo ex eo, quod illi contulit Deus dignitatem, aùt poteſtatem prædictam; fundamentalitèr verò, aût radicalitér conſiſtit gratia capitis in gratia habituali, & gratia unionis. Eſt communis intér Scotiſtas. Probatur prima pars: Chriſtus, út homo, nequit eſſe caput myſticum, & morale totius Eccleſię, quin ſit caput hominum, & Angelorum, sèd Chriſtus, út homo, eſt caput formalitér hominum, & Angelorum, quià ſic eſt electus, & inſtitutus á Deo: ergó ſolùm conſtituitur formalitèr in eſſe capitis per dignitatem, & poteſtatem, quam Deus illi contulit in homines, & Angelos. Nunc ſic; sêd hæc dignitas capitis myſtici, & moralis nihil phyſicum importat in Chriſto D., sèd dumtaxat quid morale, ſcilicèt, deputationem à ſupremo Domino factam, hoc eſt, à Deo, qui ſubjicit ſuos ſubditos alteri tanquam capiti; út patet in Judice, cui Rex confert authoritatem judicandi: ergó gratia capitis in Chriſto formalitér conſiſtit in quadam denominatione, &c.

3 Probatur 2. pars, ſcilicèt, quòd gratia habitualis, & unionis ſit ſolùm fundamentalitèr, & radicalitêr gratia capitis in Chriſto Domino: ità ſe habet gratia habitualis, & unionis in Chriſto Domino ad eſſe caput Eccleſiæ, àc in homine ſe habet eximia negotiorum notitia, & probitas morum ad eſſe Judicem, & caput Reipublicæ; sèd eximia notitia negotiorum, & morum probitas in homine, non ſtante dignitate, & authoritate illi à Rege conceſſa in ſubditos, ſolùm fundamentalitèr, radicalitèr, aut potiùs congruentialitèr talem hominem conſtituunt Judicem, & caput Reipublicæ: ergò ſimilitêr dicendum de Chriſto D.. Sêd nota, quód dùm dicimus, gratiam capitalem Chriſti D., dicere gratiam habitualem, & unionis, non ſumimus gratiam habitualem, & unionis, nêc ſimilitèr gratiam capitalem ſecundum entitatem phyſicam ex natura ipſarum, sêd út ſubſunt divinæ ordinationi, ſicút diſcurrunt Scotiſtæ de gratia habituali in materia de gratia.

4 Et quòd ad gratiam capitis Chriſti Domini requirantur & gratia habitualis, &

gra-

gratia unionis, ſic probatur: caput ſimplicitèr univerſale totius Eccleſiæ debet eſſe potens influere in omia membra; ita quòd, ſi darentur infinita, in infinita influeret; sèd univerſalitas huius influxus ſufficientis ad infinita membra, ſi infinita membra darentur, requirit influxum provenientem à gratia habituali, & inſimul à gratia unionis: ergò gratia capitis Chriſti D., &c. Maior conſtat; quia ſatisfactio Chriſti D. eſt ſuperabundans; & conſequentèr, ſi infinita darentur membra, in ipſa deberet ſuperabundantèr influere. Minor patet; quià licét Scotiſtæ dicamus, quód pura creatura poſſit ſatisfacere pro peccatis hominum non tamèn ſuperabundantér; quiá etſi ſupponatur cum eadem gratia habituali, & doni ſupernis, quæ fuerunt in Chriſto D., ſupponitur tamén deſtituta gratia unionis: ergò quià gratiá unionis in Chriſto D. ad influxum in membra ſuperabundantem eſt requiſita; & ex conſequenti, ùt ſit caput ſimplicitêr univerſale totius Eccleſię. An'verò gratia unionis ingrediatur in recto ad conſtituendam gtatiam capitis, & gratia habitualis in obliquo: àn vero è contrá? res parvi momenti, & pure nominalis.

5 Dubitabis 2.: quorum fuerit caput Chriſtus D.? Antè reſolutionem nota, quod ad rationem capitis in corpore myſtico requiritur, út cúm proportione præſtet munera, quæ caput facit in corpore phyſico. Tria ergò communitèr requirunt AA. ad rationem capitis myſtici, & moralis, quod tale dicitur per ſimilitudinem, & analogiam ad caput naturale. Primum eſt, ùt ſit reliquis membris intimé unitum. Secundùm, út in alia omnia membra teneat principatum, & præeminentiam. Tertium, ùt in omnia influat vitam, & ſpiritum; & alia bona ſibi propria, ad hoc ùt ſingula membra ſuum munus obire valeant. Nota ultrà, quòd Chriſtus poteſt ſumi, ùt *Deus*, & ùt *homo*; In præſerti non quærimus de Chriſto ùt Deo; quià proût ſic eſt caput unicum, & ſupremum, non ſolúm morale, ác myſticum, séd etiàm phyſicum; quinimó eſt caput Chriſti, ùt hominis, juxtà illud 1. ad Corinth.: *Caput Chriſti Deus*. Undè quærimus de Chriſto, út homine.

6 Nota tandèm, quód Eccleſia eſt duplex: *Triumphans*, ſcilicèt, & *Militans*. Prima complectitur Angelos bonos, & ho-

mines beatos. Secunda verò comprehendit omnes homines, qui adhùc ſunt in via ergà triumphantem, pro eaquè laborant, ſivé de præſenti, ſivé de futuro uſquè ad finem mundi. Ultrà hos duos ſtatus poſſunt conſiderari alii duo. Primus eſt illorum, qui ſunt in termino infeſici, & damnationis, uti ſunt dœmones, & homines damnati. Secundus eſt eorum, qui licèt ſint in termino, non ſunt tamén in termino damnationis, sèd purgationis, aût ſatispaſsionis, ût ſunt animæ Purgatorij. Tandèm, ſunt alii, qui ſunt in via, sed miſerê in peccaro mortali exiſtentes: Alii à fide deficientes; uni baptizati; alii verò non. De his omnibus, & ſingulis, quærimus in præſenti, àn Chriſtus, ùt homo, ſit eorum caput? Quod per varias concluſiones reſolvetur.

7 Dico 1.: Chriſtus, út homo, fuit, & eſt caput totius Eccleſiæ Militantis, & triumphantis, proùt hęc comprehendit Sanctos Angelos, homines juſtos, & animas purgatorii. Probatur 1. ex illo Paull ad Epheſios cap. 1. ubi ſic ait: *ſuſcitans eum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in Cœleſtibus, & omnia ſubjecit ſub pedibus ejus:::: ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius.* In quibus primis verbis expreſsè conſtat, quòd loquitur de Chriſto, ùt homine. Deindé: ad Coloſenſ. cap. 2. dicitur: *Et eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis.* Magnus Parens Auguſtinus concion. 3. ait: *Caput noſtrum Chriſtus eſt; corpus capitis illius nos ſumus. Numquid ſolùm nos? Et non etiam illi qui fuerunt antè nos? Omnes, qui ab initio ſęculi fuerunt juſti, ad junctis etiam legionibus, & exercitibus Angelorum, ùt illa una civitas fiat ſub uno Rege, & una Provincia ſub uno Imperatore.*

8 Prob. concluſio brevitêr ratione: Chriſtus, ùt homo, habet conditiones veri capitis Angelorum, Juſtorum, & animarum purgatorii: ergò eſt verum caput horum. Prob. antec.: in primis habet præeminentiam, nedùm ſuper homines, ſed etiám ſupèr Angelos, juxtà illud ad Hebræos 1.: *tantò melior Angelis effectus, &c.* Secundó, habet unionem per charitatem cùm omnibus Sanctis Angelis, & animabus Iuſtorum, quæ ſunt tàm in Triumphanti Eccleſia, quam in militanti, & etiám cum animabus Purgatorii. Tandèm, habet influxum in totum corpus

Ec-

Eccleſiæ merendo gratiam, dona ſupernaturalia, & gloriam omnibus, qui ſunt in Eccleſia Triumphanti, & qui ſalvandi ſunt, juxtá illud ad Romanos 5.: *de plenitudine ejus omnes accepimus*: ergò habet omnes conditiones requiſitas ad eſſe capitis. De hoc ampliùs, dum de merito Chriſti ergà nos agamus.

9 Dices 1.: ſi Chriſtus, ût homo, eſt caput corporis Myſtici Eccleſiæ, erit membrum Eccleſię; ſed, ſi eſt membrum, non debet dici caput, ſed cor: ergo nullo modo eſt caput Eccleſię. Maior conſtat; quiá corpus includit ut membrum, licèt ut principalius, caput. Min. etiam patet; quia cor eſt, quod influit in membra corporis, non verò caput; ergò ſi eſt membrum Eccleſiæ, eſt merè cor, & non caput. Reſpondeo 1., quod ſi Eccleſia ſummatur pro univerſali congregatione omnium hominum, incluſo ipſo met Chriſto, ut homine, poteſt dici, quod Chriſtus ſecundum humanitatem ſit quaſi membrum principale hujus totius corporis; ſi verò pro ſola congregatione Fidelium ſub uno capite, túm Chriſtus, ut homo, eſt ſuprà hanc Eccleſiam, ut Fundator, & Paſtor: non eſt de grege, ſed ſuprà gregem, & Fundator gregis, & nihil accipit ab Eccleſia, vèl ejus membris; ſed totum habet à ſe ipſo, & á ſe ipſo influit in totum Eccleſiæ.

10 Reſpondeo 2. omiſſa mai., negando min.: nam cor non præeminet corpori, nec viſibiliter, & quaſi ab alto influit, ſicut caput; & ideò Chriſtus, qui ab alto, & cum ſumma præeminentia influit, dicitur caput. Deindè: in capite formantur, & reſident ſpiritus animales inſervientes vitæ ſenſitivæ, cujus operationes reguntur â voluntate; in corde verò ſpiritus vitalis inſervientes vegetativæ, cujus operationes non ſunt ſubditæ voluntati. Sit ergo ſpiritus gratię, quos influit Chriſtus in Eccleſiam, dicuntur capitales, quià recipiuntur, & operantur in nobis voluntariè. Undè potiori jure debet dici Chriſtus caput, & non cor.

11 Dices 2.: Chriſtus, ût homo, ſeú per humanitatem non influit dona gratię in membra corporis utriuſque Eccleſię; nam hoc habet, ut Deus; ſed hoc ipſo non habet omnes conditiones ad eſſe capitis: ergò Confirmatur: duo capita eiuſdem corporis eſt quid monſtruoſum; sèd Deus eſt unum caput omnium

omnium, etiàm Chriſti, juxtà illud: *caput Chriſti Deus*: ergò Chriſtus, út homo, non eſt tale caput. Reſpondeo, diſtinguendo mai.: Chriſtus, út homo, non influit dona gratię *efficientèr*, conc. mai. *moralitèr*, & *meritoriè* per potentiam excellentiæ, negò mai. & min.. De hoc tract. ſeq. diſp. 1. dúm de merito Chriſti agamus. Ad confirmationem diſtinguendo mai.: duo capita ejuſdem Corporis, eiuſdemquê ordinis, & non ſubordinata, ſunt quid monſtruoſum, conc. mai. diverſi ordinis, & ſubordinata nego mai.; & conceſſa min. nego conſeq.. Deus ergò eſt caput univerſale ſupremum, & inviſibile; Chriſtus verò, út homo; eſt caput viſibile, & ſubordinatum Deo, ab ipſoquè deſtinatum, & electum ad eſſe caput viſibile.

12 Dices ultimò, Chriſtus nequit eſſe caput Eccleſiæ Angelicę, néc totius Eccleſię Triumphantis: ergó non tenet concluſio quod quoàd hanc partem. Prob. antec.: Chriſtus non fundavit Eccleſiam Triumphantem, ſicùt fundavit Militantem, néc illi Eccleſiæ, ſcilicét, Angelicæ, & Triumphanti quidquam meruit, vél aliquid in eam influxit, ſicút influxit in Militantem: ergò nequit dici caput illius. Reſpondeo, negando antec., ad cuius probationem, omiſſo antec. quoâd primam partem, nego quoâd ſecundam, cuius falſitas conſtabit, dûm inquiramus: quid Chriſtus meruit Angelis?

13 Dico 2.: Chriſtus út homo, eſt actu caput fidelium, etiàm in mortali peccato exiſtentium. Eſt communis, & probatur: túm, quià iſti adhûc actu ſunt membra Eccleſię; etſi putrida; & Chriſtus Dominus eſt actu caput omnium illorum, qui corpus Eccleſię componunt. Tûm, quià Eccleſia eſt congregatio Fidelium; & homo, quamvis in peccato exiſtens, actu per fidem Eccleſiæ unitur. Túm, tandèm; quiá ex meritis Chriſti peccatores recipiunt dona Spiritus Sancti, gratias actuales, & auxilia ſupernaturalia, út à peccatis reſurgant: ergô actu ſunt membra Eccleſię, & Chriſtus, út homo, eorum eſt caput. Undè, út aliquis ſit membrum corporis myſtici, non requiritur, quód in omnibus conveniat cùm aliis commembris, sèd ſufficit, quòd conveniat in aliquibus; quarê, cùm fidelis peccator conveniat cum juſto in fide, ſpe, & aliis donis ſupernaturalibus, quę caput influit, eſt actu membrum Chriſti, etſi non habeat gratiam ſanctificantem.

14 Dico 3.: Chriſtus,

actu eſt caput infidelium, ſivè iſti ſint baptizati, ſivè non baptizati; licèt iſti actu non ſint in gremio Eccleſiæ ullo modo. Secunda pars concluſionis conſtat; quiá ad eſſe membrum Eccleſiæ actu requiritur fides, qua iſti carent. Quoàd primam prob.: Deus proptêr merita Chriſti D. dat actu infidelibus omnibus inſpirationes, auxilia ſuperna, conſervat illorum vitam, & præſtat omnia alia beneficia, quæ illis donantur: ergò Chriſtus habet influxum in omnes infideles. Prob. antec.: omnia, & ſingula beneficia, tam ordinis naturalis, quàm ſupernaturalis, quæ Deus illis præſtat, & vellet præſtare ex meritis Chriſti, pertinent ad excellentiam ipſius Chriſti; & ex hoc nullum inconveniens ſequitur: ergò dicendum eſt, quòd Deus proptêr Chriſti dat actu Infidelibus, &c. Undè dici poteſt, & clarius; quòd Chriſtus actu non eſt caput infidelium; quiá cùm infidelibus nullum vinculum, ſeù unionem habet Chriſtus; eſt autêm caput in potentia; quiá influit in illos per auxilia, quæ ex Chriſti meritis dantur, ùt convertantur ad fidem, & fiant membra Eccleſiæ, cuius Chriſtus eſt caput.

15 Dico ultimò: Chriſtus, ùt homo, nullo modo eſt caput Dæmonum, & damnatorum. Prob.: Chriſtus reſpectu Dæmonum, & damnatorum, nêc eſt conjunctus per fidem, nêc per charitatem, néc in illos hæbet ullum influxum; sêd caput debet eſſe unitum cúm corpore aliquomodo, & influxum debet habere in ſua membra: ergó, cúm hoc non habeat Chriſtus in Dæmones, & damnatos, ſequitur, quòd nullo modo ſit eorum caput.

16 Notandum hic eſt, quòd diverſo modo dicitur, & eſt Chriſtus caput myſticum, & morale totius Eccleſiæ, ac fuit primus Parens Adamus caput morale poſterorum ab ipſo deſcendentium. Adam, ſiquidém, ut caput morale poſterorum, quiá transfuſę fuerunt á Deo, ùt ſupremo Domino in Adami voluntatem voluntates omnium deſcendentium ab ipſo; ideoquê, Adamo peccante, & nos peccavimus (excipe Immac. Virginem) tamquàm in capite; & ejuſ peccatum eſt noſtrum, & unicuique proprium, út decernit Tridentinum. Totum oppoſitum verificatur in Chriſto Domino, ùt eſt caput morale Eccleſiæ, & Angelorum, & hominum; quià non conſtituitur caput morale per transfuſionem voluntatum membrorum Eccleſiæ, in ipſius humanam voluntatem; ideòqué merita ejus nequa-

quaquàm ſunt merita propria noſtra, nêc ſuis meritis promereremur; sêd ipſe tantúm ſuis meritis meruit, ùt nobis darentur dona, quidus, & meremur, & juſtificamur.

QUÆST. II.

De dignitate Sacerdotali Chriſti D.

1 QUamvis varia ſint munera Sacerdotis, út orare pro populo, eum docere, ad finem deſtinatum ducere, populum judicare, & paſtorem ſe gerere: munus tamen ipſius principale, & proprium eſt, offerre ſacrificium; quaré per ordinem ad iſtud munus ſumitur Sacerdos in ſignificatione propria. Undê Apoſtolus ad Hebræos cap. 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad eum, ùt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis.* Hoc idem exprimit Tridentinum ſeſ. 22. cap. 1. Sed advertendum eſt, quòd Sacerdos proprié & ſtrictè, ùt talis ſit, debet conſtitui ad talem dignitatem publica authoritate, ad hoc, út offerat Deo ſacrificium pro peccatis. Et hoc tàm verum eſt de Sacerdotio veteris legis, quàm novæ. Quod excreſcit ipſemet Apoſt. cit. direns: *Nèc quiſquam ſumit ſibi honorem, sêd qui vocatur à Deo, tamquam Aaròn. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ùt Pontifex fieret; sèd qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quemadmodum & in alio loco dicit: *tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedec.* Undé in primis verbis loquitur Apoſtolus de Sacerdotibus veteris legis, hoc eſt de ordine Aaron; in ſecundis veró de Sacerdotibus novæ legis ſecundum ordinem Melchiſedech. His notatis, quæritur, in præſenti: an Chriſtus D. fuerit: veré, & propriê Sacerdos, de quoquè ordine?

2 Dico 1.: Chriſtus D. fuit veré, & propriè Sacerdos: non quà Deus, sêd quà homo. Concluſio eſt communis. Prob. quoâd 1. part., ſcilicèt, quód fuerit vere, & propriè Sacerdos. Et 1. ex illo Pſalm. 109. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, nàm ſicút Melchiſedech Sacerdos obtulit panem, & vinum, ſic Chriſtus in cœna ſeipſum obtulit, & continuò ſe offert ſub ſpeciebus panis, & vini. Deinde: Tridentinum ſeſ. 21. cap. 1. & 2. docet: *propter Sacerdotii Moſayci imvecillitatem oportuit Deo Patre miſericordiarum, ità ordinantè, Sacerdotem*

alium ſecundum ordinem Melchiſedech ſurgere Dominum N. J. C. Prob. ratione: Chriſtus, tàm in Cœna, quàm in Cruce, veré Sacerdotii munus implevit; quia cùm munus hujus ſit offerre oblationes, & ſacrificia Deo pro populo, totum hoc fecit Chriſtus D.: ergò fuit verus, & proprius Sacerdos.

3 Probatur 2. pars: ſcilicèt, quòd non quâ Deus: Sacerdos conſtituitur authoritate publica, ùt offerat ſacrificium pro peccatis; ſitquè Mediator intêr homines peccatores, & Deum offenſum; ſed Chriſtus quà Deus, non poteſt offerre ſacrificium; quià quà talis eſt Patri æqualis, & ipſi út Deo, æquè ac Patri, debetur, & offertur ſacrificium; néc ipſe, quà Deus, poteſt eſſe Mediator intér Deum offenſum, & & homines; nám, út Deus, eſt ipſe offenſus, ſicùt Pater: ergò Chriſtus, quâ Deus, non eſt Sacerdos. Prob. 3. pars ſcicilicét, quòd ſit Sacerdos, quà homo: quà homo, fuit conſtitutus à Deo Pontifex ex hominibus aſſumptus, ait Paulus: ergò, quà homo, fuit Sacerdos: deinde, quà homo, ſe ipſum obtulit in ara Crucis ſacrificium cruentum Patri, & incruentum in Altari pro peccatis noſtris. Tandem: Div. Aug. in pſalm. 109 ait: *Secundum quòd natus eſt de Patre, Deus apùd Deum coæternus, gignenti, non Sacerdos; sèd Sacerdos propter carnem aſſumptam.*

4 Dices 1. contrà primam partem concluſionis: Sacerdos verè, & proprié talis debet offerre ſacrificium, vel mactando, vél abſumendo, vel aliqualitèr immutando victimam; séd nihil horum fecit Chriſtus D. quia ipſe fuit victima, & hoſtia in Cruce mactata, & ipſe non ſe occidit: ergò non fuit veré, & propriè Sacerdos. Reſpondeo negando maiorem; quia ad ſacrificium ex parte Sacerdotis ſufficit, quód Deo liberé offerat victimam quocumq̃ modo immolandam, ſivè propriis actibus, ſivè alienis. Chriſtus ergò ſeipſum liberè obtulit per Iudæos immolandum Patri; & per eorum manus libere animam poſuit.

5 Replicabis: ſi hoc ſufficeret ad verum Sacerdotium, omnes Martyres eſſent veri Sacerdotes; sèd hoc eſt falſum: ergó &c. Prob. mai.: omnes Martyres liberê ſe exponunt morti propter fidem; & paſsionem, & mortem ſuam offerunt Deo: ergó ſi hoc ſufficeret, &c. Reſpondeo negando mai.: ad probat. dico, quôd Martyres ſe exponunt morti, ùt Perſonæ privatæ

tæ, & martyrium non eſt inſtitutum in ſacrificium publica authoritate. Sacerdos autèm eſt inſtitutus publica authoritate, ad hoc út offerat, út Perſona publica, ſacrificium; quod publica authoritate inſtitutum eſt ad exhibendum Deo cultum, ùt ſupremo Domino vitę, & mortis, & ad ipſum placandum, & & nos reconcialiandos cum ipſo

6 Dices ſecundó contrâ duas partes concluſionis: Sacerdotium Chriſti D. eſt immutabile, & æternum; ſed hoc nequit verificari de Chriſto, ùt homine: ergó verificatur de Chriſto, út Deo. Mai. conſtat 1. ex illo pſalmo 109. : *tu es Sacerdos in ętternum*. Secundo ex illo: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; per quæ verba fuit conſtitutus Sacerdos: & *ly hodiè* ſignificat diem æternitatis. Confirmatur ex Div. Cyril. Jeroſolymit. in cathecheſi 10., ubi ſic ait: *Chriſtus eſt ſummus Sacerdos, immutabile habens ſacerdotium, quòd nequè à tempore cœpit, non, nequè ſucceſſorem habebit Sacerdotii*; sèd, ût homo, non eſt antè ſæcula à Patre, & cœpit in tempore: ergò. Reſpondeo, quòd ex hoc ſolùm infertur: Chriſtum eſſe Sacerdotem non per ſucceſsionem, ſed à Patre conſtitutum Sacerdotem: nèc á patre pro motum in Sacerdotium in tempore poſt ejus Nativitatem; sèd ab inſtanti conceptionis, in quo fuit unctus Sacerdos in æternum, non habiturus ſucceſſorem.

7 Undé ly in *ętternum* non ſumitur ſtrictè, maximè à parte antè. Dicitur ergò Sacerdotium Chriſti D. *ętternum*, vèl quiâ ſacrificium Miſſę, circà quòd verſatur Chriſti Sacerdotium durabit uſquè in finem mundi; nám quæ diû durant, dici ſolent ętterna: vèl quià continuó exercetur, & offertur pro omnibus, qui fuerunt, ſunt, & erunt, ab initio ipſius, uſqué ad finem mundi: vèl quià eius fructus, ſcilicêt gratia, & gloria prædeſtinatorum; ſunt æterni à parte poſt. Vèl tandêm; quiâ adhùc illo munere fungitur, Chriſtus D. ſe ipſum quotidiê offerens, & ſacrificans incruentêr per manus Sacerdotum in altari.

8 Dico 2.: Sacerdotium Chriſti D. fuit diverſum á Sacerdotio legis naturæ, & Moſayçę. Prob. quoàd utramque partem: Sacerdotium legis naturæ fuit ordinis naturalis, & Sacerdotium legis Moſaycæ fuit figurativum Sacerdotii Chriſti, & noſtri; sêd Sacerdotium Chriſti D. fuit ordinis ſupernaturalis, & Sacerdotio Moſayco ſucceſsit, út veritas, figuris, & lux tenebris; omnia quippê in utraqué illa lege in figuris contingebant: ergó quiâ Sacerdotium Chriſti D. fuit diverſum

ſum à Sacerdotio legis naturę, & Moſaycæ. Hoc confirmat Apoſt. ad Hæbreos 7. ubi loquens de ortu Chriſti docet, quòd non erat de Tribu Levi, ſicùt Aaron, & alii omnes Sacerdotes legis Moſaycæ; séd de Tribu Iuda, de quà non ſumebantur Sacerdotes: ait enim: *ex Iudà ortus eſt Dominus noſter, in qua Tribu nihil de Sacerdotibus locutus eſt Moyſes.*

9 Nèc contrà hoc officit, quòd ſit opinio valdé probabilis, quòd Chriſtus D. veré fuit aliquando ex Tribu Levi, genitus, & oriundus; quià Mater naturalis Chriſti D. veniebat aliquomodò ex Tribù Levi; cùm iuxtà Div. Lucam cap. 1. cognata erat cùm Eliſabeth uxore Zachariæ, de qua verſic. 5. dicitur: *& uxor illius de Filiabus Aaron*; quæ erant de Tribù Levi, hoc eſt de Tribu Sacerdotali. Videatur ſupér hoc Mag. Par. Aug. de conſenſu Evangeliſtarum lib. 2. cap. 2.; & in lib. 83. qq. quæſt. 61.. Admiſſa ergó, ùt ſatis probabile, hac opinione, non eſt contrà nos; quià licèt ex Tribù Levi aliquomodò ortum duceret Chriſtus D. per lineam maternam, nullus tamén affirmat, quòd fuerit Sacerdos ſecundùm ordinem Aarón: cùm tale Sacerdotium ſolum fuerit figurativum Sacerdotii Chriſti. Per quod ſatisfit difficultati, quæ ſolet proponi: cùr Chriſtus D. dicatur Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, & non ſecundùm ordinem Aaron? Saltim quoàd ſecundam part. Undè quoad primam.

10 Quæres: cúr Chriſtus dicatur Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedèch? Nota, quòd Sacerdotium Chriſti, & Melchiſedech nèc ſunt eiuſdem ordinis ſpecifici, nèc eiuſdem ſpecificæ poteſtatis. Ratio eſt: quià néc Melchiſedech fuit Sacerdos per poteſtatem ſe ipſum offerendi; néc offerendi panem, & vinum immutando utrumque per tranſubſtantiationem in corpus, & ſanguinem ſuum, nèc in corpus, & ſanguinem Chriſti, ſicùt fuit Sacerdotium Chriſti. Ex quo colligitur, quòd, ſi Chriſtus D. fuit Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, hoc ſolùm fuit propter aliquas ſimilitudines, & convenientias in pluribus: plures aſsignant AA., in ipſis videndas. Principaliores adducam.

11 Primò ergó ex Etymologia nominis. Melchiſedech enim fuit *Rex Salem*, quod interpretatur *Rex pacis*; Chriſtus autèm dicitur, & eſt *Rex pacificus*, *& Princeps pacis*. Secundó; quià de Melchiſedech dicitur, quòd fuerit ſine Patre, ſine ma-

tre

tre, quià de illis non fit mentio in Scriptura. Sic Chriſtus, quà Filius Dei, eſt reverà ſine Matre, & quà homo, ſine patre. Tertiò; quià ille ſolus de ſua ſtirpe functus eſt Sacerdotio; & ſic Chriſtus D. non habuit ſucceſſorem in Sacerdotio. Totum hoc infertur ex Apoſt. ad Hebræ. 7. ubi de Melchiſedech dicitur: „ primùm quidèm, qui „ interpretatur Rex Iuſtitiæ: deinde autém, & Rex Salem, quod „ eſt Rex pacis, ſine Patre, ſine „ matre, ſine genealogia, nequè „ initium dierum, nequè vitæ finem habens, aſſimilatus autém „ Filio Dei, manet Sacerdos in „ perpetuum. Deindè: Melchiſedech fuit *S*acerdos univerſalis, non pro uno populo, néc adſtrictus uni loco ad ſacrificandum, ùt Aaron, & ita Chriſtus fuit, & eſt Sacerdos univerſalis. Denique: Melchiſedech non oves, non bobes, sèd panem, & vinum obtulit: ſimilitèr Chriſtus in Altari ſub ſpeciebus panis, & vini offertur pro nobis: & in Cruce non pecudes, non hircorum ſanguinem, sèd ſemetipſum obtulit.

12 *S*i tandém quæras, quommodò, quandò, & à quo factus ſit *S*acerdos Chriſtus D.? Reſpondeo, quod à Deo ex vi ſuæ generationis æternę; & intempore cùm unione hypoſtatica, gratiaque ſumma, accepit unctionem Deitatis, & poteſtatem excelentiæ ſupér univerſam Eccleſiam; undé ab inſtanti ſuæ conceptionis deſtinatus eſt, ùt eſſet *S*acerdos, à Deo; & erit in æternum.

QUÆST. III.

De Regia Poteſtate Chriſti Domini; aliiſquè eius Officiis.

1 REX, alius eſt ſpiritualis, qui habet jus præcipiendi, & ſtatuendi ea, quæ ad ſalutem animarum, cultum divinum, & Religionis decorem ſpectant. Temporalis eſt, qui imperat, & adminiſtrat ea, quæ ad utilitatem externam, & temporalem Reipublicæ pertinent. Et hæc poteſtas temporalis, alia eſt *juriſdictionis*, ſecundum quàm Rex habet jus præcipiendi ea quæ judicat utilia bono publico. Alia *proprietatis*, & eſt, qua habet jus diſponendi de bonis omnibus Regni pro ſuo libito, velùt de propriis ſuis rebus, abſquè injuria particularium, vel communitatis, etiàm ad privatam utilitatem. An hęc poteſtas *proprietatis* detur in Regibus, maximè Chriſtianis, eſt ſub dubio apud Legiſtas. Tandèm: hæc poteſtas temporalis alia eſt di-

rec-

directa, & eſt, quæ primariò, & immediatè per ſe reſpicit temporalem politiam, & bona populorum. Alia *indirecta*, quæ reſpicit temporalia tantùm ſecundariô, in quantùm habent connexionem quandam cum ſpiritualibus, ad quæ poteſtas illa directê ſe extendit. De hoc laté tom. 5. tract. 13. diſp. 4.

2 Núnc ergò quæritur: àn Chriſtus D. in vita mortali fuerit veré, & propriê Rex temporalis habens dominium directé juriſdictionis, aùt proprietatis in omnem terram, & Reges Univerſi; vèl ſaltim in Jedæos? Et nota, quód non eſt difficultas de Regia poteſtate ſpirituali animarum, & indirecta temporali in univerſam Eccleſiam; nam, quód fuerit Rex ſpitualis univerſi, omnes Theologi fatentur; imò tamquám de fide habent, quódquè ratione conſtat; nám Chriſtus veré exercuit in hoc mundo poteſtatem, ſupremam, & excellentiæ in Eccleſiam, quam ipſe fundavit, rexit, & inſtruxit Sanctiſsimis legibus conſtituens DD., Sacerdotes, & Paſtores, eamquè muniens ſacramentis; quæ omnia ſunt acta ſupremæ juriſdictionis, & dominationis ſpiritualis.

3 Difficultas ergò eſt; an fuerit Rex in temporalibus, ſeù per jus regnandi ſupér temporalia regna, ſeú per temporalem poteſtatem in ordine ad regimen politicum, & temporale directum. Pro cuius reſolutione notandum eſt, quod Chriſtus D. etiam, ùt homo, habuit ſummam aliquam, & excellentem poteſtatem ſuper omnes creaturas, ità ût eis poſsit imperari ad arbitrium ſuum. Sic Apoſt. 1. ad Epheſ. ait: *omnia ſubjecit ſub pedibus ejus*: Et Mathæi 26. *data eſt mihi omnis poteſtas :: omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Undé Chriſtus ùt homo, non fuit de jure ſubditus Regibus, et Principibus temporalibus, ut ſatis colligitur ex cap. 17. Mathæi: ubi Chriſtus aperte ſignificat, ſe liberum eſſe à ſolutione tributi debiti Regibus á ſuis ſubditis; séd tamén voluiſſe illud ſolvere propter ſcandalum vitandum.

4 Tandèm advertendum eſt, quod Chriſtus D. non habuit, jus proprieratis in actu ſecundo in aliquod temporale Regnum, sèd potius alios Reges reliquiſſe pacifice in ſnis dominiis. Undè Iudeis tentantibus eum, àn liceret dari cenſum Cœſari? Reſpondit: *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Deindé: ipſe pauperatem profeſſus eſt cum Apoſtolis. Tandèm: non legitur quod uſus ſit tali regia poteſta-

tate ; quinimò eam renuit , cùm dixit : *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Quare difficultas unicè procedit de jure proprietatis , aùt poteſtatis in actu primo , ſuper omnia Regna mundi ; aùt ad minùs ſupra Regnum Iudæorum. Difficultatem duplicí concluſione reſolvam:

5 Dico 1. : Chriſtus D. fuit Rex temporalis Mundi in actu primo ex jure poteſtatis, congruentialitèr debito humanitati aſſumptæ ratione unionis ad Verbum , & à Patre conceſſo. Concluſio eſt communis. Prob. 1. ex Scriptura : Mathæi 1. ipſe Chriſtus de ſe dicit : *data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo , & in terra* ; & 11. : *omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Apocalypſis cap. 1. : *vocatur Princeps Regum terræ.* Et cap. 19.: *& habet in veſtimento* (hoc eſt in humanitate) *& in femore ſuo ſcriptum : Rex Regum, & Dominus Dominantium* ; sèd hæc omnia non poſſunt intelligi , nec de Chriſto , ut Deo, quia ùt talis , habuit à ſe talem poteſtatem indiviſam cum reliquis Perſonis divinis ; nèc de poteſtate regia merè ſpirituali; cùm talia verba univerſaliſſima ſint : ergò quià Chriſto Domino data ſunt Regna temporalia in actu primo , & non ſolùm poteſtas ſpiritualis. Deindé : Chriſtus dicitur Princeps Regum terræ , Rex Regum , & Dominus dominantium.

6 Prob. 2. concluſio ratione : Chriſtus Dominus per poteſtatem ſibi à Patre datam in Cœlis habet , nedùm ſpiritualem poteſtatem ſuper Angelos , sèd etiàm directam poteſtatem circà temporalia in ordine ad gubernationem temporalem univerſi : ergò & per poteſtatem ſibi conceſſam in terram , habuit non ſolùm ſpiritualem , sèd etiàm temporalem ſupér omnia Regna Mundi. Prob. antec. : Chriſtus , ùt homo, poteſt Angelis præcipere ea , quę ad gubernationem politicam univerſi pertinent; ùt quod ſuggerant Principibus , & Regibus terræ talia , vél talia dictamina , ùt in ſuis negotiis politicis bonum exitum habeant: ùt applicent cauſas naturales ad pluviam generandam ; & ſic de aliis miniſteriis ; sèd hoc denotat , Chriſtum Dominum habere poteſtatem temporalem in Angelos : ergò &c. Deindè; hæc poteſtas cedit in excellentiam Chriſti Domini , decetquè humanitati aſſumptæ , & ſubſtantialitèr Deo unitæ ; ùt ſic omnis creatura ipſi ſubmittatur, & ſubjectetur , nedùm ratione dignitatis, sèd & ratione omnimodæ poteſtatis.

7 Dices 1. : ſi Chriſtus Dominus fuiſſet Rex temporalis, hoc habuiſſet vèl jure hæreditatis, vèl jure electionis, vèl jure belli, vèl alio excogitabili titulo ; séd nullo ex his modis fuit Rex temporalis: ergó non fuit. Confirmatur : ſi Chriſtus Dominus fuiſſet Rex jure temporalis poteſtatis, túnc temporis omnes Reges terræ non fuiſſent Reges terræ, sed fuiſſent vèl tyranni, vél Vicarii Chriſti ; sèd hoc eſt falſum : ergò. Reſpondeo, quód Chriſtus Dominus non fuit Rex jure temporalis poteſtatis aliquo ex præfatis titulis, sèd ratione unionis naturæ aſſumptæ cum Verbo, & conceſsionis ſibi factæ à Patre ipſum conſtituente Regem Regum, & Dominum dominantium.

8 Ad confirmationem, nego mai. ; quià Chriſtus Dominus non habuit, ùt diximus, regiam poteſtatem in actu ſecundo ; conſequenterqué non abſtulit ab aliis uſum ſuę poteſtatis ; undé non fuerunt tyranni ; nèc fuerunt Chriſti Vicarii ; quiá non fuerunt ab ipſo, ùt homine, deſignati, ût eius vices gererent in Regno, & eius nomine regnarent. Deindè, cùm eius poteſtatis in Chriſto Domino eſſet ſupernaturale, ſupereminens, & univerſaliſſimum, non auferebat ab aliis Regibus ordinariam, & ſubalternam poteſtatem in ordine inferiori, & politico, naturali, & particulari. Undé poteſt dici, quòd dominium, quod pro tùnc inerat Regibus terræ, erat ex Chriſti permiſsione ; quià, ſi Chriſtus voluiſſet uti regia poteſtate, nullum jus habuiſſent alii Reges impediendi Chriſtum munere regio.

9 Dices 2. : Chriſtus Dominus non eſt uſus illa poteſtate in actu ſecundo : ergò eam non habuit. Conſeq. conſtat ; quiá aliàs eam fruſtrà habuiſſet. Reſpondeo diſtinguendo antec. : non eſt uſus illa poteſtate *directè*, quoád temporalia, conc. antec. : *indirectè*, nego ant. ; nàm ſufficit, quòd dederit leges ſpirituales, quę perfectè ſervari nequeunt ſinè actibus, & obſervantia temporalium. Sic ſe geſsit, dùm dixit : *reddite, quę ſunt Cæſaris, Cæſari.* Deindè : hoc fecit ad oſtendendam ſuam humilitatem, & abjectionem rerum temporalium, ùt nos efficaciùs coerceret à cupiditate rerum temporalium.

10 Dices ultimó: Chriſtus Dominus, Joann. 18., de ſe dixit Pilato : *Regnum meum non eſt de hoc mundo* ; & Luc. 12., cùm quidam peteret ab

ab ipſo : *Magiſter dic Fratri meo , ut dividat mecum hæreditatem* : Reſpondit : *homo, quis me conſtituit Judicem , aut diviſorem ſuper vos?* Ergò , quiâ Chriſtus Dominus non fuit Rex jure temporalis poteſtatis in hoc mundo. Reſpondeo , quòd ex his locis ſolùm infertur, quòd Chriſtus Dominus non fuit Rex jure temporalis poteſtatis in actu ſecundo , aût impeditivo regiminis Principum , & Regum huius Mundi ; non verò infertur , quòd non fuerit ſic Rex in actu primó , & permiſsivo regiminis Principum,& Regum.

11 Dico 2. : licét probabile ſit , quòd Chriſtus, quà homo , habuit in actu primo jus hæreditarium in Regnum temporale Iudæorum : tamén probabilius eſt contrarium. Prob. prima pars ; quiâ Immaculata V. Maria deſcendebat ex Familia David ; & deficiente viro, fœmina poterat ſuccedere in Regno , ùt dicitur cap. 27. numerorum , verſ. 8. : *homo cùm mortuus fuerit abſque Filio, ad Filiam , èius tranſibit hæreditas*: ergo Chriſtus,qui erat naturalis Filius Mariæ habuit jus verum , & proprium ad temporale regnum. Sed, ut verúm fatear , ſi hoc quid probat , ſolùm probat, quòd Chriſtus D. habuit jus remotum ; nam per prius regnatura erat Mater. Deín dé : reſtat probare an Immac. Virgo fuerit immediativa,& propinquior in linea deſcendentium a David.

12 Prob. 2. hæc ſententia ex eo , quod regnum David taanslatum fuit ad Familiam Machabęorum , non perpetuó , ſed quoàd tempus , hoc eſt , uſquequo reſurgeret Propbæta Domini Fideiis, hoc eſt, Chriſtus D. : ergò quia Chriſtus D. habuit jus ad Regnum Israel. Antecedens conſtat ex lib. 1. Machabæorum, cap. 14. verſ. 41. ubi dicitur ; quòd ceſſante principatu in Familia David , Principes, & Senatus Iudæorum ex communi conſenſu ſtatuerunt, Simonem Machabęum eſſe ducem , & Sacerdotem ſuum in æternum , donec ſurgat Propheta Domini fidelis. Ex his conſtat , quòd Principatus ex Familia David fuit translatus ad familiam Machabæorum per tempus ; & quód dúm venit Propheta Domini fidelis, hoc eſt , Chriſtus, ipſum in ſe reaſſumpſit. Videatur Ezechiel Propheta cap. 21. â verſ. 25. loquens de Rege Sedechia. Pro hac opinione ſtant aliqui Sancti Patres , ut Div. Athanaſ. & Epiphanius. Videatur eruditus Sylveyra, tom. 1. ſupér Evangelia fol. 126 num. 114. Pro

13 Probabilius tamen mihi videtur oppoſitum, hoc eſt, quod Chriſtus Dominus non habuit jus ad Regnum temporale Iudæorum. Nam ſi tale jus habuiſſet, maxime quia deſcendebat à David per Jechoniam; ſed ex hoc probatur, quod non habuit tale jus; nam de Jechonia, eiuſque ſucceſſoribus dicitur, Jeremię cap. 22. verſ. 30.: *quarè abiecti ſunt ipſe, & ſemen eius; ſcribe virum iſtum ſterilem: virum, qui in diebue ſuis non proſperabitur, nec erit de ſemine ejus, vir, qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultrà in Juda*: ergò &c. Hæc difficultas planè, pleneque eſt ſcripturaria; quarè meritò ab ipſa, ſcholaſtica methodo procedentes, abſtinemus; ſufficiat eam inſinuaſſe.

14 Ultrà præfatas excellentias, & dignitates Chriſti Domini, inſignitus fuit aliis officiis. Fuit enim *Redemptor* Generis Humani, Fuit *Mediator* inter Deum, & hominem. De quibus tract. ſequenti agendo de merito, & ſatisfactione Chriſti Domini. Fuit inſuper, *Propheta, Doctor, Mediuſque* animarum. Fuit, tandem, *Legislator, & Judex*, quidquid in contrà clamet Lutherus; quęque excellentia ſatis ex dictis in iſta quæſt. de eius regia poteſtate.

QUÆST. IV. ET ULtima.

An potentia faciendi miracula fuerit in Chriſto Domino phyſica, aùt moralis?

1 VEra eſſe miracula in Eccleſia Chriſti, ùt de fide ſupponimus contrà Waldenſes, & alios. Undè certum omninó eſt, Chriſtum Dominum, ût hominem vera perpetraſſe miracula, ùt conſtat ex tota Evangelica hiſtoria. Quaré ab inſtanti ſuæ conceptionis habuit virtutem ſupernaturalem ad illa facienda. Quarè permanentèr, àc quaſi per modum habitus habuit hanc potentiam. Ratio eſt; quià hæc virtus data eſt humanitati vi unionis hypoſtaticæ, àc veluti proprietas eam conſequens; cúm ergó hæc unio ſit permanens, & perpetua, & fuerit ab inſtanti conceptionis, hinc eſt, quód virtus patrativa miraculorum fuit ipſi communicata permanentèr, & per modum habitus. Dico, *per modum habitus*; quià in rei veritate non erat aliquis habitus, sèd quia illa uti poterat pro ſuo libito; nàm Deus ſempêr adſtabat para-

ratus ad opera mira facienda phisicé, quotiés voluntas humana Christi ea postularet: & sic quotiés volebat Christus, Miracula patrabat. Et hæc est differentia aliorũ sanctorum, quibus talis potentia communicatur; nam eis communicatur per modum transeuntis.

2 Quæritur in præsenti; àn hęc potestas faciendi miracula fuerit, in Christo physica àn verò moralis? Pro quo nota ex dictis in physica agendo de causis, quòd potentia physica effectiva est illa, quæ realitèr; seù reali influxu influit in effectum, vèl per propriam virtutem; & sic est principalis: vèl virtute participata a principali, vèl mota ab ipsa, út causet aliquam dispositionem prævíam, út postea principalis suum effectum causet; & proût sic dicitur causa physica instrumentalis. Causa moralis est illa quę non influit physicé in effectum, sed solùm rogando, intercedendo, aliové simili modo est causa, cúr physica influat. In præsenti ergò duplex est sententia. Prima communis intèr Thomistas tenet, potentiam in Christo D. ad patranda miracula, fuisse physicam; non per modum causæ principalis; quia hæc solius est Dei; sed per modum causæ instrumentalis. Etsi omnes in conclusione conveniant, in modo tamen eam explicandi satis intèr se differunt, ùt citò videbimus. Secunda sententia docet, talem potentiam in humanitate Christi D. fuisse solùm moralem. Sic Subt. Doct. in 4. dist. 1. q. 5. & dist. 2. q.; & cum eo omnes Scotistæ, sit ergò

CONCLUSIO:

3 Potentia Christi, ùt hominis ad patranda miracula fuit moralis, & non physica. Prob. 1. ex Sac. Scriptura, & SS. PP.: nam Joann. 4. ait Christus: *Pater in me manens ipse faciet opera*: & cap. 12.: *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me: ego autem sciebam, quia semper me audis*: ergò Christi humanitas solam habet moralem causalitatem ergà opera mira, quę facit. Confirmatur ex Concilio Tridentino sess. 6. de justificat. cap. 7. ubi Christum D. causam tantùm meritoriam nostræ justificationis assignat; Deum verò causam efficientem: ergo &c. Deinde: Magn. Par. Aug. tract. 8. in Joan. agens de miraculo patrato in Cana Galilęę, dicit: *miraculum, quod facturus erat, secundum Divinita-*

ſitatem factus erat, non ſecundum infirmitatem; ſecundum id, quod Deus erat, non ſecundum id, quod infirmus natus erat. Hoc idem docent Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 15., & Div. Athanaſ. orat. 4. contrà Arrianos.

4 Prob. 2. concluſio, evertendo fundamentum contrariorum; quòd in Chriſto D. fuerit potentia moralis; qualis à nobis ponitur, cedit in maiorèm excellentiam Chriſti humanitatis, quàm potentia phyſica per modum inſtrumenti: ergò illa eſt concedenda Chriſto D. Prob. antec.: talis potentia moralis ità à nobis ponitur, ùt ad nutum hujus humanę voluntatis, vél per orationem ad Deum factam, vél per imperium, quod ſuper creaturam fiebat, fieret quidquid Chriſtus volebat, & in quacumque diſtantia; ſed hæc poteſtas affert maiorem excellentiam, quàm potentia phyſica inſtrumentalis: ergó &c.. Prob. min. 1.: excellentius eſt in Rege, quod ad ſejus vocem, & imperium ſtatim fiat, quod vult, quàm ſi Rex teneretur applicare neceſſaria per ſe immediatè, ut fieret; ſed hoc evenit in Chriſto D. erga miracula per poteſtatem moralem, quam nos ponimus, & non ſic per potentiam phyſicam inſtrumentalem; cùm juxtá Thomiſtas, ut hęc habeat operationem, egeat contactu & præſentia cum paſſo: ergò, &c.

5 Confirmatur 1.: illud non facit ad ſpecialem Chriſti dignitatem, quod communicari poteſt aliis creaturis; ſed eſſe phyſicum inſtrumentum miraculorum poteſt communicari creaturis, imo & irrationalibus, út Aſinæ Balaan ad loquendum, ligno arido ad flores, & fructus producendos: ergò. Confirmatur 2.: eſſe phyſicum inſtrumentum ad actiones miraculoſas involvit imperfectionem ex parte modi producendi; nam non operatur connaturalitér per intrinſecum principium completum operandi, ſed per extrinſecum principium aſſiſtens, elevans, & complens extrinſecè tantum, ad effectus naturam excedentes; ſed nulla talis imperfectio reperitur in modo opérandi miracula moralitèr tantũ: ergò hic modus operandi eſt excellentior Chriſto

6 Prob. 3. concluſio impugnando modos dicendi contrariorum. Hæc potentia phyſica ad patranda miracula, quæ in humanitate Chriſti ponitur, vel eſſet aliqua qualitas phyſica; vel eſſet ipſamet unió hypoſtatica; vél eſſet aliquis motus tranſiens pro ſingulis occaſionibus; vel tandèm eſſet ipſa potentia obedientialis Chriſti à Deo elevata ad cauſandos miros effectus per mo

dum inſtrumenti phyſici ; ſed neutrum ex his dici poteſt : ergò non datur talis cauſalitas phyſica. Mai. continet modos dicendi contrariorum. Prob. min. per partes : primò, talis potentia phyſica nequit eſſe aliqua qualitas phyſica ; tùm quià talis qualitas haberet intrinſecam virtutem ad omnes ſupernaturales effectus producendos; & ſic eſſet infinitę vittutis; quià poſſe activè concurrere ad plures effectus, & plures effectus ſpecie diſtinctos dicit maiorem perfectionem, quàm poſſe concurrere ad unum dumtaxat effectum, ut arguit Scotus in 2. diſt. 3. quæſt. 10. Tum, quia hæc qualitas vel eſſet materialis, vel ſpiritualis? Non 1.; quià non poſſet attingere ſpirituales effectus, nequè 2.; quià non poſſet recipi in ſubiecto corporeo : ergò eſt impoſsibilis talis qualitas.

7 Secundò probatur; quòd talis phyſica potentia nequeat eſſe ipſa unio. Hæc non eſt operativa ; quia ex dictis tractat. 1. huius, eſt pura relatio extrinſecus advenieus ; ſolùm ergò valet ad terminandam naturam loco ſubſiſtentię creatæ, per quam ſubſiſtentiam non habet natura vim operandi, ſed hanc habet per ſe ex ſua eſſentia. Tertiò probatur, quòd talis potentia non ſit motus aliquis tranſiens ; tùm, quià ùt diximus num. 1. huius potentia Chriſti ad patranda miracula non fuit tranſiens, uti eſt in aliis Sanctis, ſèd fuit permanens. Tùm, quià motus ſolùm habet adducere agens ad paſſum : ergò non dat potentiam, nèc virtutem. Undè, ſi agens eam non habet, motus ipſi eam non tribuit ; & conſequenter, &c.

8 Probatur tandém, quòd talis potentia phyſica nequeat eſſe potentia obedentialis humanitatis Chriſti. Ex dictis in phyſica non datur in quolibet potentia obedientialis activa ad quodlibet, ſèd ſolùm in ordine ad illos effectus, reſpectu quorum eſt in potentia aliqua virtus inchoata, uti in intellectu ad viſionem beatificam, in B. Virgine ad formationem miraculoſam corporis Chriſti. Nùnc ſic ; sèd humanitas Chriſti Domini plures, & plures produxit effectus ſupernaturales, ad quos nullam habebat virtutem inchoatam ; ût conſtat ex Evangelica hiſtoria: ergò reſpectu plurium miraculorum, ab ipſo factorum, non ſufficiebat hęc potentia obedientialis

9 Probatur tandém concluſio ex N. Subt. Doct. in 4. diſt. 1. q. 5. & diſt. 2. q. 1. ubi do-

docet, & cum eo omnes Scotiſtæ, Sacramenta novę legis á ſolo Deo habere efficaciam, á Chriſto verò út á cauſa meritoria, & morali; & etiam tenet, Sacramenta novæ legis non cauſare phyſicé gratiam, adhùc inſtrumentaliter; sèd ex hoc ſatis clarè colligitur, quòd humanitas Chriſti Domini non habuerit potentiam phyſicam, adhùc inſtrumentalem, reſpectu patrationis miraculorum, sèd ſolùm moralem; maximé, cùm iſta cedat in maiorem excellentiam Chriſti Domini, út probatum eſt, probation. 2. huius.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

10 Arguitur 1. ex Scriptura, nam Lucæ 6. dicitur: *omnis turba quærebat eum tangere, quià virtus de illo exibat, & ſanabat omnes, & c. 8. tetigit me aliquis; nàm ego novi, virtutem ex me exiſſe.* Et Matthęi 9.: *videntes autem turbę, glorificaverunt Deum, qui poteſtatem talem dedit hominibus.* Et Joann. 20.: *data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra.* Tandem: Div. Gregor. Magn. in Dialogis cap. 130. ait: *Chriſtum miracula feciſſe poteſtate; Martyres verò, & Sanctos impetratoriè*; sèd hæc omnia denotant poteſtatem phyſicam in humanitate Chriſti ad patranda miracula: ergo.

11 Reſpondeo negando hanc minorem; quià ex præfatis textibus ſolùm infertur, quod Chriſtus Dominus habuit ſupernaturalem poteſtatem faciendi miracula: an verò hæc poteſtas fuerit phyſica, vèl moralis? non exprimitur; imò ex duobus primis in quibus dicitur, quòd virtus de illo exibat, infertur; quòd non fuerit phyſica; nàm in bona philoſophia: *virtutem exire, non dicit, quòd aliquid virtutis exeat ab efficiente*; quià virtus & actio in agente manent. Undé ly *virtus* ibi ſumitur pro beneficio largito, & pro ipſa ſalute; & dicitur, quòd exibat, quia Chriſtus omnibus ſanitatem conferebat, vél imperando ægritudini, vèl Deum orando. Verba Divi Greg. intelliguntur de poteſtate morali abſoluta ad nutum, & pro libito ipſius, qualis non fuit in Martyribus, néc in aliis Sanctis; vèl intelliguntur de poteſtati radicali ratione unionis, quæquè erat permanens ab inſtanti ſuæ conceptionis; non ſic in aliis.

12 Arguitur 2.: non repugnat, quód humanitas Chriſ-

ti Domini per modum inſtrumenti phyſici concurrat ad patranda miracula : ergo ita dicendum eſt ; cùm hoc cedat in maiorem ipſius gloriam. Probatur antec. : non repugnat , quod potentia intellectiva creata per potentiam obedientialem elevetur ad viſionem beatificam : ignis infernalis ad torquendos ſpiritus per modum inſtrumenti phyſici : & ſimilitèr Sacramenta gratiæ ad productionem ipſius: ergò nec repugnat , quod humanitas , &c. Reſpondeo 1. quod hic non quærimus : àn repugnet , vél non , quòd humanitas Chriſti per modum inſtrumenti phyſici , potuerit in alia providentia concurrere ad effectus miros ſupernaturales efficiendos ; ſed ſolum : àn ità de facto concurrerit in hac vita ? In quo ſenſu

13 Reſpondeo 2. negando antec. ad primam probationem conc. antec., & nego conſeq. Intellectus enim quamdam habet proportionem cum viſione beata , & Deo viſibili ; quia continetur intrà ſphæram eius obiecti ex natura potentiæ , & habet virtutem in choatam ad talem effectum; quod non reperitur in humanitate Chriſti D. ; imò paritas non tenet ; quia intellectus concurrit non per modum inſtrumenti phyſici , sèd ut cauſa principalis , ut detur in materia de viſione : & hoc non concedunt contrarii reſpectu humanitatis Chriſti. Undè abſolute loquendo , non negamus, quòd humanitas Chhriſti potuerit phyſicè concurrere , ad aliquos effectus miros , & ſupernaturales quoad modum, habentes aliquam analogiam cùm effectu ab eadem natura naturalitèr producibili : & ſic ait N. Doct. in 4. , quod potentiâ motiva inorganica , quam habet anima in corpore glorioſo poterat elevari ad productionem alicuius motus inorganici in corpore Chriſti paſsibili Ad alias duas probationés , nego antec., cuius falſitas conſtat ex tract. de Dœmonibus tom. 3 tract. 8. diſp. 3. q. 2., & ex dicendis de Sacramentis.

14 Arguitur 3. : modus quo Chriſtus faciebat miracula , út in plurimum aſſociabatur cum aliqua actione externa , ut tactu ; quia Luc. 6. *omnis turba quærebat eum tangere* : ſputo , út in illuminatione cæci , Ioann. 9. ; sèd tactus erat phyſicus , & non moralis, in faciendis miraculis: ergò denotat, quòd virtus , qua Chriſtus ipſa faciebat, erat phyſica , & realis. Reſpondeo 1.,

ſi hæc ratio probat, probat, quaod ejus veſtimenta habebant hanc virtutem phyſicam ad facienda miracula; nàm mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur, juxtâ Lucam 8. tetigit veſtimenta Chriſti, & ſanata eſt: ergó ſi tactus phyſicus faciebat miracula, veſtimenta Chriſti habebant virtutem phyſicam.

15 Reſpondeo 2. conceſ. mai. & min., negando conſeq.. Nàm SS. PP. in miraculis Chriſti D. duas diſtinguunt actiones phyſicas; unam tangendi humano more defunctum, aut ægrotum; & aliam ſanandi, vèl ſuſcitandi. Prima enim fuit ſolius humanitis; Secunda verò fuit divinitatis, quę miracula phyſicè faciebat; non autêm tactus, qui nêc adhùc cauſa moralis talis miraculi erat, ſed ad ſummum indicatio, aùt manifeſtatio ipſius. Audiatur Div. Athanaſ. orat. 4. contrà Arrianos: *humano quidem modo manum extendit, Divinitas autem morbum compeſcuit; humanum fuit, è carne emiſiſſe ſputum; Divinitas autem oculos aperuit.*

16 Arguitur 4. Chriſtus, út homo, faciebat miracula ad faciendam maiorem commendationêm excellentię humanitatis ipſius; ſed ad id magis confert modus operandi phyſicè, quam moralitèr: ergo ut inſtrumentum phyſicum concurrebat ad talia miracula. Prob. min.: ſicùt humanitas per unionêm hypoſtaticam communicat in eſſe divino, quia ſubſiſtit ſubſiſtentia Verbi Divini; ità concurrendo phyſicè ad facienda miracula participat de divina potentia ejuſdem Verbi, quæ verè, & realitèr phyſicè eſt productiva miraculorum. Hoc argumentum, út probet aliquid, debet probare, quòd humanitas Chriſti D. fuit cauſa principalis phyſica miraculorum: quod negant contrarii. Reſpondeo ergó negando min.; quià ex dictis num. 4, huius, aſſumi, út phyſicum inſtrumentum obedientiale ad actiones miraculoſas, involvit imperfectionem ex parte modi producendi.

17 Arguitur ultimò: miracula, quæ faciebat Chriſtus D. demonſtabant, ipſum eſſe hominem hypoſtaticè unitum Verbo; sêd hoc non demonſtrarent, niſi Chriſtus, út cauſa phyſica, ea perpetraret ratione unionis hypoſtaticę: ergò ità ea faciebat. Mai. conſtat ex illo Joann.: *opera, quę ego facio, in nomine Patris mei teſtimonium perhibent de me.* Min. etiam patet; quià, ſi ſolùm ut cauſa moralis concurreret, cum ſic concurrant Sancti, non eſ-

eſſent demonſtrativa, Chriſtum eſſe hominem hypoſtatice unitum Verbo. Reſpondeo 1. negando mai.; quia nec ullum Chriſti miraculum, nec omnia ſimùl ſumpta erant demonſtrativa Chriſti divinitatis, ût ſatis conſtat ex illo Joann. 14. *qui credit in me, opera, quę ego facio, & ipſe faciet; & maiora horum faciet.* Ex quibus infertur, quod purus homó adjutus á Deo poſsit facere majora miracula: quam Chriſtus; reſpectu cujus non eſſent demonſtrativa unionis hypoſtaticæ.

18 Reſpondeo 2. admiſſa mai.; ex ipſa tamén non bene deducitur, quod Chriſtus fuerit cauſa phyſica talium miraculorum, sèd tantúm, quòd Chriſtus non fuerit purus homo, ſed homo Deus; ità quod ût Deus, phyſicè cauſaret miracula; ût homo autem, tantum moralitér; & hanc poteſtatem phyſicam divinitatis, & moralem humanitatis fatebantur turbæ videntes miracula Chriſti, ût fecit Cæcus ille, *Joann. 9.*, qui in ſignum Divinitatis Chriſti eo, quód ab ipſo fuerit illuminatus, procidens, adoravit eum, út Filium Dei. Qui plura circá hoc deſideraverit, conſulat Cardinalem noſtrum Brancatum lib. 4. ſententiarum, diſput. 7, ubi mira tradit. Dicta verò ſufficiant pro hoc compendioſo tract. 2.



TRACT.

TRACTATUS III.

DE MERITO,

ET SATISFACTIONE CHRISTI DOMINI:

EJUS CULTU, ET ADORATIONE: AC TANDEM de cauſa finali Incarnationis.

EXplicatis his, quæ ad eſſe Chriſti D. tâm ſecundum eſſentiam, quàm ſecundúm gratiam pertinent, in duobus præcedentibus tractat.; ordo doctrinæ nos cogit, ùt ab eius merito, & ſatisfactione, hunc tertium tractatum incipiamus. Quare ſit

DIS-

DISPUT. I.

DE MERITO CHRISTI, TAM PRO SE, QUAM pro nobis.

PRO hac diſputatione miſſas facimus præambulas difficultates quid, quotuplex ſit meritum? quæ, & quot ſint conditiones requiſitę ad meritum de condigno ex parte operis, & operantis? Videndas in tomo 6. tract. 17. diſp. 3. quæſt. 1. & 2. Curſus hujus Almę Provinciæ. Hic enim ſolùm de Merito ſermonem faciam, tam pro ſe, quàm nobis. Sit ergó

QUÆST. PRIMA.

AN MERITUM CHRISTI D. ſit ſimpliciter infinitum ratione Dignitatis Perſonæ?

1 CHRISTUM Dominum aliquid meruiſſe, de fide conſtat ex Trident. ſeſ. 6. cap. 7.. Imó, & communis Theologorum ſenſus, ùt dogma noſtrę fidei, tenet, meritum Chriſti fuiſſe ſufficiens, ſufficientemquè habuiſſe valorem ad ſatisfaciendum nedùm pro peccatis totius generis humani, séd etiám pro infinitis hominibus, ſi tot ab Adamo propagati fuiſſent. Quod non obſcurè colligitur ex Epiſt. 1. Joann. cap. 2.: *ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autém tantùm, sèd pro totius Mundi.* Ex hoc enim infertur, meritum,& ſatisfactionem Chriſti Domini, quamdam infinitatem habere. Quaré, quæſtio præſens non eſt de re; séd de modo. Undé, ſcilicèt, hæc infinitas meritorum Chriſti proveniat? An ab intrinſeco, hoc eſt, ex propria ratione formali operum Chriſti, ob infinitam dignitatem ejus Perſonę: àn verò ab extrinſeco, ſcilicèt, ex acceptatione divina, ſuppoſita quadam congruitate divini ſuppoſiti; qua ratione dicuntur infiniti valoris *ſecundùm quid* tantùm, non verò *ſimpliciter.*

2 In hac percelebri difficultate duplex ex diametro oppo-

poſita eſt ſententia. Prima ait, operationes Chriſti Domini in ratione valoris, & meriti eſſe ſimplicitér infinitas. Sic communitèr Thomiſtæ, & Jeſuitæ citantes pro ſe Div. Thomam 3. part. quæſt. 1. art. 2. ad 2., & quęſt. 18. art. 2. ad 3.; eſtó hi AA. non conveniant intèr ſe in aſsignando principio valorante infinité opera Chriſti Domini. Cardinalis de Lugo, media via procedens ait, meritum, & ſatisfactionem Chriſti Domini eſſe infinitam in ratione valoris, non autem in ratione meriti. Sèd de hoc ſingulari modo dicendi in probationibus concluſionis dicemus. AA. huius ſententiæ carpunt dicteriis Doctorem noſtrum, eô quod meritum Chriſti nimis extenuaverit; sèd quàm immeritò, videatur N. Maſtrius hic diſp. 3. q. 8. art. 1.

3 Secunda ſententia tenet: operationes Chriſti Domini nec in linea meriti, nec in linea valoris fuiſſe ſimplicitér infinitas in eſſe moris. Hęc ſententia eſt adeò expreſſa in N. Subt. Doct. tum in 3. diſt. 19. §. *contra hunc modum*, & quantum ad ſufficientiam. Tum in 4. diſt. 15. §. *de 2. dicitur*; ut tempus perditum putarem, ipſum impendere in hoc demonſtrando; cum mens ipſius ſatis liqueat ex ipſa inſpectione litteræ. Hæc eſt omnium Scotiſtarum, ſi excipias Vulpem, Delgadillo, & Illmum. Merin. in manuſcriptis. Ipſam probant Scotiſtæ variis rationibus, quas adducit N. Maſtrius cit. art. 2., eaſque ex parte impugnat. Vide ibi à num. 288. Nos efficaciores proponemus; ſed per prius ſit

NOSTRA CONCLUSIO.

4 Meritum Chriſti D. non redditur ſimplicitér, & abſolutè infinitum, ſed ſolum ſecundum quid ex dignitate Perſonæ merentis. Prob. 1. concluſio ratione: quando ad unum effectum, præcipuè moralem, plura principia concurrunt, unum infinitum, & alia finita, talis effectus non eſt infinitus ſimpliciter; ſed ad opus meritorium Chriſti concurrunt non ſolum dignitas infinita Verbi, ſed etiam voluntas creata Chriſti, cognitio, connatus, intenſio, objectum, & gratia habitualis, quę omnia finita ſunt: ergo & tale opus in ratione meriti. Mai. conſtat, tum ex illis maximis: *effectus ſequitur debiliorem partem: bonum ex integra cauſa, malum ex quocumque defectu.* Tum, quia quantitas meriti non oritur præciſſe ex ſola dignitate operantis, ſed etiam ex aliis anumeratis circunſtantiis, quæ cum limitata ſint,

sint, limationem causant in merito. Conseq. infertur.

5 Respondent communiter contrarij huic rationi, quod maior nostri discursus est vera, quando pars infinita non continet eminenter cęteras partes finitas: Est verò falsa talis maior,si sic contineat, uti evenit in præsenti. Quod probant hoc exemplo: in hoc complexo: *Deus homo*, quod aiunt, esse simpliciter infinitum, estò humanitas sit finita; quia Deus continet eminenter humanitatem. Hęc in summa est responsio. Sed contra 1.: etsi dignitas Personæ Verbi eminenter contineat alia comprincipia ad meritum concurrentia, non ob hoc meritum evadit simpliciter infinitum in ratione valoris, & meriti: ergo nulla est solutio. Prob. antec.: ex hoc non sequitur, quod hoc concretum *actus meritorius Christi* sit sic simpliciter infinitus: ergo etsi &c.

6 Prob. antec. 1. etsi dignitas Personæ Verbi eminenter contineat valorem, & bonitatem moralem *actus meritorij Christi* ortam ex objecto, & & circunstantijs, non recte infertur, juxta Thomistas, quod hoc concretum: *actus meritorius Christi* sit simpliciter infinitum secundum valorem, & bonitatem moralem ortam ex objecto, & alijs circunstantijs: ergo ex hoc non sequitur &c. Prob. 2. idem antec.: Sanctitas divina, etsi eminenter contineat omnem creatam sanctitatem, & sanctificet humanitatem Christi, juxta Thomistas, non ob hoc hoc concretum: *humanitas Christi sancta* evadit infinite simpliciter Sancta: ergo similiter. Idem argumentum fit de subsistentia divina.

7 Contra 2.: forma eodem modo, quo unitur subjecto, communicat illi pefectionem suam: ergo divina Persona eo modo, quo est forma dignificans opera Christi, unitur ejus operibus, & illa dignificat. Antec. constat; quia perfectio subjecti non mensuratur precisse ex perfectione formę, sed ex perfectissima unione, & communicabilitate formę cum subjecto. Nunc sic; sed divina subsistentia non unitur operationibus Christi perfectissima unione: ergo non communicat illis totam suam infinitatem. Prob. subsumpta: divina subsistentia non unitur perfectius operibus Christi, ac ejus humanitati; sed isti non unitur perfectissimè: ergo. Prob. min.: perfectissima unio est per identitatem; sed hæc repugnat subsistentiæ divinæ respectu humanitatis: ergo. Unde, sicut

hac

hac ratione dicunt Thomiſtæ, quod licet divina Perſona ſanctificet, & dignificet humanitatem, illam non reddit infinite ſanctam, & dignam; ſimiliter dicimus, quod licet dignificet opera Chriſti, illam non reddit infinite digna, & valorata.

8 Contra ultimo: ſi ex dignitate Perſonæ quodlibet opus meritorium Chriſti evaderet ſimpliciter infinitum, ſequeretur 1., quod quodlibet meritum Chriſti teneretur Deus independenter á quovis ullo pacto illud acceptare, aut remunerare; ſed ſequæla non tenet apud omnes Thomiſtas: ergo nec id, ex quo ſequitur. Mai. conſtat: hæc eſt recta illatio; hoc eſt infinitum infinite bonum: ergo hoc Deus neceſſario amat, & acceptat: ergo à pari hæc illatio tenebit: hoc opus meritorium ſecundum ſe, & independenter á pacto eſt infinite acceptabile, & habens infinitam virtutem movendi voluntatem præmiantis: ergo Deus independenter ab ullo pacto tenetur illud acceptare. Sequeretur 2., quod quodlibet opus Chriſti meritorium æque moveret divinam voluntatem, æque eſſet Deo placens, & æſtimabile in valore, & merito; ſicque nullam, intenſionem acciperet ex objecto, & circunſtantijs; nam ſemel ac ex dignitate Perſonæ habeat infinitatem valoris, & meriti ſimpliciter, non poſſet plus intendi; ſed ſequæla non tenet: ergo &c.

9 Probatur 2. concluſio: ideo Perſona Verbi dignificaret infinitè opera Chriſti D.; quia in linea morali uniretur infinite ipſis operibus; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Prob. min.: tales operationes in linea morali non participant infinitè bonitatem ab ipſa perſona Verbi: ergo. Prob. antec.: etſi operationes Chriſti vi unionis participent bonitatem moralem à Perſona Verbi, non ita participant, ut ſint bonæ moraliter per eſſentiam; nam alias non eſſent bonę moraliter per participationem: ergo non participant infinitè. Prob. conſeq.: participare aliquod bonum infinitum in linea morali infinite, eſt ipſum participare omnibus modis, quibus in ſe bonum eſt; ſed Perſona Verbi eſt eſt infinite bona in linea morali à ſe, & per Eſſentiam: ergo, ſi hunc gradum bonitatis non participant opera Chriſti á Perſona Verbi, nec infinite participant ab illa ſuam bonitatem per ſe, & per eſſentiam.

10 Confirmatur: parti-

ticipans ab infinito non infinite, ſed finitè, non eſt in tali linea ſimpliciter infinitum: claret hoc in gratia habituali, quę non eſt ſimpliciter infinita, eſtò ſit participatio formalis divinæ naturę; quia tantum finitè eſt talis; ſed opera Chriſti tantum finite participant dignitatem, & valorem moralem divinæ Perſonæ Verbi: ergo non ſunt ſimpliciter infinita in linea morali. Prob. min.: ſi opera Chriſti ſic infinite participarent, ſic participarent, ut plus *ultra* talis dignitas non eſſet participabilis in linea morali; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Prob. min.: Si Perſona Verbi uniret ſibi alteram humanitatem, hic Chriſtus participaret dignitatem à Perſona Verbi: & operationes huius humanitatis etiam in linea morali participarent dignitatem, & valorem à tali Perſona: ergo falſum eſt, quod non eſſet ultra participabilis.

11. Probatur 3. concluſio: unus actus meritorius Chriſti poteſt excedi ab alio in valore, & merito: ergo non eſt ſimpliciter infinitus talis actus adhuc ratione Perſonæ; quia de ratione infiniti, eſt, quod non poſsit excedi. Prob. antec.: actus meritorius in ratione valoris, & meriti per ſe includit, tam dignitatem operantis, quam bonitatem moralem ipſius operis; ſed iſta poteſt eſſe maior in uno actu meritorio Chriſti, quam in alio: v. g. in actu Charitatis ferventiſsimo, quam in actu temperantiæ: & in acceptatione mortis crudeliſsimæ, quam in jejunio unius diei: ergo quia unus actus meritorius Chriſti Domini poteſt excedi ab alio.

12. Reſpondent 1. Contrarij, bonitatem operis eſſe, ut quid materiale in actu meritorio Chriſti: & ſic ap ipſa ſolum extenſivè, & materialiter ſumitur valor meritorius, & ſatisfactorius actus. At vero formaliter, & intenſivè ſumitur à dignitate Perſonæ Verbi, quæ cum æqualis ſit in omnibus operibus Chriſti, hinc omnes ejus actus meritorij, & ſatisfactorij ſunt formaliter intenſive æquales, licet materialiter, & extenſivè ſint inæquales in valore, & merito.

13. Contra 1. eſtó Perſona dignificans opera Chriſti ſit infinita, non omnia æquè dignificat, ſed plus dignificat opus magis bonum, quam minus bonum: ergo nulla eſt ſolutio. Prob. antec. 1. hoc exemplo: ponat unus homo pro Rege liberaliter ſuam vitam; & alter conferat ei unum

nummum aureum : abſque dubio maiorem æſtimabilitatem habebit Rex de homine ſe exponente periculo vitæ, quam de largiente ipſi talem nummum, magiſque præmiabit : ergo cum Deus ſit prudentiſsime præmians, magis præmiabit opus magis bonum intrinſicè, quàm minus bonum : eſto ambo dignificentur à Perſona Verbi. Prob. 2. idem antec.: gratia ſanctificans in juſto, eſt forma dignificans eius opera juxta Thomiſtas, ſicut Perſona Verbi opera Chriſti ; ſed gratia ſanctificans plus dignificat opus plus bonum, quam minus bonum : ergo pariter Perſona Verbi.

14 Contra 2. Jovinianus hæreticus aſſerebat, merita tantum penſanda eſſe ex radice charitatis, & conſequenter dicebat : non magis mereri per virginitatem, quam per continentiam, nec per religionem, quam per temperantiam : unde negabat ſtatum religionis eſſe perfectiorem matrimonio ; ſed ſi tenet ſolutio data, Jovinianus poterat ſic arguere : membra debent eſſe conformia capiti ; ſed in capite Chriſto, totus valor intenſivus, & formalis deſumitur à dignitate Perſonæ Chriſti, bonitate, & excellentia intrinſeca operis, materialiter, & puré extenſive ſe habente : ergo & in Juſtis, ut pote membris Chriſti, totus valor intenſivus, & formalis operis meritorij penſandus eſt ex dignitate gratiæ, bonitate, & excellentia intrinſeca operis pure materialiter, & extenſive ſe habente. Totus diſcurſus eſt rectus, ſi ejus minor eſt vera ; ſed hic diſcurſus à nullo Fideli admittitur : ergo quia min. eſt falſa ; & conſequenter reſponſio.

15 Reſpondet 2. Cardinalis de Lugo, quod meritum Chriſti non eſt ſimpliciter infinitum in ratione meriti ; quia ſub hac ratione exceſſum admittit. Eſt tamen infinitum in ratione valoris ; quia nullus actus eſt meritorius Chriſti, qui non habeat condignitatem ad infinitum præmium ; cum nullum excogitabile ſit præmium reſpectu cuius non habeat condignitatem quilibet actus meritorius Chriſti ; unde appellandus erit ſimpliciter infinitus in ratione valoris. Verum hæc reſponſio, ut verum fatear, eſt mera lusio terminorum. Quare ſic breviter contra illam.

16 Inſurgo : ſi unus actus meritorius poteſt excedi in ratione meriti, etiam in ratione valoris : ergo non tenet reſ-

reſponsio. Prob. antec. : valor eſſentialiter dicit condignitatem ad præmium : ergo quò fuerit condignius opus, eo erit valoriosius. Prob. antec. : valor eſt moralis æſtimatio, quam habet unaquęque res in ordine ad præmium : quęque penſatur ex bonitate, quam habet ad movendam voluntatem, & complacentiam præmiantis; ſed hæc bonitas quam habet opus ad movendam voluntatem, & complacentiam præmiantis, conſtituit tale opus in ratione meriti; ita ut quo maior fuerit bonitas operis, vel minor, magis vel minus meritorium ſit opus : ergo ſi tale opus in ratione meriti poteſt excedi ab alio opere, etiam in ratione valoris, & condignitatis ad præmium; & conſequenter; quidquid affirmatur, aut negatur de merito in ratione meriti, etiam affimari, aut negari debet de illo ſub ratione valoris. Vide N. Maſtr. hic ſub num. 277.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

17 Arguitur 1. authoritate Clementis VI. in extravag. de Pœnitentia, & remiſsione, ubi loquens de Theſauro Eccleſiæ inextinguibili, ſic ait : *unam guttam ſanguinis Chriſti propter unionem ad Verbum pro redemptione totius Generis humani ſuffeciſſe : decuius conſumptione, & diminutione non eſt aliquatenus formidandum proppter infinita merita Chriſti.* Ex qua authoritate ſic argumentor; ideo una gutta ſanguinis ſuffeciſſet pro redemptione totius generis humani, & theſaurus Eccleſiæ quoad Indulgentias eſt inextinguibilis; quia merita Chriſti ſunt infinita; ſed ex hoc ſequitur, quod ſint infinita ſimpliciter, abſolute : ergo ſunt. Prob. min. 1. ; quia Pontifex abſolute, & ſine luminatione ea vocat infinita. 2., quia ſi ſolum *ſecundum quid* eſſent infinita, poſſet formidari diminutio, imo, & neceſſaria foret; quia ſi à finito detur aliquid, neceſſaria eſt diminutio. Hoc eſt præcipuum fundamentum contrariorum ab authoritate. Ut ejus ſolutio percipiatur.

18 Notate, quod valde diverſum eſt, meritum, & ſatisfactionem Chriſti eſſe ſimpliciter infinitam in ratione meriti, & valoris; & eſſe inexhauribile. Primum enim eſt, meritum, & ſatisfactionem eſſe infinite acceptabilem, habereque virtutem infinitam movend

divinam voluntatem ad conferendum præmium, eſſeque dignificatam à forma infinita infinito modo; ita ut non habeat aliquam ſui cauſam ſimpliciter finitam, quę omnia non conveniunt merito Chriſti, ut ſatis conſtat ex probationibus, maxime prima. At meritum, & ſatisfactionem eſſe inexhauribilem, eſt, eſſe in genere meriti, & ſatisfactionis ita ſumma, ut nullum poſsibile ſit meritum, nec ſatisfactio creata ipſum ęquans in valore: & aliunde, quod nullum ſit poſsibile præmium conferendum æquans, vel excedens condignitatem meriti, & ſatisfactionis Chriſti; quod optime componitur, quin ſit ſimpliciter infinitum.

19 Et certe hæc doctrina debet eſſe grata Thomiſtis, & Jeſuit.; nam Div. Thom. 3. part. quæſt. 7. art. 11. docet, unionem hypoſtaticam eſſe quid creatum, & finitum; & ex alia parte componit, quod in ratione doni, & Sanctitatis eſt in excedibilis. Et art. eod. appellat gratiam habitualem Chriſti Domini infinitam abſolutè; & tamen à nullo Thomiſta dicitur, quod eſt ſimpliciter infinita. Jeſuitæ defendunt, peccatum lęthale non eſſe ſimpliciter infinitum in ratione offenſæ; & aliàs in eorum ſententia, nulla ſatisfactione finita æquari poteſt; quia juxta illos repugnat ſatisfactio de condigno exhibita à pura Creatura pro offenſa peccati lætalis: ergo quia, juxta ipſos, indignitas, & gravitas peccati læthalis, quamvis non ſit ſimpliciter infinita, eſt tamen inexhauribilis per omnes poſsibiles ſatisfactiones purę Creaturæ: ergo aliud eſt, aliquid eſſe ſimpliciter infinitum, & aliud eſſe inexhauribile. His notatis.

20 Reſpondeo ad argumentum, conceſſa mai, negando minorem, vel eam diſtinguo; quia ſunt, *ſimpliciter*, & *abſolute* infinita, nego minorem; quia ſunt infinita, *negative*, & *infinitate ordinis*, conc. min. Ad 1. probationem ipſius, dico, quod ſicut Div. Thomas vocat gratiam Chriſti infinitam abſolute; & Div. Anſelm. lib. 2. *cur Deus homo*, cap. 14. appellat peccatum lęthale abſolute infinitum, abſque eo, quod tam gratia, quàm peccatum ſint ſimpliciter infinita; ſic Summ. Pontifex vocat merita Chriſti abſolute infinita abſque eo, quod abſolute, & ſimpliciter infinita ſint, ſed ſolum finita, vel infinita infinitate ordinis, & negativa.

A

21 A 2. probationem, nego mai.; quia meritum Chriſti etsi ſit ſimpliciter finitum, eſt infinitum infinitate ordinis, ad quod non poſſunt pervenire omnia peccata poſsibilia; & sic nequit exhauriri theſaurus Eclesiæ multitudine peccatorum; cum talia merita habeant maiorem infinitate extrinſece ex circunſtantia Perſonæ operantis, quam peccatum ex circunſtantia Perſonę offenſę, ut quàm optimè explicatur à Noſtratibus agendo de infinitate peccati.

22 Arguitur 2. & eſt replica: meritum, & ſatisfactio Chriſti Domini eſt ſufficiens, imó & ab intrinſeco ſuperabundans pro peccatis ſyncathegorematicè infinitis: ergó eſt ſimpliciter infinita. Antec. eſt certum, & deducitur ex authoritate Summ. Pontificis cit. Prob. conſeq.: peccata ſyncathegorematicé infinita pro eorum ſatisfactione egent vi morali ſimplicitér infinita in valore ad hoc, ut adæquatè, & ſuperabundanter ſatisfiant: ergò ſi miritum, & ſatisfactio eſt ſufficiens, imò, & ſuperabundans pro peccatis ſyncathegorematicé infinitis, debet eſſe ſimpliciter infinita in ratione valoris. Reſpondeo conceſſo antec., neg. conſeq.; ad cuius probationem nego antecedens; quià ut meritum, aut ſatisfactio Chriſti ſit ſufficiens, & ſuperabundans pro peccatis infinitis in infinitum, ſufficit, quòd ſit infinita ſecundùm *quid*, aut *negativè*, & *infinitate ordinis*: ut patet in exceſſu peccati læthalis reſpectu infinitorum venialium: vel ſufficit, quod meritum, vel ſatisfactio ſit in altiori ordine ad gravitatem peccati, uti evenit in meritis Chriſti comparativé ad peccata; & hac eadem ratione valor meriti eſt etiam inextinguibilis.

23 Arguitur 3.: meritum, quod poteſt movere ad præmium ſimpliciter infinitum, eſt ſimpliciter infinitum in ratione meriti, & valoris; ſed tale eſt meritum Chriſti: ergo &c. Prob. min. 1.: meritum Chriſti movere poteſt ad decernendam unionem hypoſtaticam Spiritus Sancti: ac etiam ad exequendam Verbi Divini Incarnationem, quæ à pluribus judicatur infiniti valoris: ergò &c. Prob. 2. eadem min.: meritum movens ad omne id, quod potentia infinita dare poteſt, eſt ſimplicitér infinitum in ratione valoris, & meriti; ſed tale eſt meritum Chriſti; quià ſi Deus poteſt dare donum infinitum cathegotematicé, meritum Chriſti habet valorem, & condignitatem, ut in præmium ſui detur: ergò, &c.

Reſ-

24 Reſpondeo negando min.; quia meritum ſimpliciter infinitum in valore, & merito requirit æquale præmium, hoc eſt, actu infinitum, quod tamèn eſt impoſsibile; undé Chriſtus plus poſſet mereri, quam Deus præmiare, quod eſt abſurdum. Quare Chriſtus ſucceſsive potuiſſet mereri maius, & majus præmium in infinitum, ſic & Deus poſſet ipſum præmiare; non tamen dare præmium creatum ſimpliciter infinitum; quia repugnat. Hinc ad primam probationem minoris, conceſſa mai., nego min.; quia unio hypoſtatica Spiritus Sancti eſſet finita; quia per ipſam finito modo Deus communicaretur naturæ aſſumptæ, ſicut modo. Ad illud de executione dicemus quæſt. 4. hujus. Ad ſecundam probationem, nego mai.; quia eſto Deus poſſet conferre maius, & maius præmium in infinitum meritis Chriſti; non tamen actu infinitum, cum non ſit poſsibile.

25 Arguitur 4.: meritum, & ſatisfactio Chriſti creſcit in valore ex dignitate Perſonæ merentis, pluſquam peccatum ex perſonæ offenſæ; ſed hoc ipſo eſt ſimpliciter infinitum: ergo eſt. Prob. min.: quia peccatum creſcit ex perſona offenſa, eſt ſecundum quid infinitum: ergò cum meritum Chriſti plus creſcat ex dignitate perſonæ merentis, erit ſimpliciter infinitum. Reſpondeo diſtinguendo mai.: meritum Chriſti Domini creſcit &c. plus quam peccatum, intrà lineam augmenti geometrici, & proportionalis, concedo mai.: in linea augmenti arithmetici, & ad æqualitatem, nego mai. & min.; ad probationem conceſſo antec. nego conſeq. in ſenſu diſtinctionis. Itaque meritum, & ſatisfactio Chriſti ex dignitate perſonæ merentis plus creſcit geometricè, quam gravitas offenſæ ex dignitate perſonæ offenſę; ſed hoc non probat, quod tale meritum, & ſatisfactionem exrrahat a linea finiti ſimplicitér, ſed ſolum ipſum conſtituit infinitum negative, aut in ſuperiori ordine.

26 Replicabis: per nos, meritum Chriſti creſcit ſaltem geometricé ex dignitate perſonæ merentis: ergó eſt ſimpliciter infinitum. Prob. conſeq.: ſemel, quod ſic creſcat, ſequitur, quod creſcit infinité ex dignitate infinita perſonæ: ergó evadit ſimplicitèr infinitum. Prob. ſequęla: meritum creſcere in valore morali, *ut unum*, ex dignitate perſonę, *ut centum*, eſt creſcere geometricè ex dignitate perſonę: ergó

mę

meritum creſcere ex dignitate perſonæ infinitę geometricé eſt creſcere infinitè. Prob. hæc conſeq. : meritum creſcere geometricè in valore morali, *ut unum*, ex perſona digna, *ut centum*, eſt creſcére *ut duo*, ex perſona digna ut bis *centum* : & ſic calculando uſque in infinitum. Nunc ſic ; ſed in perſona Chriſti, ut pote infinita, ſunt infiniti centenarii graduum dignitatis : ergo ex infinita dignitate perſonæ Chriſti creſcit eius meritum infinitè, etſi ſolum geometricè creſcat.

27 Reſpondeo, diſtinguendo antec. : meritum Chriſti creſcit geometricè, *late*, & *indeterminatè* ex dignitate perſonæ merentis, conc. antec. : geometricè *rigoroſe*, & *determinatè*, nego antec. & conſeq. Duplex ergo eſt proportio geometrica ; una riguroſa, & determinata, qua continens excedit contentum in aliquo finito, & determinato gradu ; ita quod exceſſus pluries replicatus poſsit ęquare ſuum excedens ; & in hoc ſenſu ait N. Doct. in 4. diſt. 49. q. 11., quod finiti ad infinitum nulla eſt proportio, nec arithmetica, nec reguroſe geometrica ; quia finitum, quantumcumque replicetur, non poteſt æquare infinitum. Alia eſt proportio geometrica late & indeterminaté ſumpta. & eſt, quæ prudenti judicio taxari poteſt in genere moris ; ſed ita, quod exceſſum, etſi replicetur, non ęquet ſuum excedens, licet per comparationem ad ipſum ſit exceſſum in ſuperiori ordine ad quodcumque ſui generis. Hoc modo actus creſcit proportionaliter à perfectione ſui objecti, quin ſequatur infinitas ſimpliciter in actu ex infinitate objecti, ſed ſolum ſuperioritas ordinis. Sic pariformiter meritum Chriſti ex dignitate perſonæ merentis creſcit geometricè lato, & indeterminato modo, quin ex hoc ſequatur, quod evadat ſimpliciter infinitum. Hac diſtinctione ruit tota illa calculatio argumenti.

28 Arguitur 5. : forma dignificans opera Chriſti eſt infinita, & intrinſecé conſtituit hoc concretum : *opus Chriſti meritorium, & valoroſum* : ergo hoc concretum eſt infinitè bonum in valore morali, & conſequenter &c. Prob. conſeq. : perfectio conſtituti regulatur per perfectionem rationis formalis conſtituentis ; ſed prædictum concretum conſtituitur in valore morali per dignitatem perſonalitatis Verbi, quæ eſt forma ſimplicitèr in-

fi-

finita : ergo tale concretum eſt infinitè bonum in valore morali. Hoc argumentum patitur inſtantiam in ſanctitate Divina, quę iuxta plures adverſarios, ſanctificat humanitatem Chriſti Domini; nam tunc caſus, hoc concretum : *Chriſtus, ut homo, ſanctus* eſſet infinite ſanctus, quod non concedunt. Similitèr hoc concretum : *offenſa Dei* dicit entitatem finitam peccati, & divinam Majeſtatem, gravificans per modum formæ offenſam creatutæ : ergò tale concretum in ratione offenſæ eſſet ſimplicitér infinitum, quod non concedunt Juſuitæ.

29 Reſpondeo diſtinguendo antec. quoad 2. part.: forma dignificans opera Chriſti eſt infinita, & intrinſecè conſtituit hoc concretum: *opus Chriſti meritorium*, ſe ſola, nego antec.: cum aliis comprincipiis ſrnitis ingredientibus in conſtitutione talis coucreti, conc. antec., & nego conſeq.; eadem que diſtinctione diſtinguo min. probationis. Itaque ad opera meritoria Chriſti concurrit non ſolum dignitas perſonæ Verbi, ſed etiam Chriſti D. voluntas humana, ut principium *quo*, & humanitas ut *quod* in noſtris principiis : concurrit etiam gratia habitualis per modum formæ dignificantis ſimul cum perſonalitate Verbi; denique concurrit bonitas moralis actus. quæ, ex dictis in probationibus concluſionis, ſe habet de formali ad valorem actus meritorii. Cum ergô omnia hæc entitativè finita ſint, ideo, quamvis dignitas perſonæ ſimplicitèr infinita ſit, limitatur meritum, ne evadat ſimpliciter infinitum.

30 Arguitur ultimo : licet humanitas ſecundum ſe non ſit adorabilis adoratione Latriæ, quę ſoli Deo debetur, tamen ut unita perſonæ Verbi eſt ſic adorabilis : ergo licet opus meritorium Chriſti ratione aliorum comprincipiorum non ſit infinitè dignum, tamen ratione perſonalitatis dignificantis erit tale. Prob. conſeq. ſicut divina excellentia conſtituit Deum adorabilem ſupręmo cultu Latriæ, ita ipſum Deum conſtituit dignum infinita ęſtimatione; ſed divina excellentia unita humanitati conſtituit ipſam adorabilem cultu Latrię : ergo unita operibus Chriſti conſtituit ipſa infinitè æſtimabilia, & infinita ſimplicitér.

31 Reſpondeo negando conſeq., & paritatem, nam hoc prædicatum *adorabile*, primario terminatur ad totum ſuppoſitum; hoc enim eſt, cui aſſurgo, & genuflector : honor enim eſt affectus in ordine ad cultum exteriorem, qui, ut no-

tum eſt, non præciſivus, ſed ad totum ſuppoſitum terminatur. Prædicatum verò *merens* propriè, & formalitèr appellat ſupra principium *quod* elicitivum operantis, quod non eſt ſuppoſitum, ſed humanitas ſingularis, ſuppoſitum enim, ût per ſæpè diximus, ad ſummum eſt principium *quod* pure denominativum. Quare humanitas Chriſti erat, quæ verè, & propriê merebatur; Verbum autem ſolum per communicationem idiomatum. Ex quo ſequitur, cum humanitas non habeat totam dignitatem ſuppoſiti, ſed illam ſolùm finitè participet, ejus opera non ſunt infinite digna, & æſtimabilia. Totum dictum in hac quæſt. de merito Chriſti, ejuſque valore, intelligendum eſt etiam pariformitèr de eius ſatisfactione, de qua diſp. ſequenti.

QUÆST. II.

An Chriſtus Dominus meruerit per actum charitatis?

1 CErtiſsimum eſt apud Theologos, Chriſtum D. ab inſtanti ſuæ Conceptionis, & per totum mortalis vitę decurſum meruiſſe. Prima pars ſic oſtenditur à Doct. in 3. diſt. 18. §. *Eſt igitur videndum.* Quia omne habens actum primum perfectum, & objectum præſens in ratione objecti, ſi non impeditur; etſi non ſit actus ejus. 2., ſucceſsivus, ſed permanens, poteſt agere pro quocumque inſtanti, ſi omnia iſta concurrant; ſed hæc omnia fuerunt in Chriſto in 1. inſtanti conceptionis, ſcilicèt, pòtentia perfecta, gratia, objectum præſens per intellectum, hoc eſt, tota Trinitas, cui poterat velle bonum propter ſe: ergo nil deerat Chriſto D. in illo inſtanti ad merendum: ergò de facto meruit; quia quod cedit in majorem gloriam Chriſti, hoc eſt ei concedendum de facto.

2 Secunda pars ſuppoſitionis etiam conſtat; quia cum nulla pronitas, ſeu imbecillitas virium inferiorum impedierit in humanitate Chriſti Domini vires ſuperiores; & aliàs habuerit actum 1. perfectum cum omnibus requiſitis ad meritum pro toto tempore vitæ ſuæ; dicendum eſt, quod tota tempore vitę ſuæ meruit. Quinimo, juxta noſtrum Doct., habuit amorem perfectiſsimum erga Deum cum omnibus conditionibus ad ipſum requiſitis, hoc eſt, fuit ex *tota anima, ex toto corde, ex totis viribus, & ex tota mente*; quia ſeclusis omnibus impedimentis elicuit

amorem Dei ſuper omnia ſecundum totam intenſionem ſubſtantialem charitatis. Unde in præſenti ſolum difficultas eſt, an Chriſtus Dominus per hunc actum delectionis Dei ſuper omnia formaliter meruerit? Ratio dubitaddi eſt; quia cum libertas ad meritum neceſſario requiratur; & prædicta dilectio in Chriſto non fuerit libera, ſed neceſſaria, hinc eſt, quod talis dilectio videtur, quod non potuit eſſe libera. Nos ab hac difficultate breviter expediemur ex dictis tract. antec. quæſt. 4. ſect. 5. diſputationis 5. Quare ſit.

PRIMA CONCLUSIO.

3 Chriſtus Dominus meruit per actum charitatis erga Deum. Conclusio, ut jacet, eſt contra Vazquez, & alios plures. Eſt tamen Doct. in 3. diſt. 18. quæſt. unic. Prob. 1. conclusio: objectum 1.; circa quod aliquis primo meretur, eſt Deus ipſe, ſecundum quod affectione juſtitiæ vult Deo bonum, ſcilicet, eſſe juſtum, ſapientem &c.; ſed iſte actus eſt actus charitatis: ergo tali actu Chriſtus Dominus meruit. Min. cum conſeq. tenet. Maior eſt certa; quia meritum eſt ordinatus motus circa Deum volendo ipſi bonum; quapropter meritum dicitur reperiri in portione ſuperiori, & radicem omnis meriti eſſe in voluntate ſecundum affectionem juſtitiæ, non ſecundum affectionem commodi. Videatur, Scotus citatus. 1.

4 Probatur 2. concluſio: actus aliarum virtutum à charitate ſunt formaliter meritorij in Chriſto Domino, ſicut & in cæteris Juſtis, ex imperio charitatis, vel actuali, vel virtuali, vel habituali ſecundum diverſitatem ſententiarum inter Theologos; ſed hoc ipſo actus charitatis in Chriſto Domino erga Deum fuerunt formaliter meritorij: ergo fuerunt. Prob. min.: implicat, quod actus imperati ſint formaliter meritorij, quin actus potentiæ imperantis ſint formaliter meritorij; ſicut non eſſent abſolute meritorij, ſi potentia imperans non eſſet meritoria: ergo &c. Confirmatur 1.: actus, qui ex motivo charitatis procedunt, ſunt magis meritorij formaliter, quam qui procedunt ex alio motivo à charitate, ut omnes concedunt: ergo actus charitatis Chriſti Domini ex cuius formali motivo procedunt actus aliarum virtutum, fuit formaliter meritorius.

5 Con-

5 Confirmatur 2., & inſimul probatur hæc conſequentia: charitas eſt omnium virtutum maxima, ideoque ejus opus eſt, & dicitur inter omnes virtutes perfectiſsimum; ſed opera omnium virtutum fuerunt in Chriſto Domino formaliter meritoria: ergo & actus charitatis erga Deum. Probatur conſeq.: Chriſto Domino non eſt negandum, quod excellentius eſt, & alias nulla eſt repugnantia, ut ei concedatur; ſed excellentius eſt, mereri formaliter actu excellentiſsimo charitatis, & in hoc nulla eſt repugnantia: ergo. Min. quod 1. part. ex majore primi Syllogiſmi conſtat. Quoad 2. probatur: ſi aliqua eſſe ratio repugnantiæ maxime propoſita in ratione dubitandi; ſed hæc nulla eſt, ut poſtea videbimus, eam ſolvendo: ergo &c.

SECUNDA CONCLUSIO.

6 Chriſtus Dominus meruit per actum charitatis erga Deum regulatum viſione beata, non ſolum prout hic reſpicit bona extrinſeca Dei, ſed etiam intrinſeca. Concluſio continet duas partes, & quoad ambas eſt probanda. Probatur 1. prima, evertendo fundamentum Thomiſtarum: ideo juxta Thomiſtas amor Chriſti erga Deum regulatus viſione beata non fuit meritorius, quia non fuit liber, ſed omnino neceſſarius; ſed hæc ratio nulla eſt: ergo &c. Prob. min.: ideo non fuit liber, ſed omnino neceſſarius, quia voluntas habitu charitatis elevata per viſionem claram Dei erga finem ſupernaturalem clare viſum, operatur neceſſario ipſum amando ſecundum formalitatem *naturæ*, non vero ſecundum formalitatem *liberæ*; ſed hæc diſtinctio Thomiſtica harum formalitatum in voluntate, *naturæ*, & *liberæ*, repugnat voluntati: ergo, &c.

7 Probatur min. ex Subt. Doct. in 4. diſt. 49. quæſt. 6. §. *Contra hoc*: non eſt concedenda voluntati, ut propria ejus formalitas illa, quæ eſt contra naturam ipſius; ſed voluntatem ex ſe habere formalitatem *naturæ*, qua neceſſario operetur erga ſuum objectum, eſt quod voluntas determinetur ad ſuum actum, erga proprium objectum ab actu alterius potentiæ ipſi voluntati ſubditæ: quod repugnat naturæ ipſius voluntatis: ergo formalitas *naturæ* repugnat voluntati. Min. conſtat; quia juxta Thomiſtas, à viſione beata, quæ eſt actus intellectus

ne

neceſsitatur voluntas ad amandum Deum ſecundum formalitatem *naturæ*. Explicatur hæc ratio: objectum beatificum propoſitum per viſionem ſolum movet voluntatem tamquam finis, de cuius ratione ſecundum omnes Theologos ſolum eſt, movere *allective*, non vero *affective*; ſed ſi viſio neceſsitat voluntatem ad ponendum amorem per modum naturæ, jam ab actu intellectu, qui eſt potentia ſubdita voluntati, determinaretur effective à cauſa inferiori, quod eſt contra naturam voluntatis: ergo &c.

8 Confirmatur: principium activum dividitur tamquam per differentias ſpecificè diverſas in *liberum*, *& naturale*; hæc enim ratione intellectus, & voluntas in ratione principij operativi ſunt potentiæ ſpecificè diverſæ: ergo ſicut formalitas potentię liberę repugnat naturæ intellectus in ratione principij operativi, ita formalitas naturæ repugnat voluntati in ratione potentiæ operativæ. Nunc ſic: conceptus potentię naturalis in intellectu, eſt, eſſe ex ſe determinatum ad unum, & ſolum indifferens paſsivè, ut ab aliquo creato poſsit determinari: ergo cum id, quod eſſentialiter convenit intellectui ratione principij operativi, ut ſpecifice diverſi à voluntate, nequeat voluntati convenire, aut ſit contra naturam voluntatis in ratione operativæ, ſequitur, quod ſit contra naturam illius habêre formalitatem, qua ſit de ſe determinata ad unum exercitium, & indifferens paſsivè, ut poſsit ab aliquo creato effective determinari.

9 Probatur 2. pars concluſionis, ſcilicet, quod Chriſtus Dominus meruit per talem actum charitatis prout reſpicit intrinſecas perfectiones Dei: Chriſtus Dominus meruit per actum charitatis erga Deum regulatum viſione beata, ut ex dictis conſtat: ergo & meruit per actum excellentiſsimum, & perfectiſsimum charitatis erga Deum regulatum viſione beata prout etiam reſpicit intrinſecas Dei perfectiones. Hæ conſeq. conſtat; quia meritum Chriſti per actum cuiuſcumque generis debet eſſe in illo gradu excellentiſsimo, & perfectiſsimo, ſi nulla eſt ratio hoc impediens; ſed ratio, quæ hoc impediret, eſſet neceſsitas talis actus, & hæc ratio non ſubſiſtit; quia voluntas vi viſionis beatificæ non eſt phyſicè neceſsitata ad fruitionē: ergò &c. Confirmatur: ſi actus amo

amoris beatifici Chriſti D. terminatus ad Deum ſecundum ſua prædicata intrinſeca non eſt liber libertate requiſita ad meritum in Chriſto Domino, nec erit ſic liber prout terminatur ad bona extrinſeca Dei; ſed hæc non concedunt contrarii: ergo nec illud, ex quo ſequitur. M. j. conſtat; quia entitas amoris, quo beatus amat Deum, ut eſt ratio diligendi creaturas, eſt eadem entitas amoris, quo amat Deum, ut eſt ratio diligendi ſe, ſecundum ſua bona intrinſeca.

10 Probatur 2. hęc eadem 2. pars: ſi actus charitatis voluntatis Chriſti, ut terminatus ad Deum ſecundum ſua bona intrinſeca non eſt formaliter meritorius, actus charitatis Chriſti non eſſet rigoroſé, & perfecte talis; ſed hoc inconvenit: ergo. Probatur mai.: objectum formale charitatis rigoroſe, & perfecte talis, eſt divina bonitas, non prout nobis bona, & commoda, ſed prout bona ipſimet Deo: ergo ſi actus charitatis voluntatis Chriſti Domini prout terminatus, &c. Prob. antec. ex doctrina Thomiſtarum; quia, ut ipſi dicunt, alias ſequeretur 1., quod charitas non eſſet amor amicitiæ, ſed concupiſcentiæ. Sequeretur 2., quod charitas perfectiſsima non ſpecificaretur ab aliis actibus charitatis, qui ex illa ſequuntur, ut ſunt velle Deo bona tam intrinſeca, quam extrinſeca, amare creaturas propter Deum, & per reſpectum ad Deum diligendum propter ſe, & ut eſt in ſe; quod quidem falſiſsimum eſt: ergo quia objectum formale charitatis rigoroſe, & perfecte talis, &c.

11 Argumenta contra iſtas duas concluſiones propoſita, & ſoluta ſunt tract. antec. diſp. 5. agendo de impeccabilitate Chriſti Domini tum quæſt. 3. ſect. 2., tum quæſt. 4. ſect. ult.. Videte ibi. Hic ergo ſolum proponam rationem dubitandi, quam tetigi ſub num. 2. quęque ſic breviter proponitur: opus meritorium debet eſſe liberum; ſed actus charitatis erga Deum tam ſecundum intrinſeca prædicata, quam ſecundum extrinſeca non fuit liber, maxime regulatus per ſcientiam beatam: ergo nec fuit formaliter meritorius. Prob. min.: talis actus ſupponebat in Chriſto Domino claram, & intuitivam Dei viſionem; ſed Deus clare viſus neceſsitat ad ſui dilectionem, & charitatem: ergo Chriſtus Dominus per talem actum non diligebat libere Deum; conſequenterque nec merebatur. Hæc ratio, quæ adeo urget contrarios, de facili ſolvitur ex dictis in locis cit.

12 Reſpondeo ergo 1., negando min. & min. probationis; quia ex dictis quæſt. 3. cit. ſect. 2., Chriſtus non reddebatur proxime impeccabilis ex vi viſionis præciſſe ſumptæ, ſed ex manutenentia Dei extrinſeca. Unde etſi eius dilectio erga Deum eſſet regulata ſcientia beata, manebat adhuc libera libertate ſufficienti ad meritum. Reſpondeo 2. ex dict. ſect. 5. quæſt. 4. diſtinguendo mai.: opus meritorium in Chriſto Domino debet eſſe liberum libertate remota, & intrinſeca indifferentia ad agendum, & non agendum, conc. mai.: libertate proxima, & accidentali ad operandum, & non operandum, qualis requiritur in puro Viatore, neg. mai.; inverſis terminis diſtinguo min., & nego conſeq.. Ad probationem conceſſa mai., nego min. in ſenſu diſtinctionis. Vide ibi.

TERTIA, ET ULTIMA concluſio.

13 Chriſtus Dominus meruit per actum dilectionis Dei regulatum per ſcientiam infuſam. Hæc concluſ. eſt Doct. cit. contra aliquos Thomiſt. Prob.: Chriſtus Dominus per ſcientiam ſupernaturalem infuſam cognovit Deum quidditativè, & abſtractivè: ergo & potuit ipſum ſic cognitum libere amare propter ſe ipſum; & conſequenter mereri. Antec. conſtat ex dictis tract. 2. diſt. 1. q. 2. ſect. 2.. Conſeq. ſequitur; quia illa cognitio, ut pote abſtractiva non erat beatifica; unde nec auferebat libertatem. Confirmatur: juxta Thomiſtas, ex actu ſupernaturali fidei, viſionis beatæ, & aliorum, quos Chriſtus Dominus habuit per ſcientiam infuſam, cognovit Deum, ut Auctorem ſupernaturalem; ſed ad hanc cognitionem potuit ſequi amor Dei in ſe libere elicitus: ergo potuit Chriſtus mereri per hanc dilectionem regulatam ſcientiæ infuſæ.

14 Dices pro Thomiſtis: duo accidentia ſolo numero diſtincta nequeunt eſſe ſimul in eodem numero ſubiecto; ſed ſi noſtra concluſio teneret, ſequeretur hoc: ergo. Maiorem probant; quia accidens individuatur per ſubiectum. Minorem ſic oſtendunt: dilectio Dei, ut eſt in ſe regulata ſcientia beata; & dilectio Dei, ut eſt in ſe regulata ſcientia infua eſt idemmet accidens; ſed ſi Deus poſſet mereri per dilectionem regulatam ſcientia infuſa; & per dilectionem regulatam ſcientia beata, hæc duo accidentia ſolo numero diſtincta eſſent ſimul in voluntate Chriſti Domini: ergo &c. Hæc replica, quæ eſt fundamentum Thomiſtarum claudicat in utraque præmiſſa. Quare

Reſ-

15 Reſpondeo 1. negando abſolute mai., quia in communi Philoſophorum ſententia duo accidentia ſolo numero diſtincta poſſunt eſſe ſimul in eodem numero ſubiecto, nedum de potentia abſoluta, ſed etiam de potentia ordinaria, maxime dum non ſunt omnino ſimilia in munere, officio, & habitudine, ut ſunt duæ ſpecies viſibiles diverſorum individuorum, & duæ relationes Paternitatis. Deinde probatio imbibita Thomiſtarum eſt æque falſa; quia accidens non individuatur per ſubiectum, ſed per ſuam propriam hęceitatem, ut communiter docetur in Methaphyſ. agendo de principio individuationis; quare ſtante unitate ſubiecti, quam optime ſtare poteſt diſtinctio numerica accidentium.

16 Reſpondeo 2., omiſſa mai. falſa, negando min.: quia amor regulatus ſcientia beata, & ſcientia infuſa, non ſolùm numero, verum etiam ſpecie diſtinguuntur. Ratio eſt; quia licet prædicti amores idem habeant objectum formale, ſcilicet, divinam bonitatem in ſe, tamen petunt prævias conditiones ſpecificè diſtinctas, uti ſunt ſcientia beata, & ſcientia infuſa, quæ prævię conditiones ſpecifice diſtinctæ inferunt ſpecificam diverſitatem in actibus voluntatis. Quaratione N. Doct. in 4. diſt. 49. q. 5. docet, quod amor viæ, & patriæ ſpecie differunt; quia petunt prævias conditiones ſpecifice diverſas, ut ſunt cognitio fidei, & cognitio beata.

QUÆST. III.

An Chriſtus Dominus de facto ſibi meruerit gloriam corporis, & animæ?

1 QUOAD gloriam corporis, hoc eſt, nominis exaltationem, animæ impaſſibilitatem, ac alias dotes beatitudinis, parva aut nulla eſt difficultas, niſi ad ſummum de nomine inter Theologos. Hæc enim omnia cadere poſſunt ſub merito. Quare nulla eſt ratio, ut hoc negetur Chriſto Domino. Deinde, Paulus ad Philipenſ. 2. ait: *humuliavit ſe ipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod, & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Ubi ly *propter* deſignat cauſam meritoriam. Unde, ſi quæ difficultas eſt, eſt: an hęc meruerit per ſe, & directe: an vero ſolum indirecte, & quoad amotionem impedimenti, ſeu ceſſationem miraculi impedientis?

Hoc

2 Hoc ſecundum videtur docere N. Doct. in 3. Diſt. 18. quęſt. unica. Ratio ipſius eſt; quia id, quod ex ratione ſui ante omnem actum, & operationem inesſet alicui Perſonæ, niſi per miraculum impediretur, non videtur cadere immediate, & directe ſub merito illius Perſonæ; ſed gloria, & impaſsibilitas corporis, & animæ infuiſſent Chriſto Domino in primo Incarnationis inſtanti, exiſtente anima ſua beata, niſi per miraculum fuiſſent impedita, per quamdam emanationem, ac ſimplicem reſultantiam: ergo iſta per nullum actum meruit Chriſtus Dominus immediate, & directe. Hoc videtur docere Auguſtinus Epiſt. 56. ad Dioſcorum dicens: *tam potenti natura Deus fecit animam* (Chriſti) *ut ex ejus pleniſsima beatitudine, quę in fine temporis Sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod eſt corpus.* Res, ut dixi, eſt parvi momenti.

3 Maior ergo difficultas in præſenti eſt, de gloria animæ, gratia habituali, & aliis habitibus ſupernaturalibus. Circa quam duæ ſunt extremę ſententiæ, & una media. Prima extrema abſolute negat, Chriſtum Dominum hæc omnia meruiſſe, imo nec mereri potuiſſe. Sic quam plures Thomiſtæ, quibus adhæret N. Faber diſp. 39. cap. 6.. Secunda ſententia extrema tenet, Chriſtum Dominum tam de potentia Dei abſoluta, quam de facto hæc omnia meruiſſe, gloriam animæ, gratiam habitualem, & alia dona ſupernaturalia. Sic plurimi ex Antiquioribus, ut Albertus Magnus, Mairon, & alii apud Bazquez. Tertia ſententia media aſſerit, quod de facto non meruit hæc omnia, potuit tamen de potentia abſoluta. Sic communiter Scotiſtę, & Jeſuitæ; cum quibus ſit

PRIMA CONCLUSIO.

4 Chriſtus Dominus non meruit de facto gratiam habitualem, nec dona ipſam conſequentia; potuit tamen de potentia Dei abſoluta ea mereri. Prob. 1. pars: omnis operatio meritoria Chriſti Domini ex virtute charitatis, aliiſque virtutibus infuſis proceſsit; ſed iſtæ virtutes ex natura ordinis gratiæ præſupponunt in ſubiecto gratiam habitualem: ergo Chriſti Domini prima operatio meritoria præſupponit de facto gratiam habitualem, & dona ipſam conſequentia: ergo non potuit de facto eſſe meritoria, nec gratiæ, nec donorum gratiam conſequentium. Conſequentiæ inferuntur. Minor eſt communis

Theo-

Theologorum conſenſus ; quia gratia præſupponitur ad infuſionem Virtutum, tamquam prima radix earum. Maior eſt certa; quia tam in Chriſto Domino, quam in cæteris Juſtis gratia habitualis de potentia ordinaria eſt radix, & principium meriti.

5 Confirmatur gratia habitualis immediatiorem habitudinem habuit ad animam Chriſti, quam quævis operatio tam intellectus, quam voluntatis eius: ergo prius ordine naturæ fuit ei infuſa gratia, quam anima eius prorrumperet in aliquam operationem. Nunc ſic ; ſed omne meritum in operatione conſiſtit: ergo nullum meritum præceſſit in anima Chriſti gratiæ infuſioni; & conſequenter illam non meruit; cum meritum ſaltem prioritate naturę debeat antecedere præmium. Primum antecedens conſtat ; quia gratia, & cæteri habitus ad operationem ordinantur; cum habeant rationem principii conſtituentis potentias in actu primo operativo: ergo prius natura omnia hæc concedenda erant animæ Chriſti, quam in operationem exiret ; cum principium ſit prius actione ab eo orta.

6 Probatur 2. pars concluſionis: potuit Chriſtus Dominus de potentia abſoluta pro aliqua prioritate naturæ ad infuſionem gratiæ habitualis elicere actum amoris Dei ex actuali Dei gratia: & ſimiliter potentia abſoluta potuit pro tali prioritate eſſe ſufficienter ſanctificatus, & Deo acceptus: ergo potuit per talem actum dilectionis mereri gratiam habitualem. Mai. quoad primam partem patet ; quia abſolute potuit Chriſtus creari cum ſola unione hypoſtatica, & carere in primo inſtanti ſuæ conceptionis gratia habitualis ; quia hæc non eſt intrinſece connexa cum unione hypoſtatica. Quoad 2. etiam conſtat ; quia pro illo priori potuit (abſolute loquendo) unio hypoſtatica eſſe forma ſanctificans ; cum gratia habitualis in noſtris principiis non ſit talis ex natura rei.

7 Dices 1. contra 2. part. concluſionis: ſi Chriſtus Dominus potuit de potentia abſoluta mereri gratiam habitualem, & alia dona ſuperna, de facto eam meruit ; ſed hoc eſt contra nos: ergo &c. Prob. mai.: quod eſt poſsibile, & cedit in gloriam Chriſti ipſi de facto eſt concedendum : ergo ſi Chriſtus potuit &c. Reſpondeo, negando mai., & diſtinguo ant.: quod eſt poſsibile, & cedit in gloriam Chriſti, *& alias non intervenit inverſio ordinis rerum*, ipſi eſt concedendum, conc. antec. : *ſi intervenit inverſio*, nego antec. & conſeq.. Deus ergo de facto

ſervat ordinem, quem res exigunt, qui ordo exigit, ut potentiæ prius conſtituantur in actu 1., quam operentur; cum actus 1. debeat præcedere 2.. Unde cum gratia habitualis tam in Chriſto; quam in nobis, ſit de facto principium meriti, debet præcedere de facto omne meritum: & ſic nequit cadere ſub merito in præſenti providentia; bene vero in alia, inverſo ordine rerum.

8 Dices 2.: purus homo nequit de potentia Dei abſoluta mereri de condigno primam gratiam ſanctificantem: ergo nec Chriſtus Dominus. Prob. conſeq.: ideo primum eſt verum; quia prima gratia eſt nobis principium meriti; ſed etiam eſt talis in Chriſto Domino: ergo. Reſpondeo negando conſeq.: diſparitas eſt; quia in puro homine non invenitur aliqua forma, ex qua oriatur ex parte operantis dignitas, & ſanctitas operis ante gratiam habitualem; in Chriſto vero Domino, licet ex unione non habeatur conceptus ſanctitatis, habetur tamen dignitas valoris infiniti; & cum alias hęc unio potuerit de potentia Dei abſoluta illam ſanctificare, hinc eſt, quod in tali providentia potuit eſſe adæquatum principium operationis meritoriæ Chriſti Domini.

SECUNDA CONCLUSIO.

9 De potentia abſoluta potuit Chriſtus D. mereri de condigno beatitudinem animæ, quam habuit in 1. iuſtanti: illam tamen de facto non meruit. Eſt Doct. cit. diſt. 18. Prob. 1. pars; potuit Chriſtus abſque contradictione habere actum meritorium, qui ſolum prioritate naturæ, & non temporis pręcederet præmium: ergo potuit mereri beatitudinem animæ, quam habuit in 1. inſtanti. Conſeq. eſt optima; prob. antec.: licet de ratione meriti ſit pręcedere præmium, non tamen præcedentia temporis, ſed ſufficit prioritas naturæ: ergo. Antec. conſtat 1. in augmento gratiæ, quod in præmium datur Juſtis in eodem inſtanti temporis, in quo meritorie operantur: & in gratia juſtificante, quæ propter actum contritionis, tamquam propter meritum de congruo, datur contritis in eodem inſtanti, in quo conteruntur.

1 Probatur 2. concluſio, & ſimul antec.: inter meritum, & præmium æternum, ſcilicet, beatitudinem, nulla eſt repugnantia, ut poſsint eſſe ſimul in eodem inſtanti temporis, cum ſola præcedentia naturæ: ergo

in

in inſtanti ſuę conceptionis potuit Chriſtus Dominus ſimul habere actum meritorium diligendi Deum, & actum ipſum beatificum; & conſequenter mereri gloriam animę, eliciendo talem actum perfectiſsimum; quia tunc non mereretur beatitudinem per ipſummet actum beatificum, ſed per actum diligendi Deum. Prob. antec.: tunc in Chriſto Domino ex parte intellectus potuit eſſe actus ſcientiæ infuſſe, ex quo in voluntate ſequeretur actus amoris liberi; quia iſti actus compoſsibiles ſunt cum viſione, & fruitione beata: ergo medio tali actu dilectionis Dei regulato per ſcientiam infuſam potuit pro illo inſtanti temporis mereri beatitudinem animæ.

11 Prob. 2. pars concluſionis: Chriſtus Dominus habuit ſuam beatitudinem modo perfectiſsimo; ſed hoc eſt habere illam ante omnem actum ſe habentem per modum diſpoſitionis ad illam, uti eſt actus meritorius: ergo Chriſtus Dominus de facto non meruit ſuam beatitudinem. Prob. min.: modus perfectiſsimus habendi beatitudinem eſt, in quo anima Chriſti magis Deo aſsimilatur; ſed ex eo, quod abſque aliquo actu per modum diſpoſitionis divinam eſſentiam intueatur, eaque fruatur, per modum cuiuſdam proprietatis naturalis ſubſecutæ magis aſsimilatur Deo: ergo &c. Prob. min.: Dei perfectio in eo præſertim conſiſtit, ut naturali quadam, & ſumma neceſsitate ſuam Eſſentiam videat, ipſamque ſummè, ac neceſſario diligat: ergo modus perfectiſsimus &c.

12 Confirmatur, & præcluditur reſponſio Contrariorum: ſi hic modus habendi beatitudinem non cederet in maiorem gloriam animæ Chriſti, eſſet, quia non habuit poteſtatem merendi talem beatitudinem, ſed de facto habuit actuale meritum tanti valoris, ut ad hæc omnia promerenda eſſet ſufficiens: ergo glorioſius fuit Chriſto, eam habere ſine meritis, quam tamen cum meritis habere potuit, quam eam cum meritis habere. Declaratur hoc exemplo: ſi Rex alicui ſubdito magnam aliquam conferret dignitatem, antequam eam mereretur (licet eam decurſu temporis mereri poſsit) & talem dignitatem aliis non conferret, niſi poſtquam eam meruerunt, ſignum eſſet, quod talis ſubditus erat dilectus præ aliis. Sic ergo Deus pure liberaliter ſine aliqno mèrito præcedente coniunxit intellum Chriſti per viſionem cum obiecto beatifico, & ſimiliter eius voluntatem per fruitionem cum ultimo fine: & ſic Chriſtus Dominus

non meruit (etſi potuit mereri) beatitudinem animæ ſuæ.

13 Nota hic, quod hic ordo ſervatus fuit in Chriſto Domino. Primo habuit unionem hypoſtaticam, per quam conſtitutus eſt in eſſe Chriſti, & eſt veluti radix omnium aliorum donorum. Secundò, habuit infuſionem luminis gloriæ, & aliorum habituum ſupernaturalium, virtutumque tam in intellectu, quàm in voluntate. Tertio habuit actus illorum habituum, cum hoc tamen ordine: prius fuerunt actus neceſſarii, ut viſio beata, & amor beatificus. Deinde actus liberi, ut cognitio ſcientiæ infuſæ, amor charitatis erga proximum, actus obedientiæ, religionis, & aliorum virtutum. Ex quo habetur, quod omnis actus meritorius Chriſti fuit poſterior viſione, & amore beatifico, dependens quaſi à tribus principiis, hoc eſt, ab unione hypoſtatica, ut à forma valorante; ab habitu ſupernaturali quoad efficientiam; & à viſione beata, vel cognitione ſcientiæ infuſæ tamquam á conditione neceſſario prærequiſita.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

14 Arguitur 1. contra 1. part.: implicat aliquid moveri ad terminum, & eſſe ſimul in termino; ſed mereri gloriam in 1. inſtanti, eſt moveri ad gloriam: ergo nequit eſſe in termino gloriæ Chriſtus Dominus, & in ſimul mereri gloriam. Confirmatur: tale meritum vel eſſet per opera antecedentia gloriam, vel per opera ſubſequentia; ſed neutrum dici poteſt: ergo &c. Prob. min., non primum, quia anima Chriſti Domini nunquam caruit gloria, & conſequenter non potuit habere opera antecedentia gloriam. Neque ſecundum; quia eſt contra rationem meriti, quod præmium ipſum præcedat.

15 Reſpondeo diſtinguendo mai.: implicat aliquid moveri ad terminum, & eſſe ſimul in termino, pro illo inſtanti naturæ pro quo movetur, conc. mai.: pro toto uno inſtanti temporis, nego mai.: inverſis terminis diſtinguitur min., & negatur conſequentia. Itaque in illo caſu non tam diceretur de Chriſto Domino, quod beatus meruiſſet, quam quod merendo factus eſſet beatus; cum prius natura habuiſſet meritum, & ex vi meriti beatitudinem. Nulla enim eſt repugnantiá in ſpiritualibus ſimul eſſe in via, & termino, cum ordine tamen naturæ; & in illo caſu meritum, & præmium fuiſſent ſimul tempore, ſed non natura; ſicut cauſa poteſt eſſe ſimul tempo-

pore cum ſuo effectu, mediante ſola prioritate naturæ. Ad confirmationem dico, quod in eo caſu mereretur beatitudinem per aliquem actum dilectionis Dei diſtinctum ab actu beatifico, & ſolum natura priorem.

16 Arguitur 2.: Subt. Doct. in 3. diſt. 18. ait: *quod ſicut Deus creavit in eſſe naturæ aliquam naturam* (ſcilicet Angeli) *ad quam creandam non potuit cooperari cauſalitas cauſæ 2., propter perfectionem talis naturæ; ita in genere moris creavit Deus aliquem actum beatificum, ad quem non poteſt eſſe aliquis actus meritorius prior: & huiuſmodi fuit actus beatificus animæ Chriſti: & hoc propter excellentiam actus, & modi habendi actum; quia immediate, antequam haberet aliquem actum circa ea, quę ſunt ad finem.* Hæc Scotus: ergo juxta ipſum Chriſtus Dominus nullo modo potuit mereri ſuam beatitudinem.

17 Reſpondent 1. aliqui Scotiſtæ, quod Subt. Doct. in illa ratione non dicit hoc implicare, ſed tantum videtur rationabile, ſeu congruum; & ſic non fidit multum in illa opinione; quare ſolum recurrit ad ſolam congruentiam. Et ſic poteſt concedi anteced., & negari conſequent.. Reſpondeo 2. cum aliis Scotiſtis, quod Subt. Doct. ibi loquitur de potentia ordinaria; non vero de potentia Dei abſoluta. Sic notat Marginiſta. Reſpondeo 3., quod Doct. ibi non tam conſideravit excellentiam præmii in ſe, & ſecundum ſuam rationem; quam modum, quo illud habuit Chriſtus Dominus, ſcilicet ante omnem actum elicitum, ſine quo certum eſt, quod non poſsit ſtare meritum ex parte Chriſti; at ſi præmium ſecundum ſe conſideretur, quamvis excellens, non tam excellentiſsimum, ut non poſſet coæquari à meritis Chriſti Domini procedentibus ab unione hypoſtatica, ut radice, & formaliter à ſumma gratia ipſius, ſtaret.

18 Arguitur 3. cum N. Fabro, & eſt replica: meritum ex natura ſua, & ex debito juſtitiæ debet eſſe æquale præmio; ſed actus meritorii, quos potuit habere Chriſtus, non poterant eſſe æqualis excellentię cum actu fruitionis ipſius: ergo non potuit eam mereri. Prob. min.: hi actus vel erant partis ſenſitivæ, & portionis inferioris; vel erant charitatis erga res viſas in Verbo; ſed iſti actus ſunt longę minoris excellentiæ fruitione; quia hæc eſt ad finem, nec eſt circa obiecta ſecundaria, ſed circa obiectum primarium, ſcilicet, Deitatem in Trinitate: ergo. Hoc argumentum ſi probat, probat, quod nos viatores non poſſumus ex gratia ac-

actuali, & habituali elicere actum meritorium viſionis, & fruitionis beatæ; quod eſt nimis probare.

19 Reſpondeo diſtinguendo mai.: meritum debet eſſe æquale cum præmio æqualitate *proportionis*, & *virtutis*, concedo mai.: æqualitate *abſoluta formali*, & *ſecundum entitatem*, nego mai.: inverſis terminis diſtinguo min., & nego conſeq.. Itaque quicumque actus meritorius Chriſti Domini ſecundum quantitatem virtutis potuit habere æqualitatem cum fruitione beata, quamvis iſta in ratione obiecti, & quoad ſubſtantiam actus, excedat illos in entitate. Et quamvis fruitio animæ Chriſti Domini ratione ſuppoſiti eam elicientis ſit ſumma, & infinitæ dignitatis; etiam gratia collata animæ Chriſti fuit ſumma: & ultra omnes eius actus eamdem habent dignitatem ratione divini ſuppoſiti. Hæc eſt ſecunda ſolutio, quam præbet Subt. Doct. pro argumento præcedenti.

20 Arguitur 4. contra 2. part. concluſionis: Lucæ ult. dicitur: *oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* Et Paulus ad Hæbreos 2.: *& videbimus Jeſum propter paſſionem gloriæ, & honore coronatum*: ergo Chriſtus Dominus de facto meruit gloriam animæ ſuæ. Reſpondeo, quod hæc, & ſimilia loca unice intelliguntur de gloria corporis, eiuſque manifeſtatione; non vero de gloria interiori animæ. Nec refert, quod Div. Anſelm. ultimum locum explicet de gloria animæ; tum, quia eſt dubium: an illa opera ſint Div. Anſelmi, necne? tum, quia explicari valet, imo & debet, ne aliis SS. PP. contrarietur de gloria accidentali animæ ipſi reſultante ex gloria corporis.

21 Arguitur 5. ad idem: juxta nos potuit Chriſtus mereri talem gloriam: ergo de facto meruit. Prob. 1. conſeq. ex dicto Auguſtini: in hoc myſterio: *aliam non eſſe rationem facti, quam potentiam facientis*: ergo ſi potuit hoc fieri, ita de facto factum fuit. Prob. 2. ratione: gloriofius eſt, habere gloriam propria virtute, quam ſolum per extrinſecam voluntatem donantis: ergo ſi potuit illam mereri de facto illam meruit. Hoc argumentum immediate procedit contra probationem ſecundæ partis concluſionis poſitam num. 11., & 12. Unde ex illis dictis facile ſolvitur. Sed

22 Reſpondeo, negando conſeq.: ad 1. probationem ex Aug. dico, quod ordini naturæ magis conſentaneum fuit, ut de facto gratia, & gloria præcederent opera, & merita Chriſti, quam, quod caderent ſub merito; nam ſic operabatur Chriſtus modo

do magis connaturali, ſcilicet ex habitu, quam ex auxilio ſupplente vices habitus. Unde ita factum eſt. Ad 2. probationem dico, quod gloriosius eſt, habere gratis gloriam, quando in eo, qui ſic eam habet, non deſunt opera, aut valor operum ad eam merendam, uti evenit in Chriſto Domino, cuius meritis non defuit propria virtus ad beatitudinem promerendam, ſi merita non eſſent pręventa ex liberalitate Dei. Unde ſolum defuit prioritas naturæ, & cauſalitatis, qua debeant talia merita prędecedere gratiam, & gloriam, ut eſſent meritoria ipſarum.

23 Arguitur ultimo: opera Chriſti habita in ipſo conceptionis inſtanti, prout naturaliter priora glorię donis, & gratiæ, habent omnes conditiones meriti condigni; nam erant bona ſupernaturalia, libera, hominis viatoris; & per unionem hypoſtaticam Deo grata, & accepta: ergo per talia opera meruit de facto gratiam, & gloriam. Reſpondeo, negando ſuppoſitum antecedentis; quia de facto nulla talia opera fuerunt in Chriſto Domino priora illis donis; ſed reș contra ſe habuit; nam ordine naturæ prius debuit habere dona, quæ naturaliter, & immediatius pertinent ad eſſe, quam remotiora, ut ſunt operationes. Deinde gratia habitualis in Chriſto fuit cauſa efficiens actus meritorii, ſicut eſt in nobis, non vero unio hypoſtatica. Tandem per gratiam habitualem fuit anima Chriſti formaliter ſanctificata, Deo grata, & accepta, non vero per unionem hypoſtaticam: per hanc ſolum fuit radicaliter, & exigitive, ut jam diximus tract. antec. agendo de Sanctitate Chriſti.

QUÆST. IV.

An Chriſtus Dominus potuerit mereri Incarnationem quoad ſubſtantiam?

1 VEritas de fide eſt contra Neſtorium, & Fauſtin. definita, Chriſtum non fuiſſe aliquando hominem purum, & prout ſic meruiſſe aſſumptionem ſuæ humanitatis à Verbo, ſeu Incarnationem. Similiter apud omnes Theologos Chatolicos certum habetur, quod Chriſtus Dominus de facto non meruit ſuam unionem cum Verbo, nec per opera antecedentia unionem, nec per opera ipſam ſubſequentia, ut prævisa antecedenter. Quare tota difficultas, (& quidem non parva) inter Theologos eſt de poſſibili, ſeu attenta potentia Dei abſoluta: an, ſcilicet, Chriſtus Dominus potuerit de potentia Dei abſoluta mereri unionem ſuæ hu-

humanitatis ad Verbum, ſeu Incarnationem quoad ſubſtantiam: & hoc, vel per opera præcedentia ipſam Incarnationem prioritate naturæ, vel durationis: vel per opera ſubſecuta ad unionem hypoſtaticam, quæ tamen ab æterno à Deo præviſa erant? Ut omnis æquivocatio tollatur.

2 Notate, quod dum quærimus, an Chriſtus per opera antecedentia unionem, ſive anterioritate naturæ, ſive durationis, meruerit Incarnationem quoad ſubſtantiam, ly Chriſtus, nequit ſupponere pro divino ſuppoſito ſubſiſtente in humana natura; quia repugnat, quod ſuppoſitum divinum ſit ſubſiſtens in humana natura pro priore ad unionem hypoſtaticam humanæ naturæ cum ſuppoſito divino. Unde ſupponeret ly Chriſtus pro individua natura humana, ſeu pro hoc individuo, & ſingulari homine, vel ſubſiſtente ſubſiſtentia propria, vel prę ſcindente ab omni ſubſiſtentia, ſeu perſonalitate. Hoc notato, circa præſentem difficultatem varię ſunt ſententiæ.

3 Prima tenet, humanitatem Chriſti Domini potuiſſe ſibi mereri Incarnationem quoad ſubſtantiam per opera antecedentia unionem hypoſtaticam prioritate naturę. Sic Caietanus cum pluribus Thomiſtis, & Jeſuitis, quibus & adhæret noſter Rada Tom. 3. controv. 12. art. 3. dub. 1. Secunda ſententia dicit, potuiſſe humanitatem Chriſti Domini mereri ſuam unionem per opera antecedentia anterioritate temporis. Sic Noſter Bellutus, & alii cit. á Maſt. diſp. 3. q. 12.. Tertia ſententia aſſerit, potuiſſe Chriſtum Dominum ſic mereri ſuam unionem per opera ſubſecuta ad ipſam, prę viſa tamen ab ęterno à Deo. Sic Eximius Suarez cum pluribus ex RR.; quibus adhærent aliqui Scotiſtæ loquendo de operibus ſubſecutis non dependentibus eſſentialiter ab unione hypoſtatica. Quarta demùm ſententia abſolute negat, Chriſtum ſibi potuiſſe mereri Incarnationem quoad ſubſtantiam nec per opera antecedentia ſive natura, ſive duratione, nec per opera ſubſecuta ad Incarnationem. Sic communior Scotiſtarum cum N. Maſt. cit. quid nobis? per ſequentes ſect. conſtabit.

SECT. I.

Humanitas Chriſti Domini non potuit de potentia abſoluta mereri Incarnationem quoad ſubſtantiam de condigno per opera antecedentia, nec naturæ, nec durationis prioritate.

4 Concluſio duas continet partes. Prob. 1. quoad 1. ra-

ratione Doct. in 3. diſt. 2. q. 2. art. 3. Humanitas Chriſti Domini per prius prioritate naturæ ad ſubſiſtentiam Verbi Divini, vel propriam, nullam operationem exercere valet: ergo nec mereri ſuam unionem ad Verbum. Conſeq. conſtat; quia meritum in operatione conſiſtit. Prob. antec.: ut humanitas Chriſti poſsit elicere aliquam operationem, eſt omnino indiſpenſabile, quod pro aliquo priori, ſaltim naturæ, præſupponatur ſubſiſtens, vel ſubſiſtentia propria, vel aliena: ergo ſi humanitas Chriſti &c. Prob. antec.: ordo naturæ ad perſonalitatem eſt ordo per ſe neceſſarius, & indiſpenſabilis: ordo vero ad operationem eſt ſolum per accidens; cum natura per accidens operetur; ſed juxta Doct. cit. prius debet ineſſe alicui id, quod ineſt per ſe; quam id, quod ineſt per accidens: ergo ſi humanitas Chriſti Domini pro priori ad unionem cum Verbo nullam habet ſubſiſtentiam, nec propriam, nec alienam, nec habet id, quod per ſe requiritur ad poſſe elicere operationem; & conſequenter, nec ad merendum de condigno Incarnationem quoad ſubſtantiam, pro illo priori naturę ad ipſam.

5 Reſpondent contrarij, quod hæc ratio ſolum probat de facto, non tamen de potentia Dei abſoluta; quia in hac potentia potuit facere, quod humanitas aſſumpta pro priori naturæ ad aſſumptionem eſſet in ſe exiſtens, & gratia divina condecorata; ita ut pro illo priori naturæ Incarnationem ſibi meruerit; quia ad merendum ſufficit prioritas naturæ meriti ad præmium: & ex alia parte, juxta Scotiſtas, actiones ſunt *effective* ſolius ſingularis, & ſolum *denominativè* ſuppoſiti. Scotitæ ſic reſpondentes tenentur deſerere opinionem probabiliorem in via Scoti de conſtitutivo Perſonalitatis de *negativo*; nam ſemel admiſſa hac probabiliori ſententia, abſdubio ſubſiſtentia debet eſſe per prius prioritate naturę in natura ſingulari, ut hæc poſsit operari, & hoc etiam de potentia Dei abſoluta.

6 Ratio eſt, quia abſolute repugnat, naturam poſſe operari, quin prius exiſtat; *cum prius ſit eſſe, quam operari*; ſed ſi ſubſiſtentia in negativo conſiſtit, nequit natura adhuc de potentia abſoluta exiſtere ſine ſubſiſtentia propria, aut aliena; quia vel exiſtit in ſe, vel communicata alieno ſuppoſito? Si primum: jam intelligitur per propriam ſubſiſtentiam termina-

ta in ſe : ſi ſecundum : jam intelligitur perſonata aliena ſubſiſtentia, gerente vices propriæ: ergo in hac ſententia nequit natura adhuc de potentia abſoluta operari, quin prius ſit ſubſiſtens. Sed quia hæc probatio concluſionis pendet ex his, quæ docentur in Metaphyſica, agendo de ſubſiſtentia, ideo ipſa in ſua probabilitate relicta, quæ abſdubio in via Scoti maxima eſt, ut ibi probavimus, ideo aliter.

7 Probatur 2. hæc pars concluſionis. Illa opera meritoria elicita ab humanitate Chriſti per prius prioritate naturæ ad unionem ipſius cum Verbo non eſſent valorata valore morali fundante æqualitatem ſaltem virtualem cum præmio, hoc eſt, cum Incarnatione quoad ſubſtantiam; ſed hoc ipſo non poſſent eſſe meritoria de condigno Incarnationis quaod ſubſtantiam: ergo. Min. conſtat; quia hæc æqualitas moralis inter meritum condignum, & præmium eſt omnino indiſpenſabilis, ut docetur in materia de merito, queſt. 1. Prob. mai.: talia opera, etſi excellentiſſima, non eſſent dignificata, & valorata, nec per unionem hypoſtaticam, nec per divinum ſuppoſitum unitum principio elicitivo, ſed præciſe per gratiam, aut donum ſupernaturale ordinis gratiæ, & accidentalis participationis divini eſſe; ſed opera ſic ſolum dignificata nec de potentia abſoluta Dei poſſunt eſſe tanti valoris moralis, ut fundare poſſint æqualitatem virtualem in valore morali cum unione hypoſtatica humanæ naturæ ad divinum Verbum : ergo &c.

8 Maior ex terminis conſtat; quia pro illo priori naturæ humanitas Chriſti Domini non eſt unita divino ſuppoſito, ut principio elicitivo talium operum. Probatur min.: unio hypoſtatica ad divinum ſuppoſitum eſt gratia in ordine hypoſtatico, & communicatio ſubſtantialis divinitatis; omne autem donum ordinis gratię (etſi excellentiſſimum) eſt ſolum per modum participationis accidentalis divinitatis; ſed hoc ipſo tale donum eſt ita inferius, ut nec de potentia abſoluta Dei poſsit fundare æqualitatem in valore morali cum gratia ordinis hypoſtatici, quæ eſt ſubſtantialis communicatio Divinitatis : ergo &c. Confirmatur : ſi talia opera poſſent fundare æqualitatem moralem, opera puræ creaturæ poſſent ſic de potentia Dei abſoluta dignificari, & valorari, ut haberent æqualitatem in morali valore cum operibus Chriſti Domini; ſed hoc nemo dicet: ergo nec illud.

Se-

9 Secunda pars conclusionis hac eadem ratione probatur. Opera humanitatis Christi Domini præcedentia durationem Incarnationem vel essent ab humanitate subsistente propria subsistentia, vel non? hoc secundum nequit dici; quia repugnat quod natura existat pro aliquo instanti durationis, quin subsistat vel propria, vel aliena subsistentia, ut diximus 1. probatione primæ partis. Si primum? sic argumentor: talia opera elicita ab humanitate Christi per prius prioritate temporis, aut durationis ad unionem hypostaticam non essent valorata valore morali fundante æqualitatem virtualem in tali valore cum præmio, scilicet, unione hypostatica, propter dicta in probatione antecedenti: ergo talia opera humanitatis Christi Domini, sic antecedentia prioritate temporis Incarnationem non possent adhuc de potentia Dei absoluta esse: meritoria de condigno ipsius Incarnationis.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

10 Arguitur 1.: Deus agens de potentia sua absoluta agit supra leges communes naturæ; sed quod naturæ non operentur, nec mereantur, quin prius subsistant, est secundum leges naturæ: ergo de potentia Dei absoluta possunt operari, & mereri, quin sint subsistentes: ergo hoc potuit facere humanitas Christi pro priori ad Incarnationem. Respondeo distinguendo mai.: Deus agens &c. agit supra leges *physicas* naturæ, conc. mai.: *metaphysicas*, nego mai., & distinguo min.; sed quod naturę &c. est secundum leges naturæ suppositabilis *metaphysicas*, conc. min.: *physicas*, nego min.. Emanatio igitur, aut resultantia subsistentiæ propriæ in natura existenti, & singulari completa, est de necessitate metaphysica, maxime si in negativo consistit, quam nec Deus potest impedire de potentia absoluta, nisi illam terminet per alienum suppositum, ut fecit in Christo Domino.

11 Arguitur 2.: humanitas Christi producta est actione eiusdem rationis cum productione nostræ humanitatis; & prorsus independenter á productione unionis hypostaticæ: ergo in aliquo priori, vel temporis, vel naturæ antecedenter ad unionem potuit habere aliquam operationem meritoriam unionis. Prob. conseq.: non implicat Deum potuisse infundere gratiam animæ Christi ante quam eam uniret corpori, & Verbo: ergo pro illo priori ad unionem cum Verbo potuit humanitas agere, & mereri cum illa gratia

tia unionem hypoſtaticam. Hoc argumentum ſi probat, ad ſummum eſt, meritum de congruo, de quo poſtea.

12 Reſpondeo amiſſo antec. negando conſeq.; Quia ſicut poſt productionem humanitatis, quod ſtatim ſequitur, eſt ſubſiſtentia, taliter, ut inter has productiones nequeat intelligi actio media, quę prioritate naturæ præcedat productionem propriæ ſubſiſtentiæ; ita productio unionis cum Verbo, quæ ſuccedit loco propriæ ſubſiſtentiæ, ſubſequitur immediate ad productionem humanitatis, ut inter ambas nulla poſsit eſſe actio medians, quæ priorem immediate ſequatur, & alteram præcedat prioritate naturæ. Ad probationem conceſſo anteced., nego conſeq.; quia quod ad ſummum ſequitur eſt, quod anima Chriſti pro illo priori ad unionem cum corpore, & Verbo potuit mereri aliquid creatum, ut gloriam, vel gratiam a quam; non vero unionem hypoſtaticam; quia humanitas Chriſti intelligitur unice in illo ſigno unionis animæ, & corporis, ad quod immediate ſequitur unio ad Verbum.

13 Arguitur 3.: Angeli in ipſo ſuæ creationis inſtanti ſe diſpoſuerunt, aut potuerunt diſponere ad ipſam gratiam habitualem, & per illam operari, & mereri: ergo & ipſa humanitas Chriſti in ipſo inſtanti ſuę formationis pro priori ad unionem cum Verbo potuit mereri unionem hypoſtaticam. Reſpondeo, conceſſo antec., negando conſeq.. Diſparitas eſt; quia Angelus in primo inſtanti ſuæ creationis, & pro priori ad productionem gratiæ ſubſiſtebat; non vero ſic humanitas Chriſti ante unionem; ideoque nec Chriſtus, nec ejus humanitas in illo priori poterat operari.

14 Arguitur 4. non repugnat, quod humanitas Chriſti prævideatur operans prius, quàm ſubſiſtens: ergo &c. Prob. antec.: humanitas, ut operetur, non minus pendet ab aliqua præſentia in loco, & coexiſtentia in tempore determinato, quàm à ſubſiſtentia; ſed humanitas Chriſti potuit intelligi operans priùſquàm locata, & coexiſtens tempori determinato: ergo & priùſquàm ſubſiſtens ſubſiſtentia determinata. Reſpondeo negando antec., & eius probationem; quia licet præſentia in loco, & coexiſtentia in tempore ſint accidentia connexa cum natura operante, non tamen eis tribuitur operatio cum eadem proprietate, ac ſubſiſtentiæ; illis enim tribuitur ſolum concommitanter; ſubſiſtentiæ vero antecedenter; cum

ac-

actiones ſint ſuppoſitorum ſaltim denominative, unde non eſt par ratio.

15 Arguitur 5.: nulla eſt repugnantia, ut natura ſubſtantialis non ſubſiſtens poſsit operari de potentia abſoluta: ergo &c. Probatur antec.: anima ſeparata non eſt ſubſiſtens: & accidens exiſtit, & conſervatur ſine ſubiecto in Euchariſtia; ſed anima ſeparata operatur intelligendo, & volendo: & etiam accidens ſeparatum: ergo nulla eſt repugnantia &c. Reſpondeo, negando antec.: ad probationem conceſſa mai., & minori, nego conſeq., & paritatem; quia nec accidentia ſunt ſuppoſitabilia, ſaltem in ſtatu illo incompleto. Dùm vero dicimus, ſubſiſtentiam eſſe conditionem neceſſariam ad operandum in natura, non intelligitur univerſaliter, ſicut de exiſtentia intelligitur in quacumque natura; ſed tantum in natura ſuppoſitata, vel ſuppoſitabili; quia in hac eſt ultimum complementum ſubſtantiale.

16 Arguitur ultimò: quamvis merita Chriſti Domini præcedentia prioritate naturæ, vel temporis Incarnationem non haberent ex ſe valorem ſufficientem ad promerendam de condigno Unionem hypoſtaticam, eam tamen poſſent habere de potentia Dei abſoluta: ergo humanitas Chriſti de potentia Dei &c. Prob. anteced.: quamvis opera procedentia ex gratia habituali ex natura rei conſiderata non habeant valorem, ut ſint meritoria de condigno vitæ æternæ, juxta Scotiſtas; eum tamen habent ex Div. ordinatione, & acceptatione: ergo à pari de meritis elicitis ab humanitate Chriſti diſcurrendum eſt reſpectu meriti de condigno quoad Incarnationem. Hoc argumentum, & ſi à paritate doctrinæ videatur urgere Scotiſtas, magnam tamen diſparitatem habet: quare.

17 Reſpondeo, negando antec.; & conceſſo antec. probationis, nego conſeq. Diſparitas eſt; quia vita æterna, etſi ſit ordinis ſuperioris ad habitum gratiæ ſecundùm quod eſt ex natura rei, eſt tamen ſolum ſupernaturalis in linea accidentali, & ordine operandi; quare optime poteſt Deus talem habitum elevare, ut opera medio ipſo elicita poſsint eſſe de condigno meritoria vitæ eternæ: at vero unio hypoſtatica ad div. Verbum, eſt ſupernaturalis ordinis ſubſtantialis, & ad lineam eſſendi pertinens; unde repugnat, quod aliquod donum ſupernaturale accidentale, etſi excellentiſsimum, cum ad ordinem accidentalem ſpectet, elevetur à Deo ad promerendam de condigno ipſam unionem hypoſtaticam, ſeu Incarnationem quoad ſubſtantiam.

Du-

18 Dubitabis hic ; an ſaltim humanitas Chriſti Domini potuerit de potentia Dei abſoluta mereri de congruo unionem hypoſtaticam per opera ipſam precedentia, vel prioritate naturæ vel prioritate durationis? Loquendo de operibus præcedentibus prioritate naturæ unionem hypoſtaticam communiter Scotiſtæ reſpondent negative. Et ratio eſt, quæ propoſita eſt pro probatione concluſionis antecedentis num. 4. huius, quæque ſic breviter efformatur: humanitas Chriſti Domini pro priori prioritate naturæ ad unionem ipſius cum Verbo non erat ſubſiſtens ; ſed hoc ipſo erat impotens abſolute ad operari ; cum ex ibi dictis ſubſiſtentia in natura ſit præ requiſitum indiſpenſabiliter neceſſarium ad operandum : ergo nec poterat mereri de congruo unionem hypoſtaticam ipſius ad Verbum divinum. Conſequentia conſtat ; quia meritum de congruo, ſicut & de condigno, in operatione conſiſtit : ergo pro illo ſigno naturæ, pro quo nulla poterat eſſe operatio, nullum poterat eſſe meritum adhuc de congruo.

19 Sed quia non omnino certum apud Scotiſtas eſt, quod non poſsit natura humana de potentia Dei abſoluta pro priori ad ſubſiſtentiam exercere operationes intellectus, & voluntatis; ideo, ut probabile reputo, quod humanitas Chriſti, cum pro priori prioritate naturæ ad ſubſiſtentiam, gauderet propria exiſtentia, & eſſet realiter diſtincta ab operationibus intellectus, & voluntatis ipſius, poſſetque habere obiecta præſentia erga quæ operaretur: & ex alia parte prioritas naturæ ſit ſufficiens præcedentia ad merendum, necdum de congruo ; ſed etiam de condigno. Hinc ergo probabile reputo, quod, hac ſuppoſitione facta, poſſet humanitas Chriſti de potentia Dei abſoluta mereri de congruo unionem hypoſtaticam per opera excellentiſsima elicita media gratia habituali.

20 Si autem ſermo ſit de operibus humanitatis Chriſti quæ præcederent prioritate durationis unionem ipſius ad Verbum, non dubito concedere, quod et talia opera potuerit mereri de congruo unionem hypoſtaticam. Ratio: talis humanitas ſic præcedens unionem poterat eſſe ſubſiſtens ſubſiſtentia propria ; poterat inſuper eſſe ornata gratia habituali, aliisque ſupernaturalibus donis ipſam elevantibus ad operandum in linea ſupernaturali ; ſed hoc ipſo nulla adeſſet repugnantia, ut medi's talibus operibus mereretur de congruo unionem hypoſtaticam : ergo. Nota, quod conſultò ponimus, *humani-*

nitas Chriſti : non autem dicimus *Criſtus* , qui pro priori ad unionem hypoſtaticam eſt per locum intrinſecum repugnans. Loquimur ergo de illa humanitate , quę pro poſteriori, ratione unionis hypoſtaticę, futura erat *homo Deus* ; *homo Chriſtus*. Hac advertentia reconciliatur N. Maſtrius qui prima facie videtur nobis contrarius.

SECT. II.

Chriſtus Dominus nullo modo potuit mereri Incarnationem quoad ſubſtantiam per opera ſubſecuta ad ipſam.

21 Concluſio hæc eſt contra quampiures Scotiſtas, & Eximium Suarez. Probatur tamen ratione Doct. in 2. diſt. 5. quæſt. 1. : principium meriti nequit cadere ſub merito ; ſed ſubſtantia Incarnationis , ſeu unio hypoſtatica eſt principium omnis meriti Chriſti Domini : ergo nequit Chriſtus ullo modo prædictam unionem promereri per opera ipſam ſubſequentia. Mai. eſt commune proloquium Theologorum, & eſt evidens ; nam principium meriti eſt cauſa moralis efficiens meritum , & effectus iſtius eſt præmium in eodem genere cauſæ ; ſed principium meriti nequit eſſe effectus , ſeu præmium meriti ; alias idem eſſet ſimul cauſa , & effectus reſpectu eiuſdem in eodem genere cauſę, quod implicat : ergo &c. Tum , quia præmium eſt terminus , & finis operis : ergo quod eſt principium meriti nequit eſſe præmium eiuſdem ; alioquin idem eſſet principium , & terminus eiuſdem actionis. Varie reſpondent contrarij huic efficaci rationi.

22 Reſpondent 1. hanc rationem concludere de potentia Dei ordinaria , non vero abſoluta. Sed contra : adhuc de potentia abſoluta Dei repugnat, quod ipſummet principium effectivum alicuius operationis ſit effectus eiuſdem operationis in eodem genere cauſæ efficientis; ſed unio hypoſtatica eſt principium omnis meriti Chriſti in genere cauſæ efficientis : & pariter merita ſunt cauſa præmii etiam in genere cauſæ efficientis : ergo ſi unio hypoſtatica poſſet eſſe præmium meritorium Chriſti , jam eſſet principium , & effectus in eodem genere cauſę efficientis reſpectu eiuſdem operationis. Propter hanc inſtantiam.

23 Reſpondent 2. : Incarnationem eſſe cauſam efficientem phyſicam meritorum Chriſti ; merita vero fuiſſe cauſam moralem tantum eiuſdem Incarnationis. Unde idem non eſt cauſa , & effectus reſpectu eiuſdem

ſub eadem conſideratione, ſed ſub diverſa. Contra: Incarnatio potius in genere moris, quam phyſico, fuit cauſa meritorum Chriſti: ergo nulla eſt ſolutio. Probatur antec.: Incarnatio eſt cauſa moralis dignificans opera Chriſti; cum hæc ſuum infinitum valorem, & dignitatem deſumant ex dignitate Perſonę, & ipſa unione hypoſtatica, & alias ſubſtantia non influat phyſicé in effectum, ſed tantum ut conditio agentis concurrat: ergo Incarnatio potiùs eſt cauſa moralis efficiens meritorum, quam phyſica, & conſequenter, ſi poſſet eſſe præmium, eſſet cauſa, & effectus in eodem genere cauſæ.

24 Reſpondet Suarez, quod licet idem ſecundum eamdem rationem nequeat eſſe principium meriti, & præmium, bene tamen ſecundum diverſas rationes, ut evenit in præſenti. Incarnatio namque, prout in intentione Dei, eſt principium meritorum Chriſti; at vero prout in executione potuit eſſe præmium. Parificatur in gloria, quę prout in intentione, eſt principium meriti; ſed prout in executione non eſt principium, ſed effectus, & præmium meriti. Sed quam immeritò adducat Suarez hoc exemplum patet; quia gloria non eſt principium meriti per modum cauſę efficientis meritoriæ, ſicut eſt unio hypoſtatica, ſed tantum per modum cauſæ finalis; eſt enim gloria finis ultimus, ad quem homo tendit per opera meritoria, & ex cuius amore movetur ad ea exercenda pro gloria conſequenda; non vero ſic ſe habuit unio hypoſtatica reſpectu meritorum Chriſti; quia ab inſtanti Conceptionis illam habuit. Unde ſe tenuit ex parte cauſæ efficientis tribuens dignitatem, & valorem operibus Chriſti, ut ſic poſſet noſtram Redemptionem perficere. Quare exemplum Suarez non eſt aptum. Nunc vero ſic

25 Contra reſponſionem inſurgo: unio hypoſtatica fuit principium meritorum Chriſti prout in executione, & non prout in intentione Dei: ergo ſi prout in executione potuit eſſe effectus, & præmium meritorum Chriſti, jam principium meriti ea ratione, qua eſt principium, poſſet cadere ſub merito. Prob. antec.: operationes Chriſti, per quas meruit, non acceperunt valorem infinitum ab unione prout hæc fuit ab æterno in intentione Dei, ſed prout actu exiſtebat in humanitate: ergo &c. Probatur antec.: unio prout in executione ſolum dignificat opera Chriſti, non prout in intentione Dei; ſicut apparet in eo, qui

qui meretur, reſpectu cuius auxilium gratiæ operantis, & cooperantis, influxus Dei, ac demum habitus gratiæ, non prout in intentione exiſtentes, ſed prout in executione tribuunt operi dignitatem: ergo unio non prout in intentione, ſed prout in executione eſt cauſa meritorum Chriſti: ergo ſi prout in executione cadit ſub merito, principium meriti caderet ſub merito.

26 Contra 2.: quia ſtante explicatione Suarez illius axiomatis, ſcilicet, quod principium meriti ea ratione, qua eſt principium, non poteſt cadere ſub merito, bene vero ſub alia ratione; abſque errore poſſet dici, nos poſſe mereri primam vocationem, vel gratiam quod redolet Semipelagianiſmum: ergo. Prob. ſequela; nam Deus prius ratione prævidit merita noſtra, ut efficaciter intenta; quam in executione decernat, dare auxilia ad talia merita exequenda: ergo ſi merita in intentione poſſunt influere meritorie, poſſet Deus intuitu illorum conferre nobis primam gratiam, tamquam præmium, & conſequenter nos poſſumus mereri primam vocationem.

27 Reſpondent 4. alii, certum eſſe, Chriſtum Dominum non potuiſſe mereri Incarnationem per opera ſubſecuta ad ipſam, dependentiaque ab ipſa eſſentialiter in ſuo valore; bene vero potuiſſe mereri per opera ſubſecuta, quæ haberent valorem vi auxiliorum actualium ad hoc collatorum. Sed hęc reſponſio non poteſt admittere meritum de condigno reſpectu unionis hypoſtaticæ per talia opera. Deinde: eá opera prævidebantur, ut á Chriſto futura; ſed hoc ipſo debebant procedere ab unione hypoſtatica, ut à principio *quod* valorativo; cum Chriſtus, qua Chriſtus, eſſentialiter includat ſuppoſitum Verbi, ut tale principium *quod*: ergo adhuc ſequeretur, quod tale principium *quod* caderet ſub merito talium operum dependentium eſſentialiter in ſuo valore à principio *quod*, ſcilicet, unio hypoſtatica, ſeu ſuppoſitum Verbi.

28 Reſpondent tandém alii, quod Deus poterat decernere humanitatem Chriſti futuram, non determinando, an futura eſſet cum unione hypoſtatica, vel ſine illa: & poterat decernere, quod talis humanitas haberet actum amoris ſupernaturalis, & vi ipſius moveri ad decernendum illi humanitati ſuppoſitum Verbi. Sed contra 1.: quia Deus non poteſt videre effectum in ſe exiſtentem, niſi etiam videat omnes, & ſingulas cauſas, á quibus hic, & nunc effectus

ille producitur, ut docetur in tract. de Scientia Dei: ergo nequit videre humanitatem hic, & nunc ſubſiſtentem, & ignorare, an per humanam, aùt divinam ſubſiſtentiam? Contra 2.: in tali caſu unio hypoſtatica daretur ex meritis prævisis futuris non ut Chriſti, ſed ut humanitatis; ſed hoc repugnat; quia quando ponuntur ut merita, ponuntur, ut valorata a Chriſto: ergo jam non daretur, ut ex meritis prævisis futuris, ſed ex meritis determinate exiſtentibus, à Chriſto, ut Chriſto; & conſequenter jam principium meriti caderet ſub merito. Alias reſponſiones vide in AA., & etiam patebunt ex ſolutione argumentorum. Nunc vero

29 Probatur 2. concluſio, quaque referuntur omnes reſponſiones. Chriſtus nec eſt, nec eſt intelligibilis non intellecta unione humanitatis ad Verbum; quia Chriſtus eſſentialiter eſt Perſona Verbi ſubſiſtens in duabus naturis: in divina per identitatem, & in humana per unionem hypoſtaticam; ſed hoc ipſo repugnat, Chriſtum mereri ullo modo unionem hypoſtaticam per merita ſubſequentia ipſam: ergo Prob.min.: repugnat Chriſtum mereri per ſua opera id, quod non poteſt non eſſe, & exiſtere in Chriſto, & non poteſt non intelligi in Chriſto pro priori ad ipſius opera, & independenter ab operibus eius; ſed unio hypoſtatica non poteſt non exiſtere in Chriſto, & non poteſt non intelligi in ipſo pro priori, & independenter ad eius opera, ſi Chriſtus non eſt, nec intelligi poteſt non intellecta unione humanitatis ad Verbum: ergo &c.

30 Confirmatur: Deus volens conferre humanitati unionem hypoſtaticam dependenter á futuris operibus, vel eſt á futuris operibus humanitatis præſcindentis ab unione hypoſtatica; ita ut humanitas, ſit cauſa talium operum: vel à futuris operibus humanitatis concernentis unionem; ita ut principium *quod* talium operum non ſit humanitas abſtracta ab unione; ſed Chriſtus, qua homo, includens ſuppoſitum Verbi? ſi 1.: ergo non Chriſtus, ſed humanitas eſſet, quę mereretur unionem hypoſtaticam per opera ſubſecuta; quod nequit dici ex dictis ſectione antec.. Si 2.: ergo jam principium valorativum talium operum caderet ſub merito operum, quorum eſt principium quod, & ſic redit de novo argumentum formatum in prima probatione.

Solvuntur argumenta.

31 Arguitur 1. ex variis textibus Sac. Scripturæ, in quibus

bus unitio divinitatis tribuitur meritis Christi, ut illud Psalm. 44.: *dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterèa unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*; sed per oleum lætitiæ intelligunt PP. divinitatem: & ly *propterèa* significat causam meritoriam: ergo. 2. ex illo Apocalyps. 5.: dignus est *agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem*: ergo passio, & mors Christi fuit causa unionis divinitatis ad humanitatem Christi. Varie respondent his locis Sac. Scripturæ SS. PP.. Sed varijs expositionibus omissis

32 Respondeo, quod si per ly *oleum lætitiæ* significetur unctio, seu unio substantialis humanitatis cum divinitate, tum per ly *propterea* non significatur causa meritoria, seu moralis. Sic Magn. Parens Augustin. dicens: *propterèa unxit te Deus: ad hoc te unxit, ut diligeres justitiam, & odires iniquitatem.* Si vero per ly *propterea* causa meritoria significetur: tunc per unctionem lætitiæ non intelligitur unio hypostatica, sed manifestatio, & glorificatio ipsiusmet Christi, quod pertinet ad accidentalem gloriam, & exaltationem sui nominis. Sic Div. Hieronymus in Epistol. 140. *ad Principiam.* Et per hanc ultimam solutionem respondetur ad 2. authorit. ex Apocalyps. desumptam, quæ certè non intelligitur de divinitate secundum se, sed secundum manifestationem; alias usque ad occisionem non habuisset divinitatem sibi unitam quod est absolute erroneum.

33 Arguitur 2.: opera Christi Domini, subsecuta ad Incarnationem fuerunt de facto meritoria gratiæ collatæ antiquis PP.; ita ut hæc per prius fuisset ipsis data, quam fuissent exhibita merita Christi: ergo & talia merita prævisa potuerunt esse causa meritoria ipsiusmet Incarnationis. Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam. Disparitas est, quod gratia collata SS. PP. ex prævisione meritorum Christi non fuit principium meritorum ipsius, sicut est unio, sed solum erat effectus moralis eorum. Unde nostra sententia non facit vim in hoc, quod præmium non possit antecedere meritum ordine temporis; hoc enim gratis concedit. Sed quod constanter negat, est, quod principium meriti possit cadere sub ipso merito, etiam ut prævisso; quia tunc idem esset causa, & effectus respectu eiusdem, & in eodem genere causæ; uti contingeret in proposito, si unio hypostatica esset effectus meritorum prævisorum; nam ex alia parte, hæc esset cau-

ſa ipſorum in re exiſtentium.

34 Arguitur 2.: non repugnat, quod eadem res ſit cauſa moralis ſui ipſius: ergo nec repugnat, quod merita ſint cauſa moralis unionis, & hæc cauſa moralis meritorum. Prob. antec.: cauſa moralis non influit immeddiate in effectum, ſed ſolum ratione voluntatis præmiantis, quam allicit ad concedendum aliquid: ergo non repugnat &c. Confirmatur: finis ordine intentionis eſt efficaciter volitus, & eſt cauſa mediorum: & ordine executionis, merita ſunt cauſa ipſius finis: ergo pariter dici poteſt de meritis Chriſti comparative ad unionem. Urgetur amplius: in probabili Scotiſtarum opinione Deus decrevit gloriam conferre ante prævisa merita, & poſt prævisa merita ipſam conferre in præmium meritorum: ergo â pari Deus potuit decernere Incarnationem quoad ſubſtantiam ante prævisa merita Chriſti, & poſtea ex ipſis meritis executioni mandare ipſam Incarnationem.

35 Reſpondeo, negando antec.; quia ea mutua cauſalitas, etiam in cauſis moralibus, repugnat proprie loquendo; nam hæ cauſæ debent præcedere effectum: idem autem nequit eſſe prius & poſterius ſe ipſo. Ad probationem nego antecedens; ſi quidem non ſolum complacentia in merito reſpectu præmiantis eſt prior præmio, ſed etiam ipſummet meritum. Ratio eſt: antequam ſit complacentia meriti, debet eſſe exiſtens, ſaltem in prævisione ipſummet meritum, cum ipſum moveat ad talem complacentiam; unde ſequitur mutua prioritas in ipſo merito, & præmio. Ad confirmationem de cauſa finali, nego paritatem; quia finis ſolum ut poſsibilis movet, non ut exiſtens, vel futurus; meritum vero debet prævideri exiſtens, ut moveat. Sed clarius

36 Reſpondeo ad confirmationem, quod finis non cauſat, & producit ſe ipſum proprie; potius enim movet agens ad ſui conſecutionem, & productionem. Unde diſcrimen proprium inter finem, & meritum non eſt, quod finis ſit cauſa ſui ipſius, non vero meritum; ſed ſtat in hoc, quod cauſa finalis moveat, ut ipſamet ponatur in eſſe; cauſa vero meritoria movet, non ut ipſa ponatur, aut aliquod medium ad ipſam, ſed ut ponatur aliquid aliud, nempe, præmium; ex quo evidenter repugnat merito, quod poſſit ſe ipſum moraliter cauſare, quod erat intentum argumenti. Ad urgentiam omiſſo antec., de quo tom. 2. curſus huius Almæ

mæ Provinciæ, nego conſeq. & paritatem; quia gloria non eſt principium meritorum, nec eſt cauſa illorum, niſi finalis movens voluntatem prædeſtinati ad opera meritoria eficienda, ad quam motionem non requiritur, quod gloria ſit inexiſtentia, ſed ſufficit, quod ſit in ſpe; unio vero hypoſtatica fuit in Chriſto principium, & radix cuiuſcumque meriti Chriſti, & hic ſub merito cadere non poterat.

37 Arguitur 4. exemplo, quo ſatis moleſte utitur Suarez: poteſt Rex dare alicui Militi equum, & arma tamquam præmium propter opera bellica ponenda ſequenti tempore dependenter ab eiſdem armis, & equo: ergo & poſſet Deus dare humanitati Chriſti unionem hypoſtaticam in præmium operum, quæ faceret, mediante unione per modum anticipatæ ſolutionis, & præmii. Reſpondeo 1. negando antec.; quia ut Rex daret Militi equum, & arma in præmium futurorum operum, tamquam propter meritum, neceſſe erat, ut antequam daret illud præmium, videret opera futura; quia meritum non eſt cauſa præmii, niſi à præmiante cognoſcatur ut abſolute futurum; quod nequit verificari in exemplo; quia Rex deberet videre, quod Miles conſecuturus eſſet victoriam, antequam haberet voluntatem dandi arma, & equum, quod fieri nequit; cum victoria dependeret ab illa voluntate Regis dandi arma, & equum.

38 Reſpondeo 2. omiſſo antec. negando paritatem; quia in Milite, equo, & armis utente poteſt aſsignari aliquod antecedens uſſum equi, & armorum, quodque moveret Regem ad dandum illi equum in præmium, nempe, extrenuitas Militis, naturalis dexteritas ad utendum in bello, equo, & armis; & tunc Rex non dat arma Militi propter uſſum futurum in bello ab illis dependentem, ſed propter induſtriam, & alia opera, quę à Milite fieri poſſunt. In Chriſto autem nullum aſsignari valet opus antecedens unionem, quod poſsit movere Deum ad retribuendum illi unionem in præmium; cum prima, & radicalis ratio meriti in omnibus ejus operibus ab unione ipſa proveniat.

39 Replicabis 1.: poſſet Rex dare Militi in præmium victoriæ arma, & equum, ut mediis ipſis conſequatur victoriam, ſine quibus non poſſet conſequi: ergo & Deus dare potuit humanitati Chriſti unionem hypoſtaticam in præmium operum, quæ ea mediante faceret.

Reſ-

Reſpondeo, negando antecedens; quia tunc caſus Rex dans equum, & arma ad victoriam conſequendam, movetur à victoria, tamquam á cauſa finali, non vero tamquam á cauſa meritoria; quia ut ſic moveretur ab ea, deberet videre illam futuram, antequam vellet dare arma, à quibus ſupponitur dependere, quod implicat. Sic pariter in noſtro propoſito: illa prævisio operum humanitatis Chriſti in Deo ſufficeret ad conſtituendam cauſam finalem, non vero meritoriam; quia implicat, meritum præcedere rationem, & fundamentum meriti.

40 Replicabis 2.: licet Rex non daret arma, & equum Militi in præmium abſolute meritorum; quia ante largitionem horum nequit victoria videri abſolute futura, poſſet tamen dare ſub conditione, ſi conſequatur victoria; ſed merita conditionate futura poſſunt eſſe cauſa meritoria ſufficiens ad dandum præmium per modum anticipatæ ſolutionis: ergo &c. Reſpondeo, negando min.; quia meritum conditionatè futurum nullum poteſt habere jus in præmium; alias poſſet Deus damnare aliquem, & ſalvare ob demerita, & merita ſolum conditionatè futura, quod eſt falſum. Rex ergo dando equum, & arma ob victoriam conditionatè futuram, ſolum moveretur à victoria tamquam a cauſa finali, hoc eſt, ex amore victoriæ daret arma tamquam media, ut Miles victoriam conſequeretur.

41 Unde, ut aliæ replicæ, quæ hic fieri ſolent, ſolvantur, notandum eſt, quod in tali caſu Rex daret abſolute gratis Militi arma, & equum, ſub conditione tandem operum futurorum, medio contractu innominato: *do, ut facias*; ita ut Miles in inſtanti, quo conſequeretur victoriam, fieret abſolute Dominus armorum, & equi: & Rex ex juſtitia teneretur concedere ipſa Militi in præmium ſuorum laborum; at vero ſi victoriam non conſequatur, ea teneatur reddere Regi. Vel dic, quod prima datio equi, & armorum eſt quædam *commodatio* ſub conditione victoriæ futuræ medio tali contractu innominato: *do, ut facias.* Imo ex ipſo exemplo ſequitur, non eſſe idem principium meriti, & præmium; quia principium meriti in Milite eſt ejus induſtria, & dexteritas cum commodatione equi, & armorum; præmium vero eſt retentio, poſſeſsio, & dominium equi, & armorum poſt purificatam conditionem de victoria. Unde ab initio data ſunt Militi, ut mereretur; ſed non quia meruit.

Ar-

42 Arguitur 5. & eſt replica : ex ſolutione ſequitur, quod Chriſtus Dominus potuit de potentia abſoluta mereri conſervationem , & perſeverantiam unionis hypoſtaticæ : ergo & ipſam unionem hypoſtaticam. Probatur antec. : potuit Deus velle, dari humanitati aſſumptæ unionem hypoſtaticam cum hac conditione , quod ſi Chriſtus bene operaretur , poſtea mereretur illius continuationem , & perpetuitatem : ergo potuit Chriſtus mereri continuationem unionis hypoſtaticæ, ejuſque perpetuitatem. Prima conſequentia patet; quia conſervatio unionis eſt ejuſdem rationis cum ipſa unione: ergo ſi conſervatio poteſt cadere ſub merito , etiam & unio : vel ſi hæc non poteſt , nec conſervatio poterit.

43 Reſpondeo conceſſo antec. , ſaltem de potentia Dei abſoluta , negando conſeq.. Ratio eſt ; quia in merito conſervationis aliud eſt præmium , aliud meritum : & principium meriti non caderet ſub merito , ſicut caderet merendo primam productionem unionis. Ratio eſt ; quia in merito conſervationis præmium eſt conſervatio unionis jam productę , quę continuatio non eſt ratio valoris illius primi operis Chriſti Domini, per quod illam continuationem mereretur , & ſic ſolum eſſet effectus. An vero de facto Chriſtus Dominus meruerit talem continuationem ? ſub dubio Scotiſtarum eſt. Vide N. Maſtrium cit. num. 460,

44 Arguitur 6. : juxta Doct. in 1 . diſt. 17. potuit Deus de potentia abſoluta actum bonum moralem , & pure naturalem acceptare tamquam de condigno meritorium alicuius præmij ſupernaturalis : ergo & potuit acceptare aliquem actum elicitum à Chriſto Domino poſt Incarnationem , non prout provenientem à gratia unionis, tamquam cauſam meritoriam de condigno ipſiuſmet unionis. Reſpondeo , omiſſo antec., de quo in materia de merito , negando ſuppoſitum conſequentis ; repugnat enim aliquis actus naturalis Chriſti Domini non proveniens (ſaltem valorativé) ab unione hypoſtatica ; cum ad eſſe naturale , & entitativum Chriſti Domini ſit neceſſaria unio hypoſtatica. Unde cauſa illius actus valorativa eſſet ſuppoſitum Verbi , ut per ſæpè diximus ; & ſic ſemper reddit inconveniens in prima probatione concluſionis appoſitum , ſcilicet , quod principium meriti reſpectu illius actus , ſcilicet , unio hypoſtatica, caderet ſub merito talis actus.

Ar-

45 Arguunt tandem alij, quod licet Chriſtus Dominus per opera ſubſecuta ad Incarnationem non potuerit ipſam mereri, tamquam per meritum impetratorium, movens per modum cauſę moralis ad retribuendum præmium; potuit tamen mereri per meritum compenſativum, aut ſolutivum: ergo potuit ſic mereri. Reſpondeo breviter, quod nec Scriptura, nec PP. agnoverunt meritum compenſativum, ſed unice impetratorium, & remunerandum. Unde uſque dum nobis conſtet de exiſtentia talis meriti, nego ſuppoſitum antecedentis. Deinde hac diſtinctione meritorum admiſſa, facile Semipelagiani reſponderent authoritatibus Sac. Scripturæ, & SS. PP., quibus docetur, primam gratiam vocationis non poſſe cadere ſub merito; nam concederent de merito *impetratorio*, & negarent de *compenſitivo*.

SECT. III.

In qua ſolvuntur aliqua dubia huius materiæ.

46 Dubitabis 1.: an Chriſtus Dominus meruit, vel mereri potuit circunſtantias Incarnationis? Pro reſolutione nota, quod circunſtantiæ Incarnationis ſunt in triplici differentia: unæ, ſcilicet, antecedentes, ut quod Incarnatio ſit prædicta oraculis Prophetarum; ab Angelo annuntiata; quod Chriſtus deſcendat ex Abrahamo, & Regia ſtirpe. Alię ſunt concommitantes, ut quod Incarnatio ſit facta ex fœmina Virgine; tali loco, & tempore. Alię demùm ſubſequentes Incarnationem, ut laudari ab Angelis; adorari à Magis. Et quamvis de omnibus his circunſtantijs procedere poſsit difficultas; tamen de circunſtantijs ſubſequentibus breviter.

47 Dico 1., quod Chriſtus Dominus de facto eas meruit. Probatur: tales circunſtantię non ſe habent ex parte principij merendi, ſcilicet, unionis hypoſtaticæ, ſed ad illam ſubſequuntur: ergo potuerunt cadere ſub merito Chriſti: ſed id, quod cedit in gloriam, & excellentiam Chriſti, de facto concedendum eſt ipſi, ſi non ſequitur aliquod inconveniens: ergo de facto illas meruit. Ob hanc rationem, dicimus etiam, quod meruit curam Beatæ Virginis, & Divi Joſeph, fugam in Ægyptum ad præcavendam mortem: extenſionem unionis hypoſtaticæ ad partes ſubſequentes, quas per nutritionem acquirebat: reunionem ſuæ humanitatis ad Verbum in Reſurrectione: aſſumptionem in Cœlum; & tandem ſedere ad dexte-

teram Dei Patris, & alia huiuſmodi.

48 Quoad circunſtantias vero antecedentes, & concommitantes nota, quod iſtæ adhuc ſunt in duplici differentia: unæ *per ſe*, & aliæ *per accidens*. Primæ ſunt, quæ ex parte principij fuerunt neceſſariæ, ut quod unio fieret Verbo non Patri, aut Spiritui Sancto. Secundæ vero è contra, ſunt, quæ non fuerunt neceſſariæ ex parte principij, ut quod Beatiſsima Virgo v.g. fuerit ejus Mater. Hoc notato; dico, quod Chriſtus non meruit circunſtantias per ſe exigitas; bene vero circunſtantias per accidens. Prima pars conſtat ex dictis ſect. antec.; eo, quod principium meriti nequit cadere ſub merito; ſed circunſtantiæ per ſe exigitæ ad Incarnationem, vel ſunt principium meriti, vel ſaltem ſe tenent neceſſario ex parte principij: ergo nequeunt mereri. Secunda pars etiam patet; quia circunſtantiæ per accidens antecedentes, & concommitantes non requiruntur per ſe ad Incarnationem: ergo poſſunt cadere ſub merito ſecuto ad illam: ergo de facto Chriſtus Dominus illas meruit; nam cum Chriſti Domini opera ſint ſummi valoris, credibile eſt, Deum illa ordinaſſe ad omnia præmia poſsibilia.

49 Dubitabis 2.: an SS. PP. meruerint de congruo Incarnationem quoad ſubſtantiam? Reſpondeo, negativé. Eſt contra plures Thomiſtas, & Suarez. Sed certe Angelicus Præceptor 3. parte, quæſt. 2. art. 11. hoc meritum negat Beatiſsimæ Virgini; & in 3. diſt. 4. quæſt. 3. art. 1. ad 6. Prob. ratione noſtri Doctoris: principium meriti nequit cadere ſub merito, ut probatum manet ſect. antec.; ſed Incarnatio quoad ſubſtantiam in hac ſerie rerum eſt principium meritorum SS. PP. juxta illud Joannis 1.: de *plenitudine ejus omnes accepimus, & gratiam pro gratia :: gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*: ergo talis Incarnatio quoad ſubſtantiam nequit cadere ſub merito SS. PP., qui ejus adventum præceſſerunt. Reſponſiones, & argumenta contrariorum ſunt eadem, ac propoſita in ſect. anteced.. Vide ea ibi ſoluta.

50 Dubitabis 3.: an ſaltèm meruerint SS. PP. de congruò aliquas circunſtantias Incarnationis. Circunſtantiæ, de quibus eſt difficultas, ſunt ſtirpis, loci, temporis, & accelerationis. Reſpondeo affirmative. De circunſtantia ſtirpis conſtat ex illo Geneſ. 22.: *quia feciſti rem hanc, & non peperciſti Filio tuo propter me, benedicentur*

in ſemine tuo omnes Gentes ; & ex illo Pſalmi 131. : *de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Ex quibus deducunt SS. PP., antiquos meruiſſe, quod ex ſuo genere oriretur Chriſtus. De circunſtantia loci conſtat ex illo Iſaiæ 16. : *emitte Agnum Domine Dominatorem terræ de petra deſerti ad montem Filiæ Sion.* Et Michæas 5. tu *Betelehem terra Juda* ; *ex te enim exiet Dux, qui regat Populum meum Iſrael.* De circunſtantia acceleracionis conſtat ex Daniele Propheta 9. dicente : *ſeptuaginta hebdomades abreviatæ ſunt, ut conſumetur prevaricatio, & ungatur Sanctus Sanctorum* : ergo omnes has circunſtantias meruerunt antiqui SS. PP.

51 Dubitabis ultimo: an de potentia Dei abſoluta poſſit Incarnatio quoad ſubſtantiam cadere ſub merito puræ creaturæ? Reſpondeo negative; probatur : meritum de condigno inter alias conditiones maximé exigit æqualitatem cum præmio ſecundum moralem, & Prudentum exiſtimationum ; ſed nullum opus puræ creaturæ poteſt éſſe in morali æſtimatione æquale cum Incarnatione quoad ſubſtantiam ; cum hoc ſit donum infinite æſtimabile, ordiniſque hypoſtatici, ad quod nullum opus puræ creaturæ, etſi excellentiſsimum ſit, attingere valet : ergo &c. Alia dubiola minoris momenti vide apud AA. Nunc ſit

QUÆST. V.

Quid Chriſtus Dominus nobis meruerit?

1 QUia ſub hoc titulo variæ difficultates continentur, ideo ut claritate poſsibili procedamus, eam in varias ſectiones ſecabimus. Sed per prius, ut certa ab incertis ſeparemus, aliqua notanda ſunt. Noto 1. quod in communi Theologorum, Chriſtus Dominus meruit omnibus lapſis omnem gratiam illis collatam, gratiam juſtificantem, remiſsionem peccati, tam originalis, quam perſonalis. Hoc conſtat ex inſtitutione, & efficacia Sacramentorum, quæ ſunt fontes gratiarum, & donorum, quibus à peccatis ad juſtitiam peccatores perveniunt; quæque Sacramenta habent eſſe ex meritis Chriſti. Conſtat etiam ex illo Paul. ad Epheſ. 1. : *in quo habemus Redemptionem per ſanguinem ejus, & remiſsionem peccatorum ſecundum divitias gratiæ ejus, quæ ſuperabundavit in nobis.* Et ad Roman. 3. : *juſtificati gratis per gratiam ipſius per Re-*

Redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu.

2 Noto 2. ; quod Chriſtus Dominus etiam meruit nobis diſpoſitiones, quibus præparamur ad gratiam juſtificantem, & peccatorum remiſſionem, uti ſunt motus fidei, ſpei, dilectionis, & contributionis, & etiam auxilia ad tales diſpoſitiones. Hoc ſatis conſtat ex Trid. ſeſ. 6. cap. 5. dicente : *ipſius juſtificationis initium in adultis à Dei per Chriſtum Jeſum præveniente gratia ſumendum eſſe.* Et ultra eadem ſeſ. cap. 16. cum, *ille ipſe Chriſtus Jeſu tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites in ipſos juſtificatos jugiter virtutum influat, quę virtus bona eorum opera ſemper antecedit, commitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo, grata, & meritoria eſſe poſſent.* Videatur etiam N. Subt. Doct. in 3. diſt. 19. q. unic..

3 Noto 3., quod Chriſtus Dominus etiam nobis meruit vitam æternam. Conſtat ex illo Joannis 10. : *ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Et Apoſt. ad Roman. 6. : *gratia Dei, vita æterna in Chriſto Jeſu Domino Noſtro.* Sed advertendum eſt, quod reſpectu illorum qui vitam ęternam conſequuntur, eam meruit Chriſtus Dominus, necdum quoad ſufficientiam, ſed etiam quoad efficaciam ; reſpectu vero illorum, qui eam non conſequuntur, meruit ſolum quoad ſufficientiam. Sed ultra nota, quod per hoc, quod Chriſtus nobis meruit vitam æternam nolumus excludere meritum de condigno in adultis reſpectu talis gloriæ. Ex his etiam conſtat, quod Chriſtus Dominus fuit cauſa meritoria noſtrę prędeſtinationis, & omnium effectuum illius quoad executionem ; nam voluntas dandi nobis gloriam, & pactum iſtius retributionis fuit per merita Chriſti, ut colligitur ex Trid. ſeſ. 6. cap. 16. dicente: *proponenda eſt vita ęterna, tamquam gratia Filiis Dei per Chriſtum miſericorditer promiſſa, & tamquam merces &c.* His ergo notatis, ſub titulo præſentis quæſtionis reſolvendum eſt, quid Chriſtus Angelis, ejus Purifsimæ Matri, primis Parentibus nobiſque meruit. Pro quo ſit,

SECT. I.

An Chriſtus Dominus meruerit Angelis, & hominibus æternam prædeſtinationem, ſeu electionem ad gloriam?

4 Ante reſolutionem nota, quod hic loquimur de meritis Chriſti Domini prędeſcinden-

tibus à paſsibilitate, & impaſsibilitate modo, quo explicabitur diſp. ult. huius. Hæc merita ſunt, quæ conſiſtunt in actibus charitatis, & aliarum virtutum, quæ ſine corpore paſsibili, & mortali exerceri valent, per diſtinctionem ad illa, quæ fundantur in actibus neceſſario indigentibus corpore paſsibili, ut jejunia, ſudor ſanguinis, vulnera paſsionis, & ipſa mors. De iſtis ergo meritis ſic præſcindentibus, & præviſis ante electionem prædeſtinatorum ad gloriam, & abſolutam præviſionem peccati, quærimus, an fuerint cauſa meritoria æternæ prædeſtinationis Angelorum, & hominum? Et hoc, non prout prædeſtinatio dicit, actum divinæ voluntatis; repugnat enim, quòd talis actus habeat aliquam cauſam; ſed unice prout dicit liberam terminationem divinæ voluntatis circa electos, & prædeſtinatos.

5 Circa quam difficultatem triplex refertur ſententia: prima eſt abſolute negativa dicens, Chriſtum ſolum nobis meruiſſe electionem, & prædeſtinationem, ad gloriam ſolum in ordine *executivo*, non vero in *intentivo*. Sic plures Scotiſtæ cum N. Maſtrio hic diſp. 3. quæſt. 13. art. 1. citante pro ſe Doct. in 3. diſt. 19. Secunda affirmat, Chriſtum tam in ordine executivo, quam intentivo meruiſſe Angelis, & hominibus prædeſtinationem ad gloriam. Sic communior Thomiſtarum cum plurimis Scotiſtis, & etiam curſus huius Almæ Provinciæ tom. 2. tract. 5. diſp. 2. quæſt. 5. Tertia media diſtinguit de electione ad gloriam prout dicit meram dilectionem divinam circa tale objectum; vel prout ultra connotat electionem unius præ alio. In primo ſenſu affirmat, Chriſtum meruiſſe talem electionem; ſecus vero in ſecundo ſenſu. Ita Suarez cum plurimis Jeſuitis. Quid nobis; ſit

CONCLUSIO.

6 Chriſtus Dominus in ordine intentivo meruit Angelis, & hominibus prædeſtinationem ad gloriam. Eſt conformis ſecundæ ſententiæ. Probaturque 1. ex Scriptura; nam ad Epheſ. 1. dicitur: *benedixit nos Deus omni benedictione ſpirituali in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus Sancti.* Et paulo infra: *qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ.* Nec valet reſpondere, quod Chriſtus fuit cauſa finalis, & exemplaris noſtræ prædeſtinationis. Non valet; quia ut notatur, dum ly *in* conjungitur cum ablativo, ſignificat cauſam

ſam meritoriam; unde juxta phraſim græcam: *in* Chriſto idem eſt, ac *per* Chriſtum, hoc eſt, per ejus merita; ſed in prima authoritate ly *in* conjungitur cum ablativo: ergo ſignificat meritoriam cauſam.

7 Probatur 2. concluſio ex illa maxima N. Doct. in 3. diſt. 13.: *in commendando Chriſtum Dominum malo excedere, quam deficere à laude ſibi debita, ſi propter ignorantiam opporteat in alterum incidere.* Quę maxima fundatur in Aug. lib. 3. de lib. arbit. Nunc ſic; ſed magis cedit incommendationem, & laudem Chriſti, quod ſit cauſa meritoria noſtræ prędeſtinationis in ordine intentivo; & alias ex hoc nulla ſequitur repugnantia: ergo &c. Prob. min. quoad 2. part.: ſi aliqua eſſet repugnantia; vel quia merita Chriſti non fuerunt prævisa ante prędeſtinationem noſtram: vel quia Chriſtus nobis meruiſſet in ordine intentivo primam gratiam; ſed ex nullo ex his ſequitur repugnantia: ergo &c. Min. quoad 1. part. conſtabit ex dicendis diſp. ult. huius. Quoad 2. conſtat ex num. 1. huius quæſt.

8 Prob. 3. concluſio ratione: Deus nihil exequitur in tempore niſi juxta decretum æternum formatum de rebus in tempore faciendis; ſed omnes concedunt, gratiam, & gloriam nobis concedi in tempore propter merita Chriſti, tamquam præmium ipſorum: ergo Deus ab æterno decrevit in ordine intentivo concedere nobis gratiam, & gloriam intuitu meritorum Chriſti, & conſequenter Chriſtus in ordine intentivo fuit cauſa meritoria noſtræ prædeſtinationis. Mai. pat.; quia Deus non mutatur, nec vult in tempore, quod non voluerit ab æterno in omnibus circunſtantijs, in quibus vult in tempore: ergo nihil exequitur in tempore &c.

9 Probatur tandèm concluſio, præcipuę contra 3. ſententiam: ſi prædeſtinatio Petri v. g., prout eſt electio ejuſdem præ alio, ſcilicet, Juda, non penderet à meritis Chriſti prævisis, ſequeretur, quod Petrus ſalvatus factus fuiſſet, etiam ſi Chriſtus non veniſſet; ſed hoc eſt falſum; quia juxta SS. PP. Chriſtus venit, ut ſalvum faceret genus humanum: ergo &c. Prob. mai.: omne decretum, quo Deus prædeſtinavit Petrum, & ipſum elegit præ alio, independenter à meritis Chriſti, fuit efficax, irrevocabile, & infallibile: ergo etiam ſi Chriſtus non veniſſet, executioni mandatum fuiſſet, & conſequenter Petrus ſalvus factus fuiſſet, etiam ſi Chriſtus non veniſſet. Ex quo

ſe-

ſequitur, quod nec Div. Petrus, nec qui ſalvantur, multum tenerentur referre gratias Chriſto Domino pro eorum æterna ſalute; nam cum omnia dona, & beneficia ſupernaturalia ſint effectus prædeſtinationis, ſi Chriſtus iſtam non meruit, ipſis etiam collata fuiſſent talia dona abſque meritis Chriſti; ſed hæc ſequela derogat excellentiæ Chriſti Domini: ergo.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

10 Arguitur 1. ex pluribus locis Sac. Script., in quibus prędeſtinatio electorum revocatur in divinam voluntatem, & appellatur opus divinæ miſericordiæ; ut in illo ad Epheſ. 1.: *qui prædeſtinavit nos :: ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ gratiæ ſuæ.* Et verſic. 11., *in quo nos ſorte vocati ſumus prędeſtinati ſecundum propoſitum eius*; ſed ſi propter meritum Chriſti emanaſſet primum propoſitum ſalvandi electos, ratio talis electionis eſſet oſtenſio juſtitiæ meritorum Chriſti, & non ratio bonitatis, prout gratia, & bonitas à juſtitia diſtinguitur; ergo &c. Huic argumento ſuperabunde factum eſt in curſu noſtrę Provinciæ tom. 2. diſp. 2. quæſt. 4. per totam. Unde ex ibi dictis breviter pro nunc

11 Reſpondeo omittendo, quod prædeſtinatio noſtra gratuita dicatur, & opus divinę miſericordiæ reſpectu ipſorum electorum; non vero ſic dicitur reſpectu Chriſti, propter cuius merita eos prædeſtinavit. Bene enim dicitur: rationem ſalvandi electos eſſe laudem gloriæ gratiæ Dei, & oſtenſionem bonitatis ejus; quia propter iſtos fines Deus omnes electos prædeſtinavit, imo & ipſum Chriſtum. Sed cum hoc optime compatitur, quod Chriſtus Dominus ſit cauſa moralis noſtræ prædeſtinationis in intentione; nam ſemper prædeſtinatio noſtra erit ex multis gratijs creditoris Dei, qui principia meritorum de ſuo elargitur, & cui alijs titulis ea debentur, & quæ gratioſe acceptat, ut merita, & cum pacto præmiandi, cum poſſet non ſic acceptare. Unde ut ait Doct.; *tota Trinitas pro eis*, ſcilicet, *prædeſtinatis, paſſionem Chriſti efficaciter acceptavit.*

12 Arguitur 2. ex illo Joan. 17.: *quos dediſti mihi, cuſtodivi*: ergo prima datio electorum fuit liberaliter à Deo, quamvis Chriſtus executionem meruerit; & conſequenter quoad ordinem intentionis electio prædeſtinatorum non fuit ex meritis Chriſti. Prima conſeq. conſtat ex PP. probantibus gratiam, &

fi-

fidem non eſſe ex noſtris meritis; quia ſunt nobis à Deo data. Confirmatur ex illo Mathæi 20., ubi Chriſtus ait: *ſedere autem ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo*; ſed ſi Chriſtus meruiſſet electionem prędeſtinatorum, ipſius eſſet dare gloriam: ergo. Reſpondeo, negando primam conſeq.. Ad probationem dico, quod PP. colligunt fidem, & gratiam eſſe abſeque meritis non præciſſe, quia datæ; ſed quia datę gratis, & ut donum Dei. Sic ad Epheſ. 4. dicitur: *gratia enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis*; *Dei enim donum eſt*. Ut hoc intelligatur.

13 Nota, quod *donum*, & *datum* diſtinguuntur; nam *donum* eſt plenè liberale, ita ut excludat omnem obligationem adhuc gratitudinis. *Datum* vero hoc non habet: & ſic vere, & proprie dicitur dare ille qui aliquid tribuit, ſive intercedat, ſive non obligatio aliqua. Unde cum fides, & gratia ſint dona Dei, optime colligunt PP. non eſſe ex noſtris meritis, cum vero de prædeſtinatis dicatur, quod ſint dati à Patre Chriſto, non bene infertur, quod hæc datio non fuerit facta ex prævijs meritis ipſiuſmet Chriſti. Ad confirmationem ex Math. dico, quod Chriſtus ſolum voluit, non eſſe ſuum dare gloriam titulo conſanguinitatis; abſolute tamen poterat eam dare juxta illud Lucæ 22.: *ego diſpono vobis regnum, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus.*

14 Arguitur 3.: Chriſtus prædeſtinatus eſt in eodem inſtanti naturæ, quo ceteri electi; ſed iſti prius prædeſtinati fuere ad gratiam, & gloriam, quam prævideretur paſsio Chriſti: ergo quia electi non fuerunt prędeſtinati ex meritis Chriſti. Maior conſtabit ex dicendis diſp. ult. de ſerie decretorum in hoc myſterio. Reſpondeo, diſtinguendo mai.: Chriſtus prædeſtinatus eſt in eodem inſtanti naturę, & pro ſigno priori, ut pote caput omnium prędeſtinatorum, conc. mai.: & pro ſigno poſteriori, quo alij electi, nego mai, & conceſſa min. nego conſeq.. Chriſtus ergo meruit electionem prędeſtinatorum non per merita dependentia à carne paſsibili; ſed independentia à proxima paſsibilitate, & ſic ſtat bene, quod quando Chriſtus obtulit merita ſuę mortis, & paſsionis, jam electi eſſent prædeſtinati a Deo; non vero quando obtulit ſua merita præſcindentia à carne paſsibili, ut actum charitatis, & aliarum virtutum, quæ ſine corpore paſsibili, & mortali exerceri valent.

Ar-

15 Arguitur ultimo argumento validiori apud Maſtrium: ordinate volens, prius vult finem, quam media ad finem: ergo cum merita Chriſti ſint media ordinata ad noſtram gloriam, videntur in Deo ſupponere aliquam intentionem talis finis, cuius ipſa non ſint ullo modo ratio, aut cauſa meritoria. Hoc argumentum Maſtrij ad longum ſolutum eſt tom. 2. tract. 5. diſp. 2. quæſt. 4. ſect. 4. à num. 103.; quare ex ibi dictis

16 Reſpondeo diſtinguendo mai.: ordinate volens prius vult finem, quam media ad finem, quando talis finis eſt abſolutus ab omni circunſtantia relationis, & nullatenus dependens à medijs, conc. antec.: quando finis non eſt ſic abſolutus ab omni circunſtantia relationis, neque independens á meritis, nego antec., & conſeq.. Alijs terminis diſtinguo antec.: ordinate volens prius vult finem, quam media, ſi media non ſint propter ſe volibilia, concedo antec.; ſi ſunt media propter ſe volibilia, nego antec. & conſeq. Alias diſtinctiones ſolent Scotiſtæ dare huic maximę. Sed iſtæ pro nunc ſufficiant, quęque ſubtiliter explicatæ ſunt in loc. cit. Unde vide ibi á num. 105.

SECT. II.

An Chriſtus Dominus meruerit Angelis, & primis parentibus primam gratiam, & gloriam eſſentialem?

17 Concluſio: Chriſtus Dominus meruit Angelis, ac primis parentibus in ſtatu Innocentiæ primam gratiam, & gloriam eſſentialem. Eſt conformior menti Doctoris locis cit. contra quam plures Scotiſtas, & Thomiſtas. Prob. 1. ex SS. PP.: Div. Cyril. lib. 1. in Iſaiam, ait: *per Chriſtum omnis fructificatio ſpiritualis tum in Sanctis Angelis, tum in nobis inſita eſt.* Et lib. 9. de adoratione: *verax eſt Joannes dicens, quod ex plenitudine ejus omnes accepimus; Chriſti non eſt particeps omnis viſibilis, & inviſibilis creatura, Angelique, & Archangeli :: non alia ratione ſancti ſunt, pręterquam per ſolum Chriſtum.* Hoc idem tenent Hieronymus, Fulgentius, Div. Gregor. & Bernard..

18 Nec valet, reſpondere, SS. PP. loqui de Chriſto, non ut homine, ſed ut Deo. Non valet, inquam; quia SS. PP. loquebantur ut in plurimum de cauſa meritoria ſanctificationis, & redemptionis; & in hoc ſenſu dicunt Chriſtum futurum, & præ-

prævíſſum fuiſſe ſanctificationem Angelorum, & redemptionem noſtram; ſed Chriſtus, ut Deus, nequit eſſe cauſa meritoria ſanctificationis Angelorum, noſtræque redemptionis, ut per ſe patet: ergo quia loquebantur de Chriſto, ut homine. Deinde; ſi ſolus Chriſtus, ut Deus, eſſet ſanctificatio Angelorum, redemptioque noſtra, non magis Filius incarnatus, quam Pater, & Spiritus Sanctus eſſet ſanctificatio Angelorum, noſtraque redemptio, quod nequit dici: ergo &c.

19 Probatur 2. concluſio ratione, & in ſimul impugnatur data reſponſio: Chriſtus, in quantum homo, non ſolum eſt caput ſpirituale hominum, incluſis Protoparentibus, ſed etiam Angelorum: ergo meruit Angelis, & primis parentibus gratiam ſanctificantem. Antec. conſtat ex Apoſt. ad Coloſenſ. 2. ubi ait: *eſt caput omnis principatus, & poteſtatis.* Et Div. Aug. in Pſalm. 36, contion. 3. dicit: *Chriſtus caput eſt, cuius membra ſunt omnes, qui ab initio fuerunt juſti, conjunctis etiam legionibus Angelorum, & exercitibus.* Prob. conſeq.: de ratione capitis eſt influere vitam ſpiritualem in membris, tali vita potentibus vivere; quæque vita eſt gratia ſanctificans; ſed Angeli, & Protoparentes poterant vivere, imo vixerunt tali vita: ergo quia Chriſtus ut caput influxit talem vitam ſpiritualem in omnia hæc membra; & conſequenter, meruit Angelis, & Protoparentibus, ut homo, primam gratiam ſanctificantem.

20 Confirmatur, & explicatur hæc ratio: Chriſtus fuit prævíſus ut abſolute futurus, antequam Deus haberet decretum creandi Angelos, & homines conferendique illis gratiam, & gloriam, & ſic fuit primus prædeſtinatus ad omnem gratiam, & gloriam quoad ſubſtantiam, quam de facto habet: & maxime ad dignitatem capitis, & primogeniti omnis creaturæ; ſed hoc ipſo in illo priori ſigno, in quo Chriſtus ſic fuit primo prævíſus, & prædeſtinatus, fuerunt etiam prævíſi ejus actus dilectionis, & amoris, & actus aliarum virtutum, quæ ſine corpore paſsibili, & mortali exerceri poſſunt: ergo poterat Deus propter illos actus libere eliciendos à Chriſto Domino, velle conferre gratiam, & gloriam eſſentialem Angelis, & primis parentibus. Nunc ſic; ſed ſi hoc fieri potuit, ſic de facto factum dicendum eſt; cum cedat in excellentiam Chriſti, reddatque Angelos Chriſto obligatos: ergo de facto Chriſtus Dominus meruit Angelis, & Protoparentibus primam gra-

tiam, & gloriam eſſentialem.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

21 Arguitur 1. ex Scriptura: & 1. ex illo Angeli ad Paſtores Lucę cap. 2.: *evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodie Salvator.* Ubi obſervat Gonet, quod non dixit Angelus *natus eſt nobis*, ſed *vobis Salvator*: ergo quia Chriſtus non fuit Salvator Angelorum. 2. ex cap. 2. ad Hębreos, ubi Apoſt. ait: *qui enim ſanctificantur, ex uno omnes*, (ſcilicet, ex uno Adamo deſcendentes,) *Quia ergo Pueri communicaverunt carni, & ſanguini, & ipſe ſimiliter participavit eiſdem.* Ex quibus arguit Gonet: omnes, qui ſanctificantur à Chriſto, vocantur pueri, & Fratres ipſius; quia communicaverunt carni, & ſanguini ejus; ſed Angeli non communicaverunt carni, & ſanguini Chriſti, ut pote ſpiritus puri: ergo nec ſanctificati fuerunt per Chriſtum; & conſequenter Chriſtus non meruit eis primam gratiam.

22 Reſpondeo, quod hęc, aliaque loca Sac. Scripturę, quæ hic adducit Gonet, intelligenda ſunt, ut communiter intelliguntur à SS. PP., de Chriſto Domino Salvatore, reparativo, & ſublevativo; non vero de Chriſto Salvatore præſervativo. Ratio eſt; quia præcipuus ſcopus erat commendare Dei, & Chriſti charitatem erga homines, ad quod multum faciebat redemptio Chriſti Domini per ejus accerviſſimam paſſionem, & mortem; & ad huiuſmodi charitatem oſtendendam erga homines, parum, aut nihil conducebat ſanctificatio Angelorum; cum Angeli non fuerint redempti, nec ſublevati per merita Chriſti orta ex ejus paſſione, & morte, ſed ſolum præſervati, per merita præſcindentia ab ejus paſſibilitate, vel impaſſibilitate proxima. Unde non mirum, quod de ipſis non loquatur Scriptura.

23 Arguitur 2.: Angeli non judicabuntur à Chriſto, ut homine: ergo quia non habuerunt gratiam, & gloriam per ipſum. Prob. conſeq.: homines judicabuntur à Chriſto ut homine; quia ex ejus meritis habent gratiam, & gloriam: ergo ſi Angeli non judicantur à Chriſto, ut homine, eſt, quia ex ejus meritis non habent gratiam, & gloriam. Reſpondeo 1. negando antec.; quia non ſolum Chriſtus Dominus, ſed etiam Apoſtoli erunt in die judicii Judices Angelorum juxta illud Apoſtoli 1. ad Chorint. cap. 6. *neſcitis, quoniam Angelos Dei judicabimus?*

Ju-

Judicabunt enim Angelos bonos judicio approbationis, laudis, & glorificationis; Angelos vero malos judicio condemnationis.

24 Reſpondeo 2., omiſſo anteced., negando conſeq.. Ad cuius probationem, nego cauſalem; nam judicio Chriſti ſubjicientur homines; non quia gratiam, & gloriam eſſentialem ex meritis Chriſti receperunt; ſed quia puniendi, aut præmiandi ſunt propter ſua merita, aut de merita; ideoque bonis, quatenus per propria merita ad imitationem Chriſti ſe exercuerunt in operibus charitatis, humilitatis, & aliarum virtutum dicet Chriſtus Dominus: *venite benedicti Patris mei, &c. eſurivi enim, & dediſtis mihi &c.* Et per oppoſitum damnatis: *ite maledicti &c. eſurivi enim, & non dediſtis mihi, &.*

25 Arguitur 3.: omne meritum Chriſti pro his, quos ſanctificavit, ita fuit à Paſsione, & morte ſua conſummatum, ut nemo per Chriſtum ſanctificatus ſit, niſi pro eo Chriſtus paſſus, & mortuus ſit; ſed Angeli non ſunt ſanctificati per mortem, & paſsionem Chriſti; quia ut paſſim docent SS. PP., Chriſtus non fuit mortuus pro Angelis, nec iſti fuerunt redempti: ergo &c. Reſpondeo diſtinguendo mai.: omne meritum Chriſti pro his, qui ſanctificati ſunt *ſanctitate ſanativa, & redemptiva*, ita fuit à Paſsione, & morte &c. conc. mai.: *ſanctitate præſervativa*, nego mai. & conceſſa min. nego conſeq.. Solutio ſatis conſtat ex ſolutione data pro primo argumento.

26 Arguitur 4.: nullus juſtificatus per merita Chriſti eſt glorificatus ante merita Chriſti per paſsionem conſumata; ſed Angeli ſunt glorificati ante merita Chriſti per paſsionem conſumata, ut eſt de fide, & patet ex illo Math. 18.: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei*: ergo non ſunt juſtificati per merita Chriſti. Prob. mai.; exemplo antiquorum PP., qui Incarnationem præceſſerunt; ideo enim illi non ſunt glorificati ante paſſionem Chriſti; quia eorum gratia erat derivata à Chriſto, & non debebat prius conſumari in membris, quam in capite, à quo derivabatur.

27 Reſpondeo, negando mai., ad eius probationem, nego paritatem; quia antiqui PP. non poterant intrare in gloriam anticipate ad exhibitionem meriti; quia meruerunt excluſionem ab ea ob peccatum originale, quod per Chriſti Domini paſsionem erat expiandum; & ideo uſque dum Chriſtus Dominus exhibuit ſatisfactionem, &

pretium in Ara-Crucis erat illis clauſum Regnum Cœlorum. At vero ex parte Angelorum nullum erat peccatum expiandum, & ſic non erat ratio differendi illis gratiam, & gloriam uſque ad paſſionem Chriſti Domini.

28 Arguitur 5.: in his quæ Chriſtus Dominus pro ſe ipſo meruit, de quibuſque quæſtionibus antecedentibus; eius meritum conſumavit per paſsionem, & mortem ſuam juxta illud Luc. 24.: *nonne ſic opportuit, Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?* ergo à fortiori omne Chriſti meritum pro his, quos ſanctificavit morte, & paſsione ſua conſumatum eſt: & cum Angeli non ſint ſanctificati ex meritis paſsionis, & mortis Chriſti Domini, ſequitur, quod ex nullis eius meritis habuerint gratiam. Reſpondeo negando paritatem; quia cum Chriſtus non ſibi meruerit, niſi gloriam ſui corporis, ſuique nominis exaltationem, in his, quæ pro ſe ipſo meruit conſumavit meritum ſuum per paſsionem, & mortem; quia corpus erat glorificandum, & nomen exaltandum poſt mortem. Angeli vero erant ſanctificandi, & glorificandi ante paſsionem, & mortem Chriſti: & ſic per actus dilectionis Dei ſuper omnia, ante præſcientiam Adami prævisi potuit Angelis mereri gratiam, & gloriam eſſentialem.

29 Arguitur denique: ſi primus Parens ante lapſum habuiſſet gratiam ex meritis Chriſti, debuiſſet illum cognoſcere, ipſique facta fuiſſet revelatio de Chriſto; ſed hoc eſt falſum, & abſque ullo fundamento diceretur: ergo &c. Reſpondeo 1., quod nullum inconveniens ſequeretur ex eo, quod Adamo facta fuiſſet revelatio futuræ Incarnationis; cum dicant Theologi, quod quam plurium myſteriorum cognitio infuſa ſit illi pro illo ſtatu innocentiæ. Unde, & poſſemus dicere, quod ipſi fuit revelata Incarnatio; cum in hoc myſterio nulla maior appareat repugnantia, quam in aliis. Reſpondeo 2. negando abſolute mai.; quia ad hoc, ut Adam haberet gratiam ex meritis Chriſti, ſufficiens erat; quod Deus, dum creavit Adam, prævideret merita Chriſti independentia à redemptione, & peccato, & per eam daret gratiam Protoparenti.

SECTIO III.

An Chriſtus Dominus meruerit Immac. Virgini præſervationem ab originali culpa: & quibus meritis.

30 Hæc difficultas quoad primam, etſi acriter retroactis ſæculis diſcuſſa fuerit; nunc potius

tius ſupponenda, quàm ventilanda. Controverſia ergo nunc temporis eſt; quibus meritis Chriſtus promeruit præſervationem á culpa (imò & â debito ipſius) ejus Immac. Matri? An meritis dependentibus ab ejus paſsione, & morte: an vero meritis præſcindentibus á proxima paſsibilitate, & impaſsibilitate? ſicut de Angelis, & primis parentibus in ſect. ant.. Ratio dubitandi in præſenti unicè pendet ex oratione officii Conceptionis Immaculatæ, quo ex approbatione Eccleſiæ per multum temporis uſa eſt noſtra Seraph. Religio; & nunc ex cordialiſsima devotione noſtri chatolici Regis Caroli III. utitur penè univerſa Hiſpania. In ea enim oratione dicitur: *ex morte ejuſdem Filii ſui præviſa eam ab omni labe præſervaſti.* Ubi expreſsè videtur contineri, quod B.V. Maria electa in matrem Chriſti præſervata ab omni labe culpæ originalis fuit ex meritis ſui dilectiſsimi Filii.

31 Certé in hoc componendo Theologi valdè laborant; ſed cum hæc difficultas ad tract. ſpecialem de Deipara Virgine ſpectet, nos breviſsimo calamo hic eam examinabimus; prænotando, quod intelligentia dicendorum maxime clareſcet diſput. ult. hujus; dum de ſerie decretorum erga Incarnationem ad mentem N. Subt. Doct. agamus. Sed pro nunc.

32 Nota 1. quod in Scoti principiis in ſigno immediato ad illud in quo Chriſtus fuit abſolute futurus; cum omnibus perfectionibus ſubſtantialibus, & accidentalibus gratiæ, & gloriæ pertinentibus ad ordinem *Theandricum* unionis hypoſtaticæ, & prævidebatur operans, & merens, ſecutum fuit decretum electivum Virginis in Matrem Dei; & poſt ipſum decrevit Deus dare ipſi gloriam, & gratiam, in gradu proportionato dignitati Maternitatis, ita ut major excogitari non poſsit in nulla pura creatura; decrevit etiam dare ipſi gratiam, & juſtitiam originalem, ac alia dona ſuperna, quibus ejus opera eſſent ita obſequioſa Deo, ut in nulla pura creatura poſsint reperiri alia magis obſequioſa. Unde B. Virgo ante abſolutam prævisionem peccati Adami fuit electa in matrem Dei, & ipſi fuerunt decreta omnia dona gratiæ, & gloriæ; quia aliquomodo pertinet ad ordinem hypoſtaticæ unionis, ſaltim terminativé.

33 Nota 2. quod hoc decretum electivum Virginis in Matrem Dei, & ad ſummam gloriam, gratiam, & alia dona ſuperna, fuit ex meritis Chriſti prævisis præſcindentibus á proxima paſsibilitate, & impaſsibili-

litate, ſeu pro priori ſigno ad illud, in quo Chriſtus reſpiciebat cæteras creaturas. Unde prius quam meruiſſet Angelis gratiam, & gloriam eſſentialem: Adamo primam gratiam ante lapſum, & electis prædeſtinationem ad gloriam (ut dictum manet quæſt. antec.) intelligitur meruiſſe omnia dicta Immaculatæ Virgini; cum immediatè poſt Chriſtum fuiſſet primo prædeſtinata, & initium viarum Domini.

34 Nota 3. ex dictis quæſt. 2. hujus, quod Chriſtus D. meruit formaliter, per amorem Dei ſuper omnia continuatum in anima Chriſti ab inſtanti ſuæ conceptionis uſque ad ultim. inſtans mortis. Et huiusmodi actus dilectionis fuit actus imperans paſsionem, & mortem, quatenus tali actu ita apretiative Deum dilexit, ut vi illius amoris oblatus fuerit in Ara Crucis, ut nos redimeret, & vitaret mala peccatorum, bonumque Dei, & ejus honorem reſtauraret in creaturis ipſum obſequentibus. Unde talis actus ſic continuatus fuit in actu 1. virtualiter, & cauſaliter continens merita Paſsionis, & mortis, derivando ſic ſuam bonitatem meritoriam in actibus, in quibus conſiſtit meritum Paſsionis, & Mortis. Ratio eſt; quia vi illius actus cauſatę fuerunt mors, & Paſsio. Unde talis actus fuit implicite ipſum meritum Paſſionis, & mortis. Ex quo

35 Nota 4.; quod præſervatio *radicalis*. Deiparæ à contractione culpæ, & ejus debito, conſiſtens in electione ipſius ad maternitatem, & cætera dona ſuperna fuit ex meritis Chriſti præſcindentibus formaliter à proxima paſsibilitate, & impaſsibilitate; ſed tamen fuit ex meritis, quæ in actu 1. virtualiter, & cauſaliter erant metita paſsionis, & mortis Chriſti. Dixi *præſervatio radicalis*; quia formalis pertinet ad ſignum pacti in quo, & non antea, prævideri poteſt contingentia inclusionis Immaculatæ Virginis in pacto cum Adamo inito. Implicat enim præſervatio formalis à culpa, & debito, quin ſit ex parte ſubjecti præſervandi contingentia, & imminentia contrahendi culpam. Et uſque ad ſignum pacti non eſt huiuſmodi contingentia, & imminentia in Immaculata Virgine, cum pro tunc non eſſet decretus modus exiſtentię Deiparæ; an, ſcilicet, producenda eſſet a ſolo Deo: an per ſeminalem propagationem Adami: an vero alio miraculoſo modo, quo poſſet Deus illam producere?

36 Nota 5., quod in ſigno pacti, quo Deus decrevit Chriſtum producendum fore ex Virgine ope Spitus Sancti, & Virginem Matrem deſcenſuram ex Adamo per naturalem propaga-

tio-

tionem, fuit Immaculata Virgo præſervata ab incluſione in pacto ex meritis Chriſti virtualiter, & implicite Paſſionis, & mortis abſolute futuris, & incluſis in reſolutione voluntatis imperativæ ipſius Paſſionis, & Mortis. Ratio eſt; quia in ſigno pacti prævidebantur merita Chriſti abſolute futura; nam conſiſtebant in amore firmiſſimo appretiativo Dei ſuper omnia, quo ipſum ita firmiter diligebat, ut efficaciter vellet ſe exponere paſſioni, & morti pro malo Dei vitando, & eius bono zelando; unde cum tunc prævideret Deus, quod ſi Adamus violaret pactum, tota eius poſteritas inficeretur vi dicti pacti, decentiſſimum fuit, quod vi talium meritorum, exciperetur B. Virgo ab incluſione in tali pacto, decernendo, ipſam habituram gratiam, & juſtitiam originalem independenter ab Adamo, quamvis ab ipſo deſcenderet per naturalem propagationem prout decebat tantæ Matri, ſcilicet, Dei.

37 Nota tandem, quod preſervatio Imm. Virginis poteſt conſiderari perfectiſſime conſum. mata. Et prout ſic certum eſt, quod fuit expreſſe, & formaliter ex meritis Paſſionis, & mortis Chriſti Domini abſolute prævisis quoad exiſtentiam objectivam. Per hanc præſervationem perfectiſſime conſummatam nihil aliud intelligimus, niſi eam ſecundum omnem modum, & perfectionem, qua executa eſt, & prævisa fuit à Deo exequenda mediantibus, ſcilicet, donis ſupernaturalibus, & abundantiſſimis, quibus in 1. inſtanti ſuæ conceptionis ditata eſt à Deo; ratione quorum eius natura non ſolum fuit libera ab omni debito ſubiectivo contrahendi peccatum, ſed etiam à contractione ſubiectiva illius, quatenus per hæc dona, etſi natura deſcendat ex Adamo per naturalem propagationem, non deſcendit per propagationem communem, ſeu libidinoſam; quæ juxta Subt. Doct. in 2. diſt. 39. quæſt. unic. §. *reſpondeo*: *quia maſculoſa, maculat prolem*: & ſecundum Auguſtinum de fide ad Petrum cap. 2.: *propagatio libidinoſa tranſmittit peccatum.*

38 Quod vero hæc præſervatio perfectiſſime conſummata fuerit ex meritis Paſſionis, & mortis Chriſti Domini abſolute prævisis quoad exiſtentiam objectivam *expreſſe*, & *formaliter*, ſic probatur: in ſigno, in quo Deus decrevit, Deiparam producere, determinando modum miraculoſum ſuæ propagationis, ſcilicet, quod conciperetur ſine libidine conceptionis activæ ſuorum Parentum Joachin, & Annæ (prout conciperetur, ſi non interveniſſet miraculum) in hoc igitur ſigno ſi-

ſimiliter Deus decrevit conferre Immaculatę Virgini in 1. inſtanti ſuę conceptionis ſummam gratiam habitualem, ſummam juſtitiam originalem, & omnia alia dona ſupernaturalia relata. Nunc ſic; ſed in hoc ſigno jam prævidebantur merita Paſsionis, & mortis Chriſti expreſſe, & formaliter abſolute futura: ergo ex ipſis meritis expreſſe, & formaliter paſſionis, & mortis Chriſti abſolute futuris fuit prędeſtinatio perfectiſsime conſummata intemeratæ, & Immaculatæ Virginis.

39 Ex præjactis ergo notabilibus, quorum doctrina plus clareſcet ex dicendis diſp. ultim. ut dixi, ad oculum patet reſolutio huius difficultatis, & reſponſio ad rationem dubitandi. Dicimus ergo, quod Chriſtus Dominus meruit ſuæ Puriſsimæ Matri præſervationem *radicalem* à culpa, & ab omni debito eam contrahendi meritis præſcindentibus à proxima paſsibilitate, & impaſsibilitate, pro ſignis antecedentibus ad ſignum pacti. Ratio eſt; quia prædicta merita fuerunt in actu 1. virtualiter, & cauſaliter merita Paſsionis, & mortis, imo implicite ipſum meritum Paſsionis, & mortis. Dicimus ultra, quod prædictis meritis in ſigno pacti, quę-que erant in reſolutione voluntatis imperativæ merita Paſsionis, & mortis, præſervata fuit *formaliter* ab incluſione in pacto, quoad habendam, vel non habendam gratiam, & juſtitiam originalem dependenter ab Adamo; decernendo eam habituram independenter ab ipſo, licet ab ipſo deſcenderet per naturalem propagationem, prout decebat tantæ Matri.

40 Dicimus tandèm: præſervationem ultimatam, & conſummate perfectam promeritam fuiſſe meritis *formaliter*, & *expreſſe* Paſsionis, & Mortis Chriſti Domini. Ex quibus omnibus habes claram reſponſionem pro ratione dubitandi deducta ex oratione huius Immaculati myſterii. Nam B. Virgo præſervata fuit radicaliter ex morte eiuſdem Filii ſui prævisa *virtualiter*, & *cauſaliter*. Fuit præſervata *formaliter* ex tali morte prævisa ab incluſione in pacto ex reſolutione, & determinatione firmiſsima imperante mortem, ratione ejus firmiſsimi amoris erga Deum. Fuit tandém præſervata præſervatione conſummata, & ultimate perfecta ex morte Filii ſui expreſſe, & formaliter prævisa, ut abſolute futura. Per quas reſolutiones ſufficientiſsime ſatisfit rationi dubitandi; quæque ex dicendis in loco cit. amplius conſtabunt. Qui plura circa hoc deſideraverit, conſulat N. Carolum del Moral in ſuo *Fonſillimis* tom. 1. ubi plura pulchra vi.

QUÆST.

QUÆST. VI. ET ULT.

An Chriſtus pro nobis nunc oret in Cœlo?

1. QUOD Chriſtus Dominus, non ut Deus, ſed ut homo, pro nobis oraverit in hac vita mortali, certum eſt ex variis locis Scripturæ, ut Matthæi 14.: *aſcendit in montem ſolus orare*: Luccæ 6.: *exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Et hoc intelligendum eſt de oratione propriè dicta, quæ ſic definitur à N. Doct. in 4. diſt. 45. quæſt. 4.: *eſt deſiderium Deo oblatum ea intentione, ut ab ipſo habeatur optatum.* Quod deſiderium, ſi ſola mente concipitur, eſt oratio mentalis; ſi voce explicatur, eſt vocalis. Quæritur ergo nunc: an Chriſtus Dominus nunc in Cœlo hunc eundem actum religionis excellentiſsimum pro nobis exerceat vere, & propriè? In qua difficultate quidam tenent, ſolum interpretative orare, oſtendendo ſua vulnera, & cicatrices, Paſſionem, Mortem, & merita ſuo Æterno Patri. Alii vero dicunt, vere, & proprie orare. Cum quibuſque ſit.

CONCLUSIO.

2. Chriſtus Dominus nunc in Cœlo vere, & proprie pro nobis orat. Eſt communior, & conformior Sac. Scripturæ, & PP. Prob. 1. ex locis Sac. Scripturę: ad Roman. 8. dicitur: *qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Joann. 1.: *advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum.* Et 14.: *ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* Unde Auguſtinus, quæſt. 102. veteris, & novi teſtamenti ſic ait: *etſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum, hoc dicit, ut ſi poſt Baptiſmum peccaverimus, ſupplices deprecemur, ut exoret pro nobis Patri.* Sic conformiter & alij SS. PP., ex quibus ſic probatur concluſio: verba Sac. Scripturę in proprio ſenſu intelligenda ſunt, quoties ſic intelligi poſſunt ſine inconvenienti, aut repugnantia; ſed verba allata ex Scriptura poſſunt intelligi de oratione proprie dicta ſine inconvenienti, aut repugnantia: ergo ita intelligenda ſunt.

3. Probatur min.: ex eo, quod Chriſtus nunc vere, & proprie oret in Cœlo, nec dedecet Chriſtum, qua Deum, nec Chriſtum, qua hominem, nec repugnat ipſi ratione ſtatus beati-

tifici ; nec tandem poteſtati ipſi datæ à Deo ſuper Cœlum , & terram , juxta Matthæum 28.; ſed nullum eſt tale caput , quo indecens , aut repugnans ſit Chriſto Domino nunc vere , & proprie pro nobis orare in Cœlo: ergo. Probatur mai. per partes: non repugnat eo , quod Deus ſit, licet ut Deus non oret ; quia alias nec in terris oraſſet , ut homo ; cum etiam eſſet Deus. Nec repugnat ratione ſtatus beatifici ; quia beati in Patria pro nobis orant , ut docet Doct. in 4. diſt. 45., quæſt. 4. Nec tandem repugnat ratione poteſtatis; quia cum hæc juxta Joann. 13., data ſit ei ante mortem : *ſciens Jeſus , quia omnia dedit ei Pater in manus* ; ſequeretur , quod nec Chriſtus in terris degens proprie pro nobis oraſſet ; quod eſt falſum : ergo &c.

4 Prob. 2. concluſio improbando modum dicendi contrariorum : ille modus orandi tacitus , & interpretativus repræſentando Patri ſuam humanitatem , & Paſsionem , ſeu propria merita , ex ſe non ſufficit , niſi hæc repræſentatio fiat per aliquem novum , & expreſſum actum vel intellectus , vel voluntatis , aut vocis , quo exponat Patri quanta pro hominibus geſsit , & paſſus fuit ; ſed hunc actum repræſentativum vocamus orationem veram , & propriam : ergo &c. Prob. mai. : repreſentatio mera ſuæ humanitatis , & Paſsionis conveniebat etiam corpori Chriſti in triduo mortis ; tunc enim corpus Chriſti retinebat cicatrices , & vulnera , hæcque repræſentabantur ipſi Deo , quin ſequeretur oratio : ergo præter oſtenſionem ſimplicem , & materialem vulnerum debet eſſe conjunctus in Chriſto actus impetrationis, & petitionis expreſſus. Deinde illud Joann. 14. : *in eo die rogabo Patrem.* Et illud Paul. ad Hebr. 7. : *ſemper vivens ad interpellandum pro nobis* , abſdubio ſignificant , hanc orationem modo fieri á Chriſto Domino , modo vivo , & non veluti mortuo, qualis ponitur ab adverſarijs.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

5 Arguitur 1. ex illo Pauli ad Hebr. 10. : *una enim oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos : æterna redemptione inventa.* Ex quo ſic argumentor: Chriſtus totum negotium noſtræ ſalutis in hac vita cum Patre compoſuit, ita, ut non ſit amplius opus pro illa orare Patrem : ergo poſt mortem & Reſurrectionem non eſt neceſſe , ut pro nobis oret Patrem , & conſequenter &c. Conſeq. conſtat ; quia inventa eſt re-

redemptio per mortem, & omnia dona conferenda ſingulis hominibus jam promeruerat; nam per merita vitæ, Paſſionis, & mortis obtinuit Chriſtus nobis quidquid Deus omnibus, & ſingulis erat conceſſurus.

6 Reſpondeo, ex hac author., quod infertur, eſſe, Chriſtum in Cœlis non indigere pro nobis meritis ad promerendam noſtram redemptionem, quod quidem fatemur; non vero infertur, quod non oret quoad executionem, & exhibitionem præmij promeriti in vita pro nobis. Patet hoc exemplo: operarius poſt laborem diurnum exhibitum poteſt rogare, & poſtulare Dominum, qui eum conduxit, ut mercedem ſolvat ſibi ex contractu debitam; quin pro tunc mereatur de novo præmium per illam orationem, ſed ſolum exigit, quod antea meruit. Sic ergo Chriſtus Dominus una oratione in Ara Crucis facta conſummavit meritorié noſtram redemptionem, ſed hoc non officit, ut in Cœlis oret, & impetretur executionem, & adimpletionem præmij.

7 Arguitur 2.: ad orationem exigitur in orante impotentia exequendi illud, pro quo orat; ſed in Chriſto Domino in Cœlis non adeſt huiuſmodi impotentia, juxta illud Matthæi 28.: *data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra*: ergo. Argumentum ſi probat, probat, quod nec in terris oravit, cum in terris fuiſſet data ipſi hæc ampla poteſtas. Reſpondeo tamen, diſtinguendo mai.: ad orationem exigitur in orante, vel impotentia *phyſica*, vel *moralis* exequendi oratum, conc. mai.: præciſe *utraque* impotentia nego mai., & diſtinguo min.; ſed in Chriſto non eſt huiuſmodi impotentia *moralis*, conc. min.: *phyſica*, nego min.. Itaque, licet Chriſtus acceperit plenam poteſtatem moralem in omnia dona ſupernaturalia hominibus conferenda, ut quotieſcumque vellit, poſsit illa libere donare; quia tamen non habet in ſe phyſicam potentiam illa producendi, quotieſcumque de illis libere diſponere voluerit, debet à Deo petere, ut illa phyſicé producat. Unde, licet non ſit neceſſaria oratio ad ea dona moraliter impetranda, eſt tamen neceſſaria ad eorum phyſicam executionem obtinendam.

8 Arguitur 3. & eſt replica 2. argumenti: vel Chriſti oratio nunc in Cœlo aliquid nobis impetrat, vel non? ſi hoc 2.: ergo eſt otioſa, & ſuperflua. Si 1.: ergo quia redemptio noſtra non fuit à Chriſto conſummata in hac vita, contra dictum Pauli ſupra poſitum. Reſpondeo, Chriſtum in Cœlo exiſtentem aliquid pro nobis

bis impetrare, ipſam, ſcilicet, executionem productionis phyſicæ gratię. Neque ex hoc ſequitur, non eſſe conſummatum in hac vita opus noſtræ redemptionis; quia nova oratio Chriſti in Cœlo non requiritur ut novum meritum, ſed potius ut exigitiva juris á Chriſto acquiſiti merito ſuę paſsionis.

9 Replicabis: ex vi præcedentis promiſsionis, & poteſtatis Chriſto collatę in ordine ad omnia dona ſupernaturalia, tenetur Deus phyſice producere gratiam, quin Chriſtus pro ipſa oret: ergo fruſtranea eſt oratio Chriſti Domini. Reſpondeo, quod Deus non tenetur ad productionem phyſicam gratię ex vi poteſtatis collatæ Chriſto, ſed ex vi prętéritorum meritorum exhibitorum ab ipſomet Chriſto Domino, ſuppoſita promiſsione ipſiuſmet Dei. Unde, dum Chriſtus orat pro executione huiuſmodi productionis, ſolum orat interpretative, non vero meritorie.

10 Arguitur ultimo: ſi Chriſtus pro nobis oraret in Cœlo, deberemus ipſum rogare, ut pro nobis oraret ad Patrem; ſed hoc eſt contra communem ritum Eccleſiæ, quę nunquam aliquid petit ab humanitate Chriſti, nec Chriſtum deprecatur, ut pro nobis oret, ſed ut nobis miſereatur, & parcat, dicendo: *Chriſte miſere nobis*: ergo quia ſupponit Eccleſia, Chriſtum pro nobis non orare de facto in Cœlis. Confirmatur; quia SS. PP. dicunt communiter, Chriſtum Dominum poſt Reſurrectionem nullo modo oraſſe. Reſpondeo 1., Eccleſiam huiuſmodi modo orandi non uti, ne occaſionem præbeat errandi Arrianis, & Neſtorianis, quorum primi dicebant, Verbum eſſe puram creaturam; alij, eſſe purum hominem. Abſolute vero loquendo, ſi quis diſtinguere ſciat, inter ſuppoſitum divinum, & naturam humanam Chriſti, poſſet utique abſque errore, oratione privata orare Chriſtum, ſicut diſtinguens in eodem Chriſto ſuppſitum increatum à natura creata, adorare valet ſuppoſitum adoratione *Latrię*, & naturam humanam adoratione *hyperdulię*.

11 Reſpondeo 2., quod Eccleſia ſervat hunc modum orandi, quia ſicut quando aliquam Perſonam alloquimur, & præſertim ſi aliquid ab ea poſtulamus, illam alloquimur modo, ac titulo magis honorifico; ſic Chriſtus rogatur ab Eccleſia ſecundum excellentiorem dignitatem, quam habet, & conſequenter, ut ſuppoſitum divinum, cuius non eſt, petere, ſed donare; orari, & non orare; quapropter dicimus: *Chriſte, Fili Dei, miſerere nobis*. Ad confirmationem dico, quod SS. PP. negant in Chriſto Domi-

mino orationem externam per genuflexionem, proſtrationem, aut ſummiſsionem corporis; nam hic modus orandi non deret Chriſtum, ſedentem ad dexteram Dei Patris in Cœlo. Deinde, negant orationem meritoriam, qualis erat oratio, qua in vita mortali pro nobis orabat.

DISP. II.

DE SATISFACTIONE CHRISTI DOMINI.

QUAMplura de Satisfactione Chriſti Domini acta ſunt in diſp. antec., maxime circa ejus infinitatem. Quare in præſenti agemus de ejus condignitate, juſtitia, & obligatione per varias quæſt. quas in ſectiones ſeccabimus, ſi opus fuerit. Sit ergo

QUÆST. I.

An ſatisfactio Chriſti Domini pro peccatis hominum fuerit non ſolum condigna, ſed etiam ſuperabundans?

1 SUppono 1. ex dictis tom. 2. tract. 6. queſt. 4. à num. 13., quod Chriſtus Dominus nos redemit pretio ſui ſanguinis, & pro nobis ſatisfecit: & hoc non pro hoc, vel illo meruit redemptionem, ſed pro omnibus, & ſingulis hominibus mortuus fuit, & ſatisfecit. Hæc ſuppoſitio definita eſt in variis Conciliis, conſtatque ex plu-

plu ibus locis Sac. Scripturæ. Suppono 2., Chriſtum Dominum ſatisfeciſſe pro peccatis omnium hominum, non ſolum quoad culpam, ſed etiam quoad pœnam debitam per culpam. Suppoſitio hæc clare deducitur ex illo Iſaię cap. 52.: *vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.*

2 Neque ex hoc, cum Luthero, & aliis hæreticis valet inferri contra primam ſuppoſitionem, quod ſi Chriſtus Dominus pro omnibus, & ſingulis hominibus mortuus eſt, & ſatisfecit: cur non omnes ſalvantur? Non valet, quia hæc ſatisfactio Chriſti Domini fuit pro omnibus, & ſingulis hominibus condigna quoad ſufficientiam, non vero quoad efficaciam: & hoc non defectu ſatisfactionis; ſed quia non omnes, & ſinguli ſe diſpoſuerunt ad fructum redemptionis, & ſatisfactionis Chriſti Domini recipiendum. Nec ſimiliter deduci poteſt ex ſecunda ſuppoſitione, quod ſi Chriſtus pro nobis ſatisfecit quoad culpam, & pœnam: jam nulla ſatisfactio perſonalis eſt nobis neceſſaria pro peccatis. Non licet, inquam; quia Chriſtus Dominus ſua ſatisfactione non excluſit ſatisfactionem noſtram; quin potiùs voluit, quod non aliter ſatisfactio ſua prodeſſet adultis, niſi illorum ſatisfactione mediante; cuius inſufficientia ſupplętur per abundantem ſatisfactionem Chriſti Domini. His ſuppoſitis, ſit

CONCLUSIO.

3 Chriſti Domini ſatisfactio non ſolum fuit ſufficiens, & condigna pro peccatis omnium hominum, ſed etiam ſuperabundans. Eſt communis. Probatur 1. ex varijs teſtimonijs Sacrę Scripturæ. Primo ex illo Pſalm. 129.: *Copioſa apud eum redemptio.* Secundo, ex illo Iſaiæ cap. 2.: *ſumpſit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis.* Tertio ex illo ad Roman. 5.: *non ſicut delictum, ita & donum :: ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia.* Quæ verba ſic explicat Chryſoſtomus Serm. 11.: *multo enim plura, quam debebamus, Chriſtus pro nobis ſolvit: tantoque plura, quanto guttulam exiguam Pelagus excedit immenſum.* Et Cyprianus ſerm. de Cruce: *tantæ dignitatis Redemptoris noſtri illa fuit oblatio, ut una ad tollenda mundi peccata ſufficeret.* Tandem Clemens in extravag. „ *unigenitus* ait: non guttam „ ſanguinis modicam, quæ ta„ men propter unionem ad Ver„ bum pro redemptione totius „ generis humani ſuffeciſſet, ſed „ copioſe, velut quoddam pro-

fun-

„fluvium noscitur effudisse : ergo juxta Script. SS.que PP. satisfactio Christi Domini fuit superabundans.

4 Prob. 2. conclusio ratione : satisfactionem Christi Domini esse superabundantem nihil aliud est, quam quod ejus satisfactio magis placeat Deo, quam ipsi peccatum displicuit ; sed talis fuit satisfactio Christi Domini : ergo fuit superabundans. Prob. min. 1. ex Subt. Doct. in 4. dist. 15. §. *quantum ad istum*, ubi ait : *de potentia tamen ordinata non dispposuit Deus, sibi reconciliari inimicum, nisi per obsequium magis gratum, quam offensa erat sibi displicens ; & tale obsequium ejus est passio Christi, & meritum eius.* Prob. 2. eadem min. ratione : satisfactio Christi Domini ex parte Personæ significantis opera ipsius, est quodam modo in valore infinita, ut iam diximus, & probavimus disp. antec. quæst. 1. ; sed gravitas offensæ ex parte Personæ offendentis non est ita quodam modo infinita, ut docetur á Nostratibus in materia de peccatis: ergo quia satisfactio Christi Domini ex parte Personæ satisfacientis est superabundans, & excedens in valore comparative ad gravitatem offensæ ex parte Personæ offendentis.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

5 Arguitur 1. : satisfactio non extinguens omne debitum per peccatum contractum, nequit esse condigna, & superabundans ; sed satisfactio Christi est, huiusmodi : ergo nequit esse nec condigna, & multo minus superabundans. Probatur min. : homo per peccatum contraxit debitum carendi redemptore ; sed Christi satisfactio non potuit extinguere hoc debitum ; quia non potuit mereri Incarnationem ex dictis quæst. 4. disp. antec. : ergo non potuit extinguere omne debitum contractum per peccatum. Varie respondent AA. huic argumento. Qui absolute tenent, Christum potuisse mereri Incarnationem, negant absolute min.. Sed quia hæc sententia nobis non arridet, ideo aliter

6 Respondeo, negando min. & mai. probationis, scilicet, quod per peccatum contraxit homo debitum carendi Redemptore. Ratio est ; quia illud, quod essentialiter requiritur ad existentiam Redemptoris non potest esse meritum carentiæ Redemptoris, ut ex se constat ; sed peccatum essentialiter requiritur ad existentiam Redemptoris, ut talis ; quia disputatione ultima dicce-

cemus, Chriſtum D. minum non venturum, ut Redemptorem, deficiente Adæ peccato: ergo per peccatum non contraxit homo debitum carendi Redemptore. Deinde: carentia Redemptoris non poteſt eſſe pœna reſpectu peccati; quia non poteſt eſſe pœna reſpectu ſubiecti carentia, aut negatio boni, ad quod ſubjectum nullum jus habet: ergo cum in Adamo, aut alio quovis peccante, nullum ſit jus, aut debitum ad unionem hypoſtaticam, carentia ipſius non poteſt eſſe pœna reſpectu peccati.

7 Replicabis: homo per peccatum contraxit debitum carendi omni beneficio ſupernaturali conducente ad æternam prædeſtinationem; ſed Incarnatio ſaltem mediate conducit ad prædeſtinationem: ergo. Confirmatur: negatio auxilii efficacis eſt debitum contractum per peccatum; ſed poſteris Adæ, maxime parvulis, ita Incarnatio prodeſt ad juſtificationem, ſicut auxilium: ergo ſi negatio huius eſt debitum, &c. Urgetur: negatio auxilij efficacis eſt pœna peccati; ſed homo nullum habet debitum ad habendum auxilium efficax: ergo quamvis non habeat debitum, aut jus ad Incarnationem, carentia huius poterit eſſe pœna peccati.

8 Reſpondeo, diſtinguendo mai.: homo per peccatum contraxit debitum carendi omni beneficio ſupernaturali potente habere rationem pœnæ reſpectu peccati, conc. mai.: non potente habere talem rationem, nego mai.: & omiſſa min., nego conſeq. Solutio conſtat ex dictis. Ad confirmationem nego conſeq.; quia licet Chriſtus Dominus attingat ſuis meritis juſtificationem parvulorum, ſicut auxilium efficax juſtificationem adultorum; tamen in juſtis adultis, ratione ſanctitatis ipſis collatæ intuitu meritorum Chriſti, datur quoddam debitum morale ad auxilium efficax, quod non datur ad unionem hypoſtaticam: & ſic negatio talis auxilij poteſt eſſe pœna, & debitum contractum per peccatum; ſecus vero negatio Incarnationis. Per quod negatur etiam minor urgentiæ.

9 Arguitur 2.: Chriſti Domini ſatisfactio non adæquat gravitatem offenſæ lethalis: ergo non fuit condigna, & ſuperabundans. Prob. antec.: gravitas lethalis ſumitur ex Deo, ut Deo; valor vero ſatisfactorius ſumitur ex Chriſto, ut homine; ſed gravitas ſumpta ex Deo, ut Deo, excedit valorem ſatisfactorium ſumptum ex Chriſto, ut homine: ergo &c. Mai. eſt certa, nam gravitas offenſæ ſumitur

ex

ex Perſona offenſa: & valor ſatisfactorius à principio elicitivo ejus. Confirmatur: plus eſt, ſervum inhonorare Regem, quam æqualem honorare æqualem; ſed per peccatum ſervus inhonorat Regem, & per ſatisfactionem æqualis honorat æqualem: ergo gravior eſt offenſa, quam ſatisfactio Chriſti.

10 Reſpondeo, negando antec.: & diſtinguo mai. probationis: gravitas lethalis ſumitur ex Deo, ut Deo, objective tantum, & extrinſece; valor vero ſatisfactorius ſumitur ex Chriſto, ut homine, & tamquam à forma, conc. mai.: gravitas lethalis ſumitur ex Deo, ut Deo, tamquam á forma, & valor ex Chriſto, ut homine, ſolum extrinſece, nego mai.: inverſis terminis diſtinguo min., & nego conſeq. Gravitas igitur offenſæ penſatur ex dignitate Perſonæ offenſæ non ſecundum ſe conſideratæ; ſed prout eſt objectum cognitum, quod eſt extrinſece gravificare. At vero valor, & meritum Chriſti cum dependeat à Perſona operante, non tamquam à circunſtantia objectiva, ſed formali; creſcit ex dignitate Perſonæ abſolute ſumptæ. Unde creſcit, & eſt ſuperioris ordinis reſpectu peccati lethalis; quia ex circunſtantia Perſonæ operantis non habet unde limitetur, ſicut peccatum ex Perſona offenſa.

11 Ad confirmationem diſtinguo mai.: plus eſt, ſervum inhonorare Regem, quam æqualem &c. *in exiſtimatione regulariter*, permitto mai.: *in rei veritate*, nego mai.: & diſtincta min. nego conſeq. Itaque inter homines, cum irregularius ſit, ſervum inhonorare Regem, quam alium Regem honorare Regem, hinc fit, quod gravius judicetur, ſervum inhonorare Regem, quam alium Regem honorare Regem; ſed in rei veritate non eſt ſic; quia Rex offenſus ſolum agravat offenſam per modum objecti: etſi ſervus ſua vilitate agravat, tamen limitatur offenſa à cognitione, & libertate. At vero Rex honorans agravat obſequium per ſuam regiam dignitatem, tamquam per formam: & ſic creſcit ex dignitate Perſonæ abſolute; & conſequenter excedit inhonorationem ſervi.

12 Arguitur 3.: ſatisfactio Chriſti non æque placet Deo, ac diſplicet lethale: ergo &c. Prob. antec.: lethale diſplicet Deo æquè, ac Deus placet ſibi; ſed non placet ſatisfactio Chriſti; cum ſic non ſit infinite bona: ergo &c. Prob. mai.: æque diſplicet Deo non *eſſe Dei*, ac ſibi placet *eſſe Dei*; ſed lethale eſt non eſſe Dei;

cum ſit deſtructio affectiva ipſius: ergo &c. Reſpondeo negando antec., & mai. probationis, & ultimam min. cum probatione imbibita. Peccatum ergo nec affective eſt deſtructio ipſius Dei, ſaltem efficaciter; quia ſi peccans optat eſſe, & acquirere bonum, quod apprehendit futurum per peccatum; cum omnia hæc neceſſario ceſſent, deſtructo Deo; quomodo deſideravit affective efficaciter deſtructionem Dei? Unde peccans per peccatum ſolum intendit, Deum non eſſe ultimum finem in actu 2.; & cum hoc non ſit de Eſſentia Dei, ſed pura denominatio extrinſeca, nullatenus per peccatum ſequitur deſtructio Dei.

QUÆST. II.

An ſatisfactio Chriſti ex ſe, & ab intrinſeco fuerit condigna, & ſuperabundans?

1 ULtra dicta tom. 2. tract. 17. diſp. 4. quæſt. 5. curſus huius Almæ Provinciæ, quæ faciunt hic; aliqua ſunt prælibanda pro intelligentia huius difficultatis. Noto 1.; quod in actionibus Chriſti Domini hæc tria reperiuntur: *valor*, *meritum*, *& ſatisfactio*. Ex quibus licet valor coincidat cum merito, & ſatisfactione; tamen meritum, & ſatisfactio inter ſe differunt. Primo, quia meritum dicit ordinem ad mercedem: ſatisfactio ad compenſationem injuriæ. Secundo; quia meritum reſpicit commodum ejus, qui meretur: ſatisfactio honorem, & compenſationem ejus, cui fit, & offertur. Tertio, quia poſſunt ſeparari. Poteſt enim dari ſatisfactio pura, quæ nullam includat rationem meriti, ſed unice debitum extinguat per ſe ipſam formaliter; ut ſi Petrus rem ablatam reſtituat Paulo, hæc reſtitutio dicitur pura ſatisfactio ſine merito.

2 Quando autem ſatisfactio per ſe ipſam formaliter debitum non extinguit, ſed meretur, aut impetrat aliquid, per quod debitum extinguitur, tunc includit etiam rationem meriti. Sic fuit Chriſti Domini ſatisfactio; Chriſtus enim per ſuam ſatisfactionem meruit nobis gratiam ſanctificantem, per quam peccatum formaliter extinguitur. Unde actiones eius fuerunt meritoriæ, & ſatisfactoriæ reſpectu noſtri. Quare quidquid de ſatisfactione dicemus, dictum intelligatur de actibus meritoriis Chriſti.

3 Nota 2. ex Doct. in 1. diſt. 17., quod in actu meritorio in ordine ad præmium vitę æternæ duplex diſtinguenda eſt ordinatio, ſeu acceptatio divina. Una *habitualis* reperta in ipſamet gratia habituali, quia nimirum ordi-

dinavit Deus acceptare hominem gratia decoratum, ut Filium, ac hæredem beatitudinis: & pariter acceptare omne opus bonum ab eo elicitum, tamquam meritum condignum vitæ æternæ. Hi enim effectus, in noſtris principijs, non præſtantur à gratia habituali ex natura rei, ſed tantum moraliter, & ex ordinatione divina, ut explicatum manet tom. cit. diſp. 4. quæſt. 1.

4 Altera dicitur ordinatio divina *actualis* immediate cadens ſupra ipſum meritum, ſeu ſatisfactionem elicitam á gratia, quæque intelligitur ſuperaddi gratiæ per novam voluntatem, & legem Dei poſitivam, per quam Deus promittit vitam æternam operi de ſe condigno vitæ æternæ. Unde hæc ſecunda acceptatio non confert operi meritorio condignitatem, & æqualitatem cum præmio, ſed eam ſupponit in opere meritorio vi prioris acceptationis habitualis in gratia in *eſſe gratiæ* eſſentialiter imbibitæ. Solum ergo inducit obligationem in præmiante de præmio conferendo, orta tali obligatione ex vi ſuæ infallibilis promiſsionis. Uno verbo: ex prima acceptatione habituali, oritur condignitas in opere meritorio, & ſatisfactorio: ex ſecunda vero oritur obligatio de præmij retributione, aut ſatisfactione acceptanda, in ipſo præmiante. Tota hęc doctrina eſt noſtri Doct. varijs in locis præcipue in 1. diſt. 17. q. 2. §. *ad quæſt.* quodlib. 17. §. *de* 2. *dico.* Et in 4. diſt. 46. quæſt. 4.

5 Sed clarius audiatur in reportatis in 1. diſt. 17. q. 3. ubi explicat hanc duplicem ordinationem, & differentiam unius ab alia, per hæc verba: „ per „ habitualem acceptationem charitatis non tantum, ſed etiam „ actum ex charitate elicitum, eſſe à Deo acceptum in ordine „ ad gloriam, & talem actum ex „ vi charitatis habere valorem, & „ condignitatem ad præmium. „ (Quam vocat Scotus habilitatem) Propter iſtam habilitatem, „ non eſt neceſſe, Deum tribuere vitam æternam; quia talis acceptatio habitualis licet inducat „ dignitatem & valorem in actu „ reſpectu præmij, non tamen debitum, & obligationem ex parte Dei ad conferendum præmium (notate ſequentia) niſi „ adveniat nova promiſsio, pactumque de præmio conferendo, „ quod eſt ultimum complementum meriti, quatenus jus ad „ præmium, quod actus habebat „ ratione ſuę condignitatis, veluti remotum, & in actu 1. accedente tali pacto fit proximum, „ & veluti in actu 2.. Hæc Doct., ex quibus.

6 Noto ultimo ; quod tam meritum , quam ſatisfactio dupliciter conſiderari valet. Primo, *imperfecte* , & quaſi *in actu* 1., & eſt, quando tam meritum, quam ſatisfactio ex ſe, & in actu 1. dicunt æqualitatem , aut condignitatem cum præmio , aut injuria compenſanda ; licet ex parte præmiantis, aut illius, cui debet fieri ſatisfactio, nulla reſultet obligatio ad præmium concedendum, aut injuriam remittendam , niſi ipſemet obligetur ad hoc per novam voluntatem. Secundo , poteſt conſiderari *complete* , & *in actu* 2. tam meritum, quam ſatisfactio:& eſt, quando ex parte præmiantis, aut injuriam remittentis oritur obligatio , non ſolum ab ipſo opere meritorio , aut ſatisfactorio condigno in actu 1. ; ſed præcipue ab ipſomet præmiante , vel remittente. In præſenti ergo de ſatisfactione Chriſti Domini ſub utraque conſideratione procedit difficultas : an ſcilicet , ſatisfactio Chriſti Domini ex ſe , & ab intrinſeco , cum ſola acceptatione habituali , & ſecluſa omni alia acceptatione extrinſeca , & actuali fuerit condigna, & ſuperabundans, tam in actu 1., quam in actu 2. ?

7 Circa quam difficultatem triplex eſt ſententia. Prima tenet Chriſtum Dominum ſatisfeciſſe de condigno non ratione valoris , & dignitatis operum; ſed tantum ratione divinæ acceptationis ortæ ex quadam congruitate divini ſuppoſiti ; ſic Nominales cum aliquibus Scotiſtis cit. Doctorem in 3. diſt. 19. q. 1. §. *in iſta quæſt.*. Secunda per oppoſitum tenet, Chriſtum de condigno , & ad æqualitatem ſatisfeciſſe ratione duntaxat valoris , & dignitatis ſuorum operum : & ſic non requiri divinam acceptationem. Sic Vazquez , & aliqui RR.. Tertia ſententia veluti media tenet,quod ſatisfactio Chriſti Domini in actu 1., & prout dicit relationem ad debitum peccatorum, fuit ex ſe, & ab intrinſeco condigna , & ſuperabundans : at vero in actu 2., & prout dicit relationem ad Perſonam , cui fit, ſeu prout dicit obligationem ex parte Dei ad remittendam offenſam , ſic fuit condigna , & ſuperabundans ſolum ex libera promiſsione , & acceptatione divina. Hæc ſententia eſt communior inter Theologos. Quid nobis tenendum per duplicem ſect. explicabo , ut confuſionem vitemus. Sit ergo

SECT. I.

Quid ſentiendum de ſatisfactione Chriſti Domini in actu 1.

CONCLUSIO.

8 Satisfactio Chriſti Domini ſecundum ſe , ac veluti in actu

actu 1., & ut dicit reſpectum ad debitum, eſt ex ſe, & ab intrinſeco condigna, & ſuperabundans. Eſt conformis tertiæ ſententiæ. Probaturque 1. authorit. Doct. in 4. diſt. 16. q. 1. §. *quantum ad iſtud*, ubi ſic ait: *de potentia tamen ordinata Deus non diſpoſuit*, „ alicui peccatori dare primam „ gratiam, niſi in virtute meri„ ti illius, qui erat ſine peccato, „ ſcilicet, Chriſti; quia, ſicut „ tactum eſt ſupra, non diſpo„ ſuit ſibi reconciliare inimicum, „ niſi per obſequium magis gra„ tum, quam offenſa ejus erat ſi„ bi diſplicens, *& tale obſequium ejus eſt paſsio Chriſti, vel meritum ejus.* Hæc Subt. Doct. Ex quibus ultimis verbis ſic efformo rationem: Deus non diſpoſuit ſibi reconciliare inimicum, niſi per obſequium magis gratum, quam offenſa ejus erat ſibi diſplicens: & tale obſequium erat paſsio Chriſti; ſed ex hoc ſequitur, quod tale obſequium, ſeu ſatisfactio erat ſuperabundans in actu 1. independenter ab acceptatione actuali: ergo &c.

9 Prob. min.: ſi obſequium, ſeu ſatisfactio Chriſti eſt ſuperabundans dependenter ab acceptatione, ſequeretur, quod tale obſequium, & ſatisfactio eſſet magis grata Deo, quam diſplicens offenſa; quia Deus Paſſionem, & meritum Chriſti ordinavit ad ſibi reconciliandum Peccatorem per acceptationem actualem; non vero ſequeretur, quod Deus ordinavit reconciliare ſibi peccatorem per meritum, & Paſsionem Chriſti; quia hoc meritum, & paſsio erat obſequium ſibi magis gratum, quam diſplicens offenſa; ſed hęc ſequela eſt contra ipſammet literam Doct.: ergo &c. Prob. min.: ſi obſequium, & ſatisfactio Chriſti ex ſe pro priori ad acceptationem non erat obſequium magis gratum Deo, quam diſplicens offenſa, & hoc haberet per acceptationem, pariter poſſet Deus facere obſequium ſibi magis gratum, quam eſſet diſplicens offenſa, meritum cuiuſcumque puræ creaturæ; cum hoc totum proveniat, juxta contrarios, ab acceptatione actuali Dei; ſed hoc eſt contra rationem authoritatis Doct.: ergo &c.

10 Confirmatur: etſi de potentia abſoluta potuiſſet Deus ſibi reconcialiare peccatorem independenter à merito, & ſatisfactione Chriſti; tamen de potentia ordinata, ſeu de facto hoc noluit, nec diſpoſuit; diſpoſuit enim ſibi reconciliare peccatorem dependenter á merito, & ſatisfactione Chriſti; ſed hoc non alia ratione, niſi quia in merito, & ſatisfactione Chriſti antecedenter ad acceptationem actualem erat aliqua ratio motiva alliciens Deum

ad

ad hanc ſatisfactionem prę illa eligendam, ut pote obſequium magis gratum, quam diſplicens offenſa: ergo &c. Min. conſtat quia ratio motiva in objecto pręcedit actum, ad quem movet: ergo in ſatisfactione Chriſti præcedebat actum acceptationis maior gratitudo obſequij.

11 Probatur 2. concluſio ratione deducta ex Sac. Scriptura. Pſalm. 119. dicitur de ſatisfactione Chriſti: *copioſa apud eum redemptio.* Et 1. ad Chorint. cap. 6.: *empti enim eſtis pretio magno*; ſed redemptio Chriſti non poſſet dici copioſa; nec bene diceremur empti pretio magno, ſi ſatisfactio ex ſe ipſa, & ex circunſtantia Perſonę operantis, ſecluſa omni acceptatione actuali, non eſſet ſuperabundans: ergo talis eſt. Prob. 1. ſequela: implicat, quod acceptatio conferat ſuperabundantiam operibus reſpectu præmij; quia acceptatio ex parte præmiantis ſolum ſtatuitur in ordine ad collationem præmij: ergo quia non confert ſuperabundantiam operibus reſpectu præmij. Confirmatur: ſi acceptatio conferret ſuperabundantiam operibus, jam opera excederent in valore, & dignitate præmium conferendum; ſed hoc nequit dici: ergo &c. Maior conſtat. Prob. min.: ſi opera excederent in valore, & dignitate præmium conferendum, nunquam præmiarentur talia opera præmio ipſis æquali; ſed hoc nequit dici; quia tunc Deus vellet, ut mererentur plus, quam vellet præmiare: ergo &c.

12 Probatur quoad 2. ſequelam: ex pacto, & acceptatione divina quælibet operatio hominis, adhuc minima, poſſet eſſe condigna, & ſuperabundans, ſi Deus ipſam ſic vellet acceptare; ſed tunc non bene diceremur *empti pretio magno*; vel talis operatio purę creaturæ pretium magnum dici deberet: ergo &c. Confirmatur: ſi ſatisfactio Chriſti Domini haberet condignitatem, & ſuperabundantiam, ex divina acceptatione actuali, etiam antiqua, & aliorum hominum opera potuiſſent hoc modo ſatisfacere: & ſic per effuſionem ſanguinis hirci, aut vituli á quocumque homine oblati, ita bene, & æquè perfectè potuiſſet homo liberari, ac per ſanguinem Chriſti; ſed hoc eſt expreſſe contra Apoſt. dicentem ad Hebr. cap. 10.: *impoſsibile eſt per ſanguinem hircorum, aut vitulorum auferri peccata; ideo ingrediens Mundum dicit: hoſtiam, & oblationem noluiſti; corpus autem aptaſti mihi.* Mai. eſt evidens; quia poterat Deus talia ſacrificia ęqualiter acceptare.

13 Probatur 3. concluſio: ſi condignitas, & ſuperabundantia

tia ſatisfactionis Chriſti haberetur præciſe per acceptationem actualem, omnino corruerent authoritates SS. PP. aſsignantium maximam congruentiam in eo, quod ſatisfactio peccati fiat per Chriſtum; imo nullo modo eſſet neceſſaria Incarnatio; ſed neutrum horum eſt dicendum: ergo &c. Prob. ſequela maioris; quia ex acceptatione divina eamdem ſuperabundantiam, quam habent merita Chriſti, poſſent habere merita, & ſatisfactio cuiuſcumque purę creaturæ: ergo nulla eſſet congruentia, nec neceſsitas operum Chriſti, ſi hæc ſolum habent condignitatem ex divina acceptatione. Vide quæ diximus tract. 1. diſp. ult. quæſt. ult.

14 Probatur 4. concluſio ratione Doct. cit. num. 5. huius: ſatisfactio Chriſti ſuam condignitatem, & ſuperabundantiam habet à gratia habituali, à qua elicitur, & à dignitate Perſonæ elicientis radicaliter: ergo non habet ab acceptatione actuali. Antec. probatur: meritum condignum habet ſuam condignitatem, & ęqualitatem cum præmio à gratia ſanctificante, à qua elicitur, & dignificatur, non ex natura rei, ſed ex ordinatione divina habituali à nobis explicatę num. 4.: ergo pariformiter ſatisfactio Chriſti Domini ſuam condignitatem, & ſuperabundantiam habet radicaliter ab unione hypoſtatica, & formaliter à gratia ſanctificante, non ex natura rei, ſed ex ordinatione divina; non actuali, & ſupra actum cadente, ſed habituali, & prævia ad actum. Antec. conſtat ex dictis tom. 6. diſp. 4. de *merito*, quęſt. 4. Vide ibi. Quid habeat ſatisfactio Chriſti ab acceptatione actuali cadente ſupra actum? Dicemus ſect. ſequenti.

15 Probatur tandem concluſio: validior fuit ſatisfactio Chriſti ad nos redimendos à peccato, quam peccatum Adę ad nos perdendos; ſed peccatum Adæ ex ſe habuit ſufficientiam ad nos perdendos: ergo & Chriſti ſatisfactio ex ſe fuit condigna, & ſuperabundans ad nos redimendos. Mai. conſtat ex illo Paul.: *ubi abundavit delictum, ibi ſuperabundavit & gratia*. Min. probatur; quia licet peccatum Adæ ratione pacti infecerit totam naturam humanam; tamen pactum Dei cum Adamo non dedit condignitatem peccato; ſolum enim fuit neceſſarium pactum, ut voluntates poſterorum includerentur moraliter in voluntate Adami, tamquam in capite morali; ipſum vero ex ſe habuit ſufficientiam ad nos perdendos: ergo peccatum Adę &c.

SOL-

SOLVUNTUR ARGUmenta.

16 Arguitur 1. ex Subtili Doct. in 3. diſt. 19. q. unica, §. *in iſta queſtione*, ubi ait: loquens de merito Chriſti: *meritum eſſe tale, quia aacceptatum; non vero acceptatum, quia meritum :: ejus meritum tantum bonum erat, pro quanto acceptabatur.* Et poſtea docet, *quod ex circanſtantia ſup-* „ poſiti, & de congruò ratione „ ſuppoſiti habuit quandam ra- „ tionem extrinſecam, quare „ Deus potuit acceptare illud in „ infinitum extenſivè, ſcilicet, pro „ infinitis: ergo juxta Subt. Doct. ſatisfactio, & meritum Chriſti Domini ex ſe, & ab intrinſeco non habet æqualitatem, & ſuperabundantiam cum præmio, nec cum injuria illata. Confirmatur ex ipſo in 4. diſt. 15. quæſt. 1. §. *quantum ad iſtum* ubi docet; purum hominem, per gratiam Dei ſine Chriſti merito potuiſſe ſatisfacere Deo ad æqualitatem, opere aliàs non debito, ſcilicet, opere conſilij, & non præcepti; ſed hæc ſatisfactio æqualis, juxta Scotum, non convenit operi ex natura ſua conſiderato, ſed ex acceptione divina: ergo. Hęc ſunt præcipua loca, quibus Scotiſtæ contrarij contra nos arguunt.

17 Reſpondeo tamen, quod Subt. Doct. in 1. loc. cit. loquitur de merito in actu 2. completo, & prout ex ipſo oritur obligatio in Deo ad concedendum id, quod valebant opera Chriſti; hęc autem obligatio in Deo non niſi per diſtinctam acceptationem actualem, vel promiſsionem induci poteſt, ut ſect. ſequenti oſtendam. Non vero loquitur de merito, & ſatisfactione in actu 1. incomplete ſumptis; hoc eſt, prout ſolum dicunt condignitatem, & æqualitatem proportionis ex parte operis meritorij cum præmio, cui ordinatur, vel injuria, quæ reſarcitur. Et hæc explicatio eſt conſona menti Doct., qui nunquam dixit, divinam acceptationem, & promiſſionem eſſe totale conſtitutum meriti, & ſatisfactionis; ſed tantum dixit, eſſe meriti, & ſatisfactionis complementum; quia ad rationem meriti completi pertinet obligatio juſtitiæ, quę non poteſt aliunde oriri inter nos, & Deum, Chriſtum, & Deum, quam ex pacto, & promiſsione Dei actuali.

18 Similiter, dum ait Scotus, quod meritum Chriſti ex circunſtantia ſuppoſiti, & de congruo ratione ſuppoſiti habuit quandam rationem extrinſecam, quare Deus potuit acceptare illud; non voluit excludere in meri-

rito Christi condignitatem, & æqualitatem proportionis ad tale præmium; sed solùm vult illam condignitatem non competere illi unioni ex natura rei, sed ex pacto, & acceptatione divina habituali inclusa in unione, sicut in gratia sanctificante. Unde, sicut hęc natura sua non justificat opera justi, sed ex ordinatione divina, ut docetur in tract. de justificat.; sic nec unio hypostatica ex se, & ex natura sua elevat opera Christi ad condignitatem cum prętio infinito.

19 Ad secundam rationem deductam ex Doct. cit. in 4. nego min.; quia Scotus ibi solùm tenet, potuisse puram Creaturam, si Deo placuisset, satisfacere pro peccatis ad æqualitatem, interveniente divina acceptatione habituali in ipsa gratia inclusa, quę dedisset ejus operibus valorem, & dignitatem ad divinam acceptationem actualem; & ex prima, illa satisfactio esset condigna, & æqualis cum debito, etsi non esset adeo copiosa, & superexcedens, qualis fuit satisfactio Christi Domini ex circunstantia Personæ satisfacientis, ut expresse tenet ipse Doct. cit.

20 Replicabis: satisfactio Christi non fuit omnino perfecta, & ex rigorosa justitia: ergo nec condigna. & superabundans ex se, & secluſa acceptatione. Respondeo, distinguendo antec.: satisfactio Christi non fuit omnino perfecta ex rigorosa justitia per exclusionem misericordię, & gratię creditoris, concedo antec.: non fuit ratione æqualitatis prætij cum debito, nego antec. & conseq.. De hoc erit specialis sermo in quæst. sequenti.

21 Arguitur 2.: meritum de condigno, ut tale, quantum ad dignitatem, & valorem vitæ æternæ pendet essentialiter ex divina acceptatione, & promissione: ergo & meritum, & satisfactio Christi Domini. Consequentia constat paritate rationis. Antec. prob. 1. ex illo Apostol. ad Rom. 8.: *non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quę revelabitur in nobis*; sed hoc non esset verum, si in operibus meritorijs esset ex natura sua intrinseca condignitas, & æqualitas proportionis ad vitam æternam: ergo. Prob. 2. ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 16. ubi vitam æternam appellat nostrorum operum mercedem ex Dei promissione. Ait enim; *atque* ideo „ bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus „ proponenda est vita ętterna, & „ tamquam gratia Filijs Dei per „ Jesum Christum misericorditer „ promissa, & tamquam merces „ ex ipsius Dei promissione bonis „ ipsorum operibus, & meritis fi-

„ deliter *reddenda* : ergo &c. Hoc id m habetur in Cenonenſi cap. 16.

22 Reſpondeo negando antecedens. Ad 1. auctorit. ex Apoſt. reſpondeo, ſenſum illius eſſe de operibus noſtris, ut a libero arbitrio tantúm procedunt, & de humanis paſsionibus ſecundum ſe conſideratis, præſcindendo à conſortio gratię ſanctificantis. Sic Seraphicus Doct. in 2. diſt. 27. art. 2. quæſt. 3. Reſpondeo 2. admiſſo, quod loquatur de paſsionibus humanis, prout à gratia condignificatis, ſolum intelligendus eſt Apoſt. de condignitate operum quoad durationem, comparando paſsiones huius breviſsimi temporis cum futura gloria æterna; non vero loquitur de condignitate quoad intrinſecum valorem; cum ipſe Apoſtol. ad Chor. 4. expreſſe doceat, prædictas paſsiones æternam nobis mereri beatitudinem; inquit enim: *id, quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

23 Reſpondeo 3; quod ultra condignitatem ex gratia, & acceptationem habitualem in ipſi inclusum requirit Apoſt. divinam promiſsionem, & acceptationem actualem ad ultimum, & conſummatum complementum meriti, quod nequit habere abſque liberalitate, & miſericordia Dei. Hoc etiam in ſenſu loquitur Tridentinum, ut ſect. ſeq. dicam. Similiter & loquitur Cenonenſe; vocant enim vitam æternam gratiam, & liberalitatem Dei, in quantum potuiſſet Deus non promittere vitam æternam noſtris bonis operibus, ea accipiendo ex alijs titulis abſque ulla remuneratione. Unde tam longe abeſt, ut prædicta concilia nobis officiant, quod nobis faveant.

24 Arguitur 3.: ſi Chriſti Domini ſatisfactio eſſet ex ſe, & ab intrinſeco condigna, & ſuperabundans, maxime, quia valor ſatisfactorius creſceret ex dignitate Perſonæ ſatisfacientis; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Prob. min.: valor ſatisfactorius ſolum creſcit ex dignitate Perſonæ ſatisfacientis, quando Perſona eſt intrinſeca, & propria naturæ; ſed in Chriſto Domino Perſona eſt extrinſeca, & adventitia humanitati: ergo ſatisfactio Chriſti non creſcit ex dignitate Perſonæ ſatisfacientis. Reſpondeo, negando min. & mai. probationis; quia ſuppoſitum divinum in Chriſto Domino gerit vices ſuppoſiti creati: & ideo actiones Chriſti ita omnino tribuuntur ſuppoſito divino, ſicut tribuerentur creato, ſi in illo humanitas ſubſiſteret, hoc eſt, quoad ultim. denominationem.

Ar-

25 Arguitur ultimo : si satisfactio Christi est sic superabundans, ita digna esset, ut si Deus gloriam conferret omnibus hominibus, & omnia peccata remitteret (etiam Dæmonum, & Damnatorum) ad hoc totum, & multo plus opera Christi condignitatem habuissent, & superabundantiam ex circumstantia Personæ satisfacientis; sed hoc est falsum: ergo &c. Min. constat; quia nec Dæmonibus, nec damnatis meruit gloriam, adhuc quoad sufficientiam. Respondeo, concessa mai., negando min. loquendo de satisfactione in actu 1.. Ad imbibitam probationem dico, quod nec pro Dæmonibus, nec damnatis satisfecit; quia Deus non ordinavit Incarnationem, nec opera Christi ad hunc effectum; ipsa vero ex se, in actu 1. de se sufficientia erant. Vide argumenta proposita quæst. 1. huius, quæ etiam faciunt pro hac conclusione. Alia autem, quæ procedunt paritate meriti de condigno, vide proposita tom. 6. tract. 17. disp. 4. q. 5. concluſ. 1.

SECT. II.

Quid dicendum de satisfactione Christi Domini in actu secundo, seu completè sumpta.

CONCLUSIO:

26 Satisfactio Christi Domini in actu 2., seu prout respicit Personam, cui fit : aut prout importat obligationem ex parte Dei ad remittendam offensam, dependet essentialiter à libera Dei promissione. Hæc conclusio est Scoti, & omnium Scotistarum communiter. Prob. 1. ex Scriptura : satisfactio Christi Domini in actu 2., & complete sumpta eget pacto, seu acceptatione actuali ad hoc, ut Deus se obliget ad remittendam offensam per talem satisfactionem : ergo &c. Prob. antec. ex illo Isaiæ cap. 53 : *si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longevum* : & ex illo Joann. 11. ubi Christus agit gratias Patri sic : *Pater gratias ago, quoniam audisti me* ; sed huiusmodi acceptatio, & pactum, inutilis esset, si satisfactio Christi Domini ex se, & ab intrinseco, seu in actu 2. completo haberet vim ad obligandum Deum, ut remitteret offensam per talem satisfactionem: ergo &c. Ultra probari potest conclusio omnibus authoritatibus, & rationibus, quæ adducuntur tom. 6. Disp. 3. quæst. 5. concluſ. 2. à num. 79. cursus huius Almæ Provinciæ.

27 Probatur 2. conclusio ex Magn. Par. Augustin. sermon. 26. de verbis Apostoli : satisfactio, & meritum Christi Domini in actu 2., seu complete sumptum importat obligationem ex

parte Dei ad remittendam offenſam ; ſed prout ſic eſſentialiter dependet á libera promiſsione divina , & acceptatione actuali : ergo &c. Prob. min. ex Sancto Doct. dicente : *debitor nobis* „ factus eſt Deus , non aliquid „ accipiendo , ſed quod ei pla„ cuit promittendo , nihil Deo „ dedimus : non eſt quemadmo„ dum iſta voce exigamus debi„ torem Deum : illo ergo modo „ poſſumus exigere Dominum „ noſtrum : *redde , quod promiſiſti ; quia fecimus , quod juſsiſti:* ergo juxta Div. Aug. meritum condignum complete ſumptum, & in actu 2. dependet ab acceptatione divina, & libera promiſſione Dei , qua Deus obligatur ad collationem præmii ; ſed hoc idem dicendum eſt de ſatisfactione comparative ad remiſsionem offenſæ : ergo &c.

28 Probatur 3. concluſio ratione : ſatisfactio Chriſti in actu 2. , & ut importat obligationem ex juſtitia ex parte Dei ad remittendam offenſam , modo explicando quæſt. ſequent., comparatur cum remiſsione offenſæ , ut cauſa illius ; ſed non intellecta actuali acceptatione ex parte Dei , neq; it intelligi ſatisfactio Chriſti , ut cauſa remiſsiva offenſæ : ergo nec ſatisfactio Chriſti in actu 2. completo , & prout importat obligationem juſtitiæ ex parte Dei. Prob. min. : ſecluſa ordinatione , ſatisfactio Chriſti non connectitur cum remiſsione offenſæ : ergo nec intelligitur ut cauſa ipſius. Prob. antec.: ſecluſa ordinatione ex parte Dei de remittenda offenſa per ſatisfactionem Chriſti , poterat Deus abſque ulla injuſtitia accipere talem ſatisfactionem , ut pote debitam Deo pluribus aliis titulis ipſi debitis ; cum Deus ſit ſupremus Dominus , & gaudeat omnimoda poteſtate ſuper omnia opera creata : ergo ſecluſo pacto , ſatisfactio Chriſti non connectitur , ut cauſa , cum remiſsione offenſæ.

29 Confirmatur 1.: hæc propoſitio eſt falſa : *Chriſtus redemit Dæmones , & meruit prædeſtinationem reproborum*; ſed opera Chriſti Domini ex ſe , & ab intrinſeco habebant condignitatem ad redimendos Dæmones & reprobos prædeſtinandos, in actu 1. : ergo hoc non fecit , quia ad rationem completam meriti in actu 2., prout non ſolum dicit reſpectum ad præmium , & debitum , ſed etiam ad perſonam, cui fit , & inducit debitum ex parte Dei ad remittendam offenſam, non ſufficit condignitas in ordine ad debitum , ſed ultra requiritur acceptatio actualis ex parte Dei , ut ex parte ipſius reſultet obligatio ad remittendam of-

offenſam. Confirmatur 2.: de facto opera beatorum non ſunt complete meritoria, nec opera animarum Purgatorij ſunt in actu 2. ſatisfactoria; ſed non alia ratione, niſi quia deficit actualis promiſsio, & acceptatio ex parte Dei; nam in morali bonitate, libertate ſufficienti ad meritum, & ſupernaturalitate cum noſtris conveniunt: ergo requiritur promiſsio, &c.

30 Probatur tandèm concluſio: ſatisfactio, quæ ex ſe ſola inducit in Deo obligationem juſtitiæ ad ſui acceptationem, eſt metaphyſicé connexa cum ſui acceptatione: ergo ſi ſatisfactio Chriſti ita eſt completé digna, ut ſe ſola, ſecluſa quavis divina promiſsione, obligat Deum ex juſtitia ad ſui acceptationem, ſe ſola inducit in Deo obligationem ad ſui acceptationem, & conſequenter eſt metaphyſice connexa cum ſui acceptatione. Infero nunc: ergo promiſsio divina de acceptanda Chriſti ſatisfactione, ſub conditione ſuæ exiſtentię, eſt promiſsio de acceptatione præſtanda ſub conditione metaphyſicé connexa cum ſui acceptatione. Nunc ſic; ſed huiuſmodi promiſsio eſſet vana, & indecoroſa Deo: ergo. Prob. min.: non eſſet minus vana, ac iſta: *promitto Petro, ſub conditione ſuæ exiſtentiæ, quod ſit riſibilis*, cuius vanitas conſtat; quia, etſi nulla promiſsio ſit, hoc ipſo quod Petrus exiſtat, riſibilis erit; cum riſibilitas ſit metaphyſice connexa cum Petro exiſtente; ergo cum verum intercesſerit pactum cum Chriſto de acceptanda eius ſatisfactione, ne hoc pactum frivolum ſit, dicendum eſt, Chriſti Domini ſatisfactionem non obligare Deum ad ſui acceptationem pro remittendo debito contracto per peccatum, ſecluſo pacto; & conſequenter, ut eſſet completè condigna, neceſſario egere pacto, & eſſentialiter pendere á libera promiſsione Dei.

31 Unde, ſi res proprie conſideretur, nullum opus, etſi ſuperexcedens in valore intrinſeco debitum, aut prę̃mium, debet appellari in ſenſu rigoroſo condignum complete, & in actu 2., ſecluſa acceptatione, & pacto; quia hæc condignitas rigoroſe ſumpta non ſolum dicit ęqualitatem cum præmio, aut debito, ſed jus ex parte merentis, aut ſatisfacientis reſpectu Perſonę prę̃miantis, aut cui fit ſatisfactio. Hęc doctrina expreſſe habetur in N. Doct. in 1. diſt. 17. q. 3. §. *ſed tunc eſt ulterius*, ubi ait: quod ratio meriti non habetur complete, niſi habeatur ratio digni, vel dignè ordinabilis ad præmium. Et verſic. *ad aliud*: qui ſecundum ſe conſideratus abſque tali

ac-

acceptatione divina, ſecundum ſtrictam juſtitiam non fuiſſet dignus tali præmio ex intrinſeca bonitate, quam habet ex ſuis proprijs: ergo juxta Doct. ad rationem completam meriti, & dignitatem ejus in hoc ſenſu, requiritur divina promiſsio, & acceptatio. Videte auctorit. Concilij Trid. poſitam num. 21. huius.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

32 Arguitur 1.: ſatisfactio Chriſti Domini ſecundum ſe, & ſecluſa omni acceptatione, eſt condigna, & ſuperabundans prout reſpicit debitum, & præmium: ergo fuit condigna, & ſuperabundans prout reſpicit Perſonam, cui fit, ſeu prout importat obligationem ex parte Dei ad remittendam offenſam, quovis pacto ſecluſo. Prob. conſeq.: ad perfectum, & juſtum remuneratorem ſpectat merita condigna præmiare; ſed Deus eſt talis: & ſatisfactio Chriſti Domini, ſecluſa acceptatione, fuit condigna, & ſuperabundans in ordine ad debitum: ergo. Reſpondeo, negando conſeq.: ad probationem diſtinguo mai.: ad perfectum, & juſtum Remuneratorem ſpectat, merita condigna in actu 2. præmiare, concedo mai.: merita condigna tantum in actu 1., nego mai.: inverſis terminis diſtinguo 2. part. minoris, & nego conſequent. Solutio conſtat ex dictis; ſed

33 Replicabis: ſatisfactio Chriſti fuit tanti valoris, ut Deus vi illius eſſet obligatus ex juſtitia ad remittendam offenſam, omni acceptatione excluſa: ergo quia in actu 2. fuit condigna independenter à pacto. Prob. antec. ex Div. Anſelm. lib. 2. *cur Deus homo*, cap. 19. ubi ait: *quantum autem ſit, quod Filius ſponte dedit, non eſt opus exponere*; ſuffi„cienter patet: cum autem, qui „tantum donum ſponte dat Deo, „ſine retributione debere eſſe, „non judicabis: imo neceſſe eſ„ſe video, ut Pater Filio retri„buat; alioquin injuſtus eſſe vi„deretur, ſi nollet; aut impo„tens, ſi non poſſet, *quæ aliena ſunt à Deo*. Hæc Div. Anſel. Nunc ſit; ſed neceſsitatem retributionis ex parte Dei fundat Sanctus Doctor in magnitudine, & valore operum Chriſti Domini: ergo quia ejus ſatisfactio &c.

34 Reſpondeo negando antec.. Ad probationem ex Div. Anſelm. conceſſa authorit. diſtinguo min. ſubſumpt.; ſed neceſsitatem retributionis fundat S. Doct. in magnitudine tamquam *in ratione fundamentali* ipſius, conc. min.: tamquam *in ratione formali*, & *completiva*, nego min.

min. & conſeq.. Etſi verum ſit, juxta Div. Anſelm., quod Deus fuit neceſsitatus ad remuneranda Chriſti merita, hæc neceſsitas, tamen, ortum duxit ex Dei immutabilitate, ut expreſſe ibi aſſerit in fine cit. capitis dicens: *palàm enim eſt, quia Deus, ut hoc faceret, quod diximus, nullatenus indigebat; ſed ita veritas immutabilis exigebat.* Immutabilitas ergo Dei procedit ex alia voluntate antecedente acceptante, & promittente remiſsionem injuriæ ex ſatisfactione Chriſti. Ex quo ſequitur, quod neceſsitas, quam in Deo agnovit Anſelm., ut Chriſto retribuat, & ejus ſatisfactionem acceptet, proceſsit ex promiſsione, & pacto.

35 Arguitur 2.: ſatisfactio, & meritum Chriſti Domini, etſi non ſit ſimpliciter infinita in valore morali, eſt tamen ſecundum quid infinita, & ſumma in genere ſatisfactionis; ſed ſatisfactio in ratione valoris eſſentialiter includit acceptabilitatem paſsivam in ordine ad acceptationem activam, & promiſsionem ex parte Dei, ut creditoris, ſeu includit virtutem movendi voluntatem præmiantis: ergo acceptabilitas paſsiva Paſsionis Chriſti, vel virtus movendi voluntatem præmiantis, eſtò ſimpliciter infinita non ſit, eſt ita ſumma, ut major in genere ſatisfactionis excogitari non poſsit. Diſcurſus eſt certus. Subſumo nunc; ſed nulla eſt excogitabilis acceptabilitas paſsiva obſequij, & ſatisfactionis, quę ſumma ſit, niſi quæ cogit creditorem ad ſui acceptationem, præciſo quovis pacto, ut notum eſt: ergo talis eſt Chriſti Domini ſatisfactio.

36 Hoc argumentum ſi urget, maxime Thomiſtas, qui nobiſcum afferentes, Chriſti ſatisfactionem independenter à divina promiſsione non potuiſſe obligare Deum ad remiſsionem offenſæ, poſtea contra nos defendunt, talem ſatisfactionem eſſe ſimpliciter infinitam in valore morali. Hæc enim doctrina, meo judicio, non bene cohæret; nam quomodo acceptabilitas paſsiva ſatisfactionis Chriſti poterit eſſe ſimpliciter infinita, quin ex ſe independenter ab omni promiſsione obliget Deum ad remiſsionem offenſæ? Ipſi videant. Pro nobis reſpondeo, conceſſo primo diſcurſu, negando ſuppoſitum minoris ſubſump.; quia implicat obſequium, & ſatisfactio ita paſsivé acceptabilis ex ſe in actu 2., & complete, ut independenter à pacto, & promiſsione divina cogat ex juſtitia Deum, ut creditorem ad ſui acceptionem; ut ſatis liquet ex probationibus concluſionis, maxime ex authorit. Div. Aug..

Ar-

37 Arguitur 3.: ſi ſatisfactio Chriſti Domini penderet ex acceptatione divina quoad rationem completam ſatisfactionis, ſequerentur plura abſurda; ſed hoc non eſt dicendum: ergo &c. Prob. mai.: 1. ſequeretur, Chriſtum Dominum nec quoad ſufficientiam meruiſſe parvulis redemptionem, maxime illis, qui decedunt in utero Matris; quia iſtis Deus non promiſit, ut reciperent baptiſmum; ſed hoc eſt inconveniens: ergo &c.. Sequeretur 2., Chriſtum non ſatisfeciſſe pro antiquis Patribus, nec illis meruiſſe gratiam; quia ante Incarnationem nulla potuit eſſe acceptatio habens rationem pacti; cum Chriſtus nondum fuerit. Sequeretur 3.; quod validius fuiſſet peccatum Adæ, quam meritum Chriſti; nam peccatum ſine ullo pacto meretur nobis pœnam æternam; meritum vero Chriſti ſine pacto non potuit promereri nobis gratiam, & gloriam. Denique ſequetetur, Chriſtum non ſolum meruiſſe nobis gratiam adoptionis, ſed etiam ut Deus haberet huiuſmodi promiſsionem, qua noſtra opera ipſi redderentur accepta; ſed hęc omnia ſunt incommoda, & abſurda: ergo &c.

38 Reſpondeo ad argumentum, negando mai; ad iſtius 1. probat., nego pariter mai. Chriſtus ergo Dominus etiam parvulis decedentibus in utero materno meruit ſalutem quoad ſufficientiam, quatenus ſua paſſione, & morte meruit, ut inſtitueretur remedium in ſe ſufficiens tam pro illis, quam pro alijs, ſcilicet, Sacramentum Baptiſmi; quia ſicut in Deo eſt vera, & ſincera voluntas generalis de omnium ſalute, juxta illud Apoſtoli: *vult Deus, omnes homines ſalvos fieri*: quam etiam de parvulis explicat Auguſtinus lib. 4. contra Julianum, dicens: *nunquid parvuli homines non ſunt, ut non pertineant ad illud quod dictum eſt: qui vult omnes homines ſalvos fieri?* Ita ergo Chriſtus Dominus habuit voluntatem generalem veram & ſinceram ſolvendi pretium redemptionis pro omnibus, omnibuſque præparare media ſufficientia ad ſalutem. Cur autem omnibus, & ſingulis non applicetur remedium redemptionis, ſatis declaratum eſt tom. 2. curſus huius Alm. Provinciæ tract. 4. diſp. 1. quæſt. 4. vide ibi, maxime ab argumento 4. numero 22..

39 Ad ſecundam ſequelam argumenti nego ipſam cum ejus imbibita probatione. Chriſtus enim Dominus ſatisfecit pro Patribus per ejus opera prævisa, & ob ipſa fuit illis gratia data. Unde ſic etiam fuit pactum prævi-

viſum, quamvis nondum exhibitum; quia ſicut ſine dubio potuit Deus habere tale decretum, & promiſsionem, antequam Chriſtus naſceretur, ita etiam potuit prævidiſſe non ſolùm dignitatem operum Chriſti Domini, ſed etiam pactum. Unde ob merita prævisa, & ſuppoſito pacto, ſeu ordinatione, ſatisfecit Chriſtus Dominus pro Patribus, ipſiſque meruit gratiam. Vide dicta diſp. antec. quæſt. 5. ſect. 2. per totam.

40 Ad 3. ſequelam, nego ipſam. Ad imbibitam probationem reſpondeo 1., negando paritatem; quia diverſa eſt ratio de merito, ac de peccato. De meritum enim, ſeu peccatum non inducit jus ad pœnam, ſed tantum habet peccator obnoxietatem, ut puniatur talibus pœnis; meritum vero inducit jus, & ſic requiritur pactum ad illud. Clarius: ad merendum pœnam non requiritur, quod alius ſit debitor ad illam infligendam, neque ut qui peccat habeat jus ad exigendam pœnam; nàm ipſe peccans conſtituitur debitor pœnæ abſque ullo pacto, & confert jus ſuperiori ad illam infligendam. At vero ad completam rationem meriti requiritur, quod alius ſit debitor, & quod tribuat merenti jus proximum reſpectu præmiantis, ut debitoris. Cum Deus ergo con ſit obligatus nec debitor reſpectu cuiuſcumque creaturę, incluſo Chriſto Domino, niſi ratione ſuæ promiſsionis; ideo ad completam rationem meriti requiritur pactum, ſeu promiſsio

41 Reſpondeo 2. negando imbibitam probationem; quia Adæ peccatum transfuſum fuit in nos ratione pacti. Imò, & noſtrum peccatum ex voluntate Dei punitur pœna damni, & ſenſus, ſive hæc voluntas ſit pactum, ſive non; quia hoc parum refert. Unde, licet peccatum ex ſe ſit dignum pœna, ſicut meritum ex ſe eſt dignum præmio; tamen ex natura rei peccatum non determinat ſibi certam ſpeciem, aut modum pœnæ, præſertim ſenſus: & ſic quoad hoc neceſſaria eſt aliqua peculiaris ordinatio ex lege Dei, taxans cuiuſcumque culpæ proprium modum pœnæ; qua lege ſuppoſita, unumquodque peccatum talem pœnam meretur, & non aliam. Quare peccator non dicitur complete, & proxime pœnam mereriti, & puniri, niſi dependenter à lege Dei taxantis certam pœnam.

42 Ad ultimum concedo ſequel., & nego conſeq.; Chriſtus enim non ſolum meruit nobis gratiam adoptionis, quæ nos facit adoptatos, & dignos vita æterna, ita ut ſi moreremur in tali ſtatu, perduceremur

in vitam æternam, tamquam in hæreditatem ipſi gratiæ neceſſario, vel connaturaliter debitam; ſed etiam meruit, quod ſic adoptaremur, & redderemur amici Dei, ut Deus vellet nobis promittere eamdem vitam æternam per modum præmij, & mercedis, acceptando noſtra opera ex gratia elicita, tamquam condigna talis præmij, & mercedis.

43 Arguitur 4.: ut opera juſtorum ſint complete meritoria vitę æternæ, nullum requiritur pactum: ergo nec ut ſatisfactio Chriſti ſit complete talis. Prob. antec.: ſi propter aliquam rationem requiritur tale pactum, ut opera juſtorum ſint complete meritoria de condigno, maxime, quia meritum de condigno pertinet ad materiam juſtitiæ, vel perfectè, vel imperfectè; ſed hęc ratio non probat neceſsitatem talis pacti: ergo &c. Maior conſtat; quia per meritum de condigno acquirit merens jus juſtitiæ ad præmium, & in præmiante conſingit obligatio juſtitiæ ad illud reddendum. Prob. min.: ſiat inter homines, quod unus apud alium de condigno mereatur, & illum obliget ex juſtitia ad retribuendum præmium abſque pacto: ergo quamvis opera juſtorum pertineant ad materiam juſtitiæ, hęc non probat &c. Prob. antec.: ſi aliquis laboret in prędio alterius, aut aliquid faciat in ejus utilitatem, eo ipſo, & abſque promiſsione merebitur præmium apud Dominum prædij: ergo &c.

44 Confirmatur 1.: eo ipſo, quod Dominus prædij juberet operarijs operari in illo, ſi laborant, tenebitur ſolvere abſque alia promiſsione: ergo pariter, éo quod Deus jubeat juſtis ſervare legem ſuam, ſi illam ſervant, merentur mercedem, etſi Deus de novo non promittat. Confirmatur 2.: pactum, quod inducit obligationem juſtitiæ, debet eſſe notum, & acceptatum ab eo, cui aliquid ex juſtitia tribuendum eſt; ſed tale pactum non eſt ſic notum, nec acceptatum apud plures merentes: ergo &c. Mai. conſtat, quia qui aliquid promiſit, manet liber ab obligatione juſtitiæ, quandiu promiſſarius id non novit, aut acceptavit. Min. etiam patet; quia ſunt permulti in lege Evangelica, qui nec noverunt, nec audierunt de tali pacto; & tamen habuerunt opera meritoria de condigno vitæ æternæ.

45 Reſpondeo negando antec., & min. probationis, ad cuius probationem, nego pariter antec., vel ipſo conceſſo, nego conſeq. & paritatem. Ratio eſt; quia eſto verum eſſet, quod homo poſsit eſſe debitor mercedis, aut ſtipendij reſpectu alterius homi-

minis abſque pacto ; quia unus non habet jus in laborem alterius ; tamen manifeſta diſparitas eſt inter Deum & homines. Ratio eſt ; quia Deus infinitos habet proprié titulos in noſtras operationes , quaſque exigere valet quolibet titulo; & ſic nequit obligari ex juſtitia , niſi intervenerit aliquod pactum , aut promiſsio ex parte ipſiusmet Dei.

46 Ad 1. confirmationem , conceſſo antec. nego conſeq. ; quia eo ipſo , quod Dominus prædij præcipiat laborare, facit pactum implicitum cum operarijs de juſto præmio reddendo , & tenetur ex juſtitia illud ſolvere. At , quamvis Deus præcipiat juſtis bene operari, non tenetur eorum opera præmiare, ſecluſo pacto actuali ; quia illa opera ſunt illi debita titulis *creationis* , *conſervationis* , *redemptionis &c.* ; nec Deus abdicavit à ſe dominium proprietatis , quod habet ſuper illa : & ſic hoc præceptum non includit pactum implicitum de præmio reddendo. Explicatur : Pater præcipit Filio non emancipato ; & Dominus Servo non manumiſſo , ut operentur in obſequium Patris , & Domini : nonne vi huius præcepti tenerentur ex juſtitia præmiare prædicta opera ? Neutiquam; quia ſunt illis debita ex titulo filiationis , & ſervitutis. Sic pariter diſcurrendum eſt de operibus juſtorum, etſi præceptis, comparative ad Deum.

47 Ad 2. confirmat. diſtinguo mai. : pactum , quod inducit obligationem juſtitię debet eſſe notum , & acceptatum, vel *explicite* , vel *implicitè* , conc. mai. : *pręciſe explicite*, nego mai.: inverſis terminis diſtinguo min., & nego conſeq. Itaque, licet plures rudes, & idiotæ ignoraverint ante legem gratiæ , & in iſta non ſciant clare , & expreſſe pactum, & promiſsionem Dei ſub nomine pacti , & promiſsionis ; nullus tamen poteſt eſſe juſtus adultus , potenſque mereri , qui hoc pactum neſciat ſaltem implicite; cum debeat credere , *Deum eſſe*, *& Remuneratorem eſſe* , juxta illud Apoſtoli: *accedentem ad Deum, oportet credere , quia eſt, & quia remunerator eſt.* Si hoc non crederet, neque erit juſtus, nec apud Deum merens. Unde ſaltem implicite credere debet , vitam æternam eſſe promiſſam bonis operibus juſtorum ; & hanc promiſsionem implicite acceptat, eo ipſo , quod vult operari bene.

48 Arguitur 5. , & eſt replica : opera juſtorum ſunt elicita à gratia habituali : ergo in ipſis abſque nova acceptatione eſt jus proximum ad vitam æternam. Prob. conſeq. : gratia habitualis per ſe ſine ulla alia ac-

ceptatione, & libera promiſsione Dei conſtituit nos Filios Dei adoptivos, & hæredes vitę æternæ: ergo pariter opera bona á juſto elicita ex gratia reddunt eum dignum vita æterna in ratione mercedis, & præmij. Antec. conſtat ex illo Paul. ad Galat. 4.: *itaque jam non eſt ſervus, ſed filius; quod ſi filius, & hæredes per Deum.* Et ad Roman. 8.: *quod ſi Filii, & hęredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.*

49 Probatur conſeq.: Filio benè operanti, ex ſolo filiationis titulo ſtricto jure debetur hęreditas Paterna, non ſolum ſub titulo hæreditatis, ſed etiam ſub titulo mercedis, & præmij ratione bonorum operum: ergo ſi gratia habitualis per ſe, ſine ulla alia acceptatione nos Filios Dei adoptivos conſtituit, & hęredes vitæ æternæ, pariter ratione ipſius præciſe operibus juſtorum ex ea elicitis, aut ab illa imperatis, debetur vita æterna, non ſolum ſub titulo hæreditatis, ſed etiam mercedis, & præmij; aliàs vileſceret ipſa gratia; quia ipſi detrahitur proprius ejus effectus, ſcilicet, meritum. Confirmatur: Filio debetur hęreditas, ſi benè ſe gerat, etſi nulla alia conventio, & pactum intercedat inter Patrem, & Filium; ſed nos conſtituimur Filij Dei per gratiam: ergo ſi bene operemur, debetur nobis vita æterna. Hoc argumentum, quod eſt fundamentum contrariorum, continet plura falſa.

50 Primò falſum eſt, quod actus ſit formaliter meritorius ex hoc præciſe, quod procedat ab homine juſto, & grato Deo; & conſequenter, quod in ipſo ſit jus proximum ad vitam æternam, & in Deo obligatio ad ipſam retribuendam. Ratio eſt; quia tunc omnis actus ſic procedens eſſet Deo gratus, & de condigno meritorius vitæ eternæ; nam poſita cauſa formali, & per ſe alicuius effectus, iſte ponitur; ſed ſi hoc eſſet verum, ſequerentur abſurda: ergo. Probatur min.: ſi omnis actus, qui provenit ab homine juſto, eſſet meritorius, ſequererur 1., quod homo juſtus non poſſet venialiter peccare, quod apud omnes eſt falſum. Sequeretur ſecundò, quod cum juſtus poſſet venialiter peccare, quin amittat gratiam, talis actio venialiter peccaminoſa eſſet meritoria. 3. in ſententia probabili admittente actus indifferentes in individuo, tales actus eliciti à juſto eſſent meritorij; quę omnia ſunt abſurda. Sec hoc omiſſo, in forma

51 Reſpondeo, negando conſeq., ad cuius probationem diſtinguo antec.: gratia habitua-

lis

lis per ſe, *conſiderata in eſſe qualitatis* conſtituit nos &c. nego antec.: conſiderata *in eſſe gratiæ*, ſubdiſtinguo antec.; ſine ulla acceptatione, & libera promiſsione Dei actuali, conc. antec.: ſine ulla acceptatione habituali, nego antec. & conſeq.. Ad probationem huius nego antec. quoad 2. part.. Licet enim Filio ratione filiationis præciſe debeatur hæreditas, non tamen ſub titulo, & nomine præmij, & mercedis, niſi intercedat promiſsio Patris; cum omnia opera Filij non emancipati ſint debita Patri titulo filiationis. Quare, cum gloria conferenda ratione gratiæ ſit tamquam hereditas, & ratione meriti, tamquam merces; hinc fit, quod licèt homo per gratiam ſit adoptatus in filium Dei, & habeat jus hæreditarium ad gloriam, non tamen habet jus meritorium, niſi ad ejus operа antecedat promiſsio de præmio retribuendo, juxta illud Jacobi 1.: *accipite coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.*

52 Tota hæc doctrina confirmatur ex Trid. ſeſ. 6. cap. 16. ubi docet. *Atque ideo bene operantibus uſque in finem, & in Deo ſperantibus*, proponenda „eſt vita æterna, & tamquam „gratia Filijs Dei per Jeſum „Chriſtum miſericorditer promiſ„ſa, & tamquam merces ex ip„ſius Dei promiſsione, bonis „ipſorum operibus, & meritis „*fideliter reddenda.* Ubi concilium appellat vitam æternam, gratiam filijs Dei miſericorditer promiſſam (en acceptationem habitualem) & poſtea appellat ipſam vitam æternam *mercedem* ex ipſius Dei promiſsione (en acceptationem actualem) pro meritis reddendam. Hoc idem docet, & ſeſ. 14. cap. 8..

53 Ad confirmationem diſtinguo mai.: Filio debetur ratione filiationis, & adoptionis hæreditas *unice ſub titulo hæreditatis*, conc. mai.: etiam *ſub titulo mercedis, ſeu præmij*, nego mai.: & conceſſa min., nego conſeq. ſub prædicta diſtinctione. Aliud ergo eſt loqui de merito Perſonæ, & aliud de merito operis, de quo hic eſt ſermo. Similiter aliud eſt loqui de vita æterna, ut eſt hæreditas; aliud vero, ut eſt merces, corona, & bravium. Merito Perſonæ, & non operis, debetur vita æterna, ut hæreditas fideliter promiſſa ante omnia opera jure filiationis, & adoptionis per gratiam. Sic enim datur infantibus baptizatis, ſine ullo merito decedentibus, nam eam non poſſunt mereri, niſi merito Perſonæ.

54 At vero, ut Filius adoptivus vitam æternam obtineat,

neat, ut mercedem, coronam, & bravium, ultra meritum Perſonę requiritur etiam meritum operis, quod proprie dicitur meritum, juxta illud Apoſtoli: *non coronabitur, niſi qui legitime certaverit*, quod de adultis intelligendum eſt. Unde conſequenter requiritur promiſsio, & pactum ex parte Dei retribuentis; quia Deus ex alijs pene innumeris titulis poſſet opera Filiorum adoptivorum accipere abſque ulla alia compenſatione; hinc eſt, quod ut ſint meritoria de condigno vitę æternæ, ultra acceptationem habitualem incluſam in gratia, egent promiſsione actuali cadente immediate ſupra ipſa opera.

55 Replicabis 1.: gratia in eſſe gratiæ, & ut ſubeſt divinæ ordinationi, eſt acceptatio ad gloriam, tamquam ad hęreditatem, & præmium: ergo non tenet ſolutio hucuſque data. Prob. antec. quoad 2. part., in qua eſt difficultas: gratia confertur juſtis non ſolum ut conſtituantur Filii Dei, & habeant jus hęreditarium ad vitam ęternam; ſed etiam ut ſit principium operis meritorij, ita ut ipſa opera dignificata per gratiam funcent jus meritorium vitæ ęternę: ergo confertur juſtis, ut eſt ordinatio, & acceptatio ad gloriam, tamquam ad hęreditatem, & tamquam ad mercedem.

56 Reſpondeo, negando antec. quoad 2. part., & diſtinguo antec. probationis, etiam quoad 2. part.: ſed etiam ut ſit principium operis meritorij, unice quantum ad valorem actus reſpectu prędmij, concedo ant.: ſed etiam ut ſit principium operis meritorij tàm quantùm ad valorem, & condignitatem actus reſpectu præmij, quàm quantùm ad inducendam obligationem, & debitum ex parte Dei de præmio retribuendo, nego antec. & conſeq.. Ordinatio ergo incluſa in gratia unice extenditur ad dignificandam Perſonam, & communicandum ejus operibus elicitis ex inclinatione gratiæ condignitatem, & valorem ad gloriam, conferendam per modum præmij, & coronæ, quo in ſenſu dicitur principium meriti; non verò ſe extendit ad dandum jus proximum, & immediatum ad gloriam, inducendo debitum, & obligationem in Deo de ea conferenda, in quo ſtat completa ratio meriti; ſed ad hoc exigitur promiſsio ſuperaddita, jam explicata.

57 Replicabis 2.: acceptatio incluſa in gratia, ut eſt principium meriti, ita ſtatui poteſt, ut vi ipſius non tantum accepietur Perſona ad gloriam, tamquam ad hęraditatem, & conferatur actui ex illa exhibito con-

condignitas, & valor æquivalens ad gloriam, tamquam ad præmium; ſed etiam, ut vi illius obligetur Deus ad talem actum compenſandum tali præmio, in quo ſtat ratio completa meriti; ſed hoc ipſo jam acceptatio poſterior eſſet omnino ſuperflua: ergo &c. Reſpondeo diſtinguendo mai.: acceptatio incluſa in gratia ita ſtatui poteſt, ut &c. *in alia providentia*, conc. mai.: *in præſenti providentia*, nego mai., & conceſſa min. nego conſeq.

58 Verum igitur eſt, quod ſi acceptatio habitualis incluſa in gratia poneretur, ut in maiori dicitur, plane omnino ſuperflueret alia acceptatio ad completam rationem meriti; cum talia opera inducerent obligationem, & debitum in Deo ad ea compenſanda tali præmio, in quo ſtat complementum meriti. Tamen, cum rationes adductæ, authoritates PP., & conciliorum ultra acceptationem habitualem in gratia incluſam concincant aliam ordinationem actualem Dei, ratione cuius gloria confertur juſtis, ut merces, & corona; hinc dicimus, quod in præſenti providentia non includitur in gratia habituali ratio completiva meriti; quia aliàs, ut manet probatum, redderetur promiſsio illa divina imprudens, & ſuperflua, quod Deo repugnat.

59 Ex dictis colliges 1., acceptationem divinam eſſe rationem, ſeù conditionem completivam meriti, non ſolum, ut ſic, ſed etiam ut Chriſti Domini; nam ut ait Doct. in 3. diſt. 18. q. unic.: *meritum eſt aliquid acceptatum, vel acceptandum in alio, pro quo, ab acceptante aliquid eſt retribuendum illi, in quo eſt, quaſi debitum pro illo merito, vel alteri pro quo meruit.* Hæc autem acceptatio non eſt aliquod novum decretum Dei pro tempore, pro quo operatur aliquis, ut Thomiſtæ judicant, & male imponunt Scoto. Eſt ergo decretum generale, & æternum, quo ſtatuitur conferre tale, aut tale præmium omni exiſtenti in gratia, & operanti in talibus circunſtantijs. Unde per æternum decretum Incarnationis Chriſti in carne paſsibili, & ut Redemptoris, decrevit Deus acceptare ejus opera in ſatisfactionem omnium peccatorum. Videatur Scotus in 1. diſt. 17. q. 1. art. 1.

60 Colliges 2., quod Scotus non docet, acceptationem illam, in qua ſtat ratio completiva meriti Chriſti Domini, fuiſſe ita liberam, & gratuitam, ut nihil ſpeciale viderit Deus in operibus ipſius, per quod motus fuerit ad illa acceptanda pro ſatisfactione omnium peccatorum;

nam

nam non ſolum aſpexit naturam, & entitatem talium operum, ſed etiam reſpexit dignitatem Perſonæ divinę terminantis, & ſuſtentantis naturam operantem. „ Ideoque dixit Subt. Doct.: ex „ formali ratione ſua illa opera „ non poterant acceptari in infi„ nitum pro infinitis, ſed pro „ finitis (nota ſequentia) tamen „ ex circunſtantia ſuppoſiti, & de „ congruo ratione ſuppoſiti, ha„ buit quamdam rationem extrin„ ſecam, quare Deus potuit ac„ cipere illud in infinitum, ſci„ licet, extenſive pro infinitis. Notetur, hoc bene.

QUÆST. III.

Utrum Chriſti Domini ſatisfactio fuerit ex toto rigore juſtitiæ?

1 VIdimus in antecedentibus, ſatisfactionem Chriſti Domini fuiſſe condignam, æqualem, imò ſuperabundantem ab intrinſeco, offenſæ Deo illatæ per peccatum. Reſtat inquirere: an etiam fuerit ex juſtitia: & ex toto rigore juſtitiæ? Sed quia rigoroſa juſtia deficere poteſt, vel ex materia circa quam, hoc eſt, quia peccatum, & offenſa in Deum non ſit ſtricta injuſtitia: vel quia Deus ex ſtricta juſtitia obligari nequit: vel denique, quia ſatisfactioni Chriſti deficiunt conditiones requiſitę ad ſtrictam juſtitiam; ideo ultra dicta tom. 6. tract. 17. diſp. 4. q. 6. per totam, hæc omnia in hac quæſt. per varias ſectiones diviſa tradentur; ſed per prius

2 Noto 1.: quod hoc nomen *juſtitia* varie ſumi valet: 1. *communiſsimè*, & ſic ſumitur pro virtute conſtituente æqualitatem cum regulis morum. 2. ſumitur *minus late*, ſcilicet, pro virtute nos diſponente in ordine ad alterum, ut gratitudo, fidelitas, pietas, & miſericordia. 3. ſumitur pro juſtitia *generali*, quę *legalis* appellatur; cuiuſque munus eſt, bonum commune procurare præferendo ipſum bono privato ſingulorum. 4. demùm ſumitur juſtitia pro virtute ſpeciali; quæque ſic definitur: *eſt conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum unicuique tribuens.* Unde ſpeciale munus huius virtutis eſt conſtituere æqualitatem inter aliquios ſecundum debiti rationem. Quare, ſi debeo Petro centum, non eſt inter nos æqualitas: & dum ea reſtituo facit juſtitia inter nos æqualitatem. De juſtitia ſic ſumpta eſt in præſenti ſermo. Sed

3 Noto 2., quod hæc juſtitia ſubdividitur in *commutativam, & diſtributivam.* Commu-

mutativa eſt, quæ reſpicit æqualitatem valoris rerum commutatarum, ſcilicet, *dati*, & *accepti* ſine ullo reſpectu ad Perſonas. Unde, ſi mutuaſti à Petro equum, equum debes ipſi reddere. Sic dicunt, quod hæc juſtitia innititur æqualitati arithmeticæ, ſed non ſecundum æqualitatem in eſſe rei, & entis, ſed quę ſit taxata, vel juxta prudentum æſtimationem, vel juxta legem Principis. Juſtitia diſtributiva eſt, quæ pertinet ad ſuperiores, & innititur æqualitati proportionis, attendendo nedum valorem, & quantitatem bonorum, ſed etiam Perſonarum idoneitatem, & conditionem, ex qua oritur proportio geometrica; Quare Princeps diſtribuens munera, gradus, & officia Reipublicæ inter concives, debet attendere dignitatem, & idoneitatem uniuſcuiuſque.

4 Noto 3. quod utraque juſtitia tam commutativa, quam diſtributiva dividitur in *præmiativam*, & *punitivam*. Prima eſt, quę pro meritis reddit prędmia. Secunda, quæ & vindicativa dicitur, eſt quæ pro delictis reddit pœnas. Unde, ſi ſolum reſpiciunt æqualitatem præmij cum merito, vel pœnæ cum demerito, dicuntur commutativæ; verum, ſi ultra æqualitatem rerum reſpiciant etiam Perſonas, tunc dicuntur diſtributivę. Noſter Subt. Doct. in 1. diſt. 17. q. 2. has juſtitias prędmiativam, & punitivam communi nomine vocat, ſcilicet, *retributiva*. Ex his

5 Noto 4.; quod injuria, & injuſtitia per oppoſitum eſt obligatio, aut debitum ortum ex juſtitia. Quando enim aliquis retinet rem, ſupra quam alter habet jus, & dominium, retentio hæc dicitur injuſtitia, & tamdiu retinens, reſtitutioni, & ſatisfactioni manet obligatus. Quare obligatio, aut debitum ex juſtitia ſic denifinitur: *Eſt juris vinculum, quo neceſsitate adſtringimur alicuius ſolvendę rei.* Sed clarius, & brevius: *eſt onus rem alienam reſtituendi.* Per rem alienam intelligitur omne id, quod poteſt eſſe objectum, vel materia juris, & dominij; ſed hoc debitum aliud eſt ex ſtricta juſtitia, & eſt quod oritur ex *dato*, & *accepto*, ut ſi accepiſti centum, centum dare teneris. Aliud eſt ex juſtitia late ſumpta, quęque ortum ducit á fidelitate promittentis, quo aliquis tenetur ex ſua fidelitate, & veracitate in promittendo, ſolvere rem, quam dare promiſit.

6 Noto tandem, quod ad ſatisfactionem ex toto rigore juſtitiæ ſex communiter conditiones requirunt Theologi. Prima eſt, quod ſatisfactio non ſupponat gratiam creditoris. Hæc

conditio includitur in illa particula *æquivalentis*, poſita in definitione ſatisfactionis tradita à N. Doct. per hęc verba: *eſt redditio voluntaria æquivalentis pro æquivalenti, aliàs indebiti.* Ratio huius eſt; quia juſtitia, & gratia opponuntur, juxta illud Pauli: *ſi ex operibus: ergo non ex gratia.* Ideoque quantum ſatisfactio gratiæ miſcetur, tantum minuitur ex perfectione juſtitiæ. Undé, ſi debes centum, & ſolvas decem, hiſque creditor contentus ſit, licet debitum ſolvas, non ſatisfacis ad æqualitatem; quia mediat gratia, & liberalitas creditoris, & ſic illa ſatisfactio deficit à rigore juſtitiæ.

7 Secunda conditio eſt, quod ſatisfactio fiat, non ex bonis ipſius creditoris, ſed ex bonis proprijs debitoris, in quæque creditor nullum jus, aut dominium habeat. Sed nota, quod jus eſt duplex, unum *ad rem*, & aliud *in re*. Primum eſt ad acquirendam poſſeſsionem, & dominium rei tam morale, quam phyſicum. Secundum eſt quando moraliter, & phyſicé res poſsidetur. Quando ergo dicitur, ſatisfactionem non debere fieri ex bonis creditoris, intelligi debet de bonis, ſupra quę debitor habet jus *in re*; quia ſi tantum creditor habeat jus *ad rem*, hoc non impedit rigoroſam ſatisfactionem; atque ideo reſtitutio rei furatę eſt perfecta reſtitutio, etſi creditor habeat jus ad talem rem.

8 Tertia conditio eſt, *quod ſatisfactio fiat ex aliàs indebitis*; quæque ita intelligenda eſt, ut ſit ex indebitis alio titulo creditori; quia duplici debito nequit ſatisfieri unica ſolutione; quare, ſi debeo Petro centum ex emptione, & alia centum ex furto; reddendo tantum centum, minimè ſatisfatio; nam manet aliud debitum centum inſatisfactum. Hæc conditio videtur reduci ad alias duas præcedentes. Quarta conditio eſt, *jurium altereitas*, ſeu quod ſatisfactio ſit ad alterum realiter, & moraliter diſtinctum; ita ut creditor, & debitor nedum phyſice diſtinguantur, ſed etiam quantum ad jura commutativa, taliter, quod bona, quibus ſatisfactio fit, non ſint ſub dominio creditoris, & debitoris; ſed uterque ſit ſui juris, juſque unius diſtinguatur ab alio. Hac ratione inter Patrem, & Filium non emancipatum, Dominium, & ſervum non manumiſſum nequit reperiri juſtitia rigoroſa.

9 Quinta conditio eſt, quod ſatisfactio fiat ab ipſo debitore perſonaliter, ſeu ab ipſo offendente. Quæ conditio unicè te-

tenet in reſtitutione honoris, uti eſt in præſenti; quia offenſa eſt contra honorem Dei. Ratio eſt; quia offenſus in honore habet jus exigendi ſatisfactionem ab ipſo offendente; nec iſte valet jacturam honoris læſi reparare, niſi per ſe ipſum, aut per alium ex ejus commiſsione, & mandato. Sexta, & ultima conditio eſt, quod creditor teneatur acceptare ſatisfactionem. Ratio eſt; quia ſatisfactio ex rigore juſtitiæ debet eſſe debito æqualis: & ſtante hac æqualitate cum debito, teneretur creditor illam acceptare; cum totum jus creditoris ad illam non acceptandam oriatur ex inæqualitate inducta per debitum. Hæc conditio includitur, ſicut prima, in illa particula æquivalenti. His totatis, jam ad difficultates incluſas in titulo quæſtionis deveniamus. Sit ergo

SECT. I.

An omne peccatum lethale ſit ſtricta injuſtitia contra Deum?

CONCLUSIO.

10 Omne peccatum lethale eſt ſtricta injuſtitia contra Deum; ideoque peccans ex quolibet peccato manet obligatus ex juſtitia ad ſatisfaciendum Deo pro illata injuria. Concluſio eſt N. Doct. in 4. diſt. 14. q. 2., quem communiter ſequuntur Scotiſtæ, Thomiſtæ, & plures Jeſuitæ contra aliquos RR., inter quos noſter Sendin. Prob. 1. ratione: actio, vel omiſsio oppoſita vero, & ſtricto juri fundato in dominio juriſdictionis, & proprietatis ad aliquam rem, eſt ſtricta injuſtitia contra Dominum rei; ſed quodcumque peccatum lethale eſt huiuſmodi actio, vel omiſsio contra Deum: ergo. Mai. conſtat ex dictis; probatur min.: Deus habet jus verum, & ſtrictum fundatum in dominio proprietatis, ne ab homine inhonoretur; ſed omne peccatum lethale eſt actio, vel omiſsio tali juri oppoſita: ergo &c. Mai. conſtat; prob. min.: omnis inhonoratio, & contemptus Dei eſt oppoſitus juri fundato in dominio proprietatis Dei, ne ab hominibus inhonoretur; ſed omne peccatum lethale eſt ſaltem virtualis inhonoratio Dei, juxta illud ad Roman. 2.: *per prevaricationem legis Deum inhonoras*: ergo &c.

11 Prob. 2. concluſio: Deus non minus eſt Dominus ſui honoris, quam creatura; ſed omnis actio, vel omiſsio oppoſita honori debito homini eſt ſtricta injuſtitia in illum hominem: ergo, cum peccatum lethale ſit oppoſitum honori Deo debito, erit

potiori titulo ſtricta injuſtitia contra Deum. Conſeq. infertur; maior eſt nota, & minor conſtat; quia honor eſt æſtimatione dignus, & eſt res aliena; ideoque quando læditur invito Domino, committitur ſtricta injuſtitia. Confirmatur: virtus juſtitiæ inclinat in elargitionem debiti honoris alicui Perſonæ: ergo ablatio talis debiti honoris eſt oppoſita juſtitiæ. Nunc ſic; ſed omne peccatum lethale eſt ablatio honoris Deo debiti: ergo eſt ſtricta injuſtitia in Deum.

12 Nec valet reſpondere, quod licet lethale ſit contra jus, quod Deus habet, ne à creatura contemnatur; non hoc eſt ſtricta injuſtitia; quia ad hoc ultra requiritur, quod à Deo auferret aliquod utile, aut inferret aliquod nocumentum; quia juſtitia, & injuſtitia verſari debent inter utile, & nocivum, juxta Philoſ. 5. Ethicor. cap. 4.: hoc autem non facit lethale erga Deum: ergo non eſt ſtricta injuſtitia.

13 Non valet, inquam, primò; quia conceptus formaliſſimus juſtitiæ eſt reddere unicuique, quod ſuum eſt: & injuſtitiæ, eſt auferre rem, quæ eſt juris alterius: ergo tam juſtitia, quam injuſtitia ex ſuo conceptu formali præſcindunt ab utilitate, & nocumento: ergo eſtò lethale non inferat Deo nocumentum, ſemel ac ſit ablatio honoris Deo debiti, erit injuſtitia formalis in Deum. Hæc conſequentia conſtat; quia quod eſt extrinſecum alicui virtuti, aut vitio, non eſt neceſſe, quod inveniatur in aliqua actione reſpiciente talem virtutem, aut vitium. Deinde: judicium temerarium v.g. de aliqua Perſona per ſe præciſe conſideratum eſt injuſtitia; etſi tale judicium ratione Perſonæ ipſum efformantis nullum nocumentum auferat Perſonæ, contra quam efformatur: ergo, etſi peccatum non inferat Deo nocumentum, eo ipſo quod ſit ablatio honoris Deo debiti, erit injuſtitia.

14 Contra 2.: licet peccatum lethale non auferat à Deo nec affective, nec effectivè rationem intrinſecam ultimi finis, aufert tamen affective, & effectivé actum 2., quo Deus à creatura debebat reſpici, ut finis ultimus ſuarum operationum; ſed hoc ſufficit, ut peccatum lethale ſit ſtricta injuſtitia in Deum; nam Deus in actu 2. privatur honore, quo debet reſpici, ut finis ultimus à creatura, eſtque indigna tractatio Dei, & ſuæ maximæ, ac infinitæ dignitatis: ergo. Unde, ſi aliqua Perſona in gravi dignitate collocata pateretur falſum teſtimonium à Perſona vili, quamvis per accidens nul-

nullum ſequeretur nocumentum ex tali falſo teſtimonio talis vilis Perſonæ, nihilominus hæc injuſtitiam committeret in talem nobilem Perſonam. De hoc amplius in argumentis.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

15 Arguitur 1. : ſicut Deus laudibus noſtris non eſt beatior, & perfectior, ita per peccatum nullum patitur damnum : ergo &c. Antec. conſtat ex illo Job. 22. : *quid proderit Deo, ſi juſtus fueris : aut quid ei confert, ſi fuerit immaculata vita tua?* Conſeq. probatur : ſolùm ille verum jus juſtitiæ poteſt acquirere in alium, cui ab alio aliquod damnum afferri poteſt ; ſed implicat, peccatum Deo afferre aliquod damnum, vel tollere aliquod bonum utile : ergo non eſt ſtricta injuſtitia. In primis reſponderi poteſt, negando conſeq., & mai. probationis, ex dictis num. 13. huius. Reſpondeo tamen, verum eſſe, per peccatum non lædi intrinſecè Deum, ſicut nec per bona opera creaturæ acquirere aliquid intrinſecum utile, quo ſenſu loquitur Job ; verumtamen lædi tur in bonis extrinſecis, ſcilicet, æſtimatione, gloria, & honore, quæ maxime æſtimabilia, & appetibilia ſunt ; ſicut ſic honoratur per opera juſti. Quare Paúl. 2. ad Timoth. cap. 2. appellat juſtum : *vas in honore ſanctificatum, & utile Domino.*

16 Replicabis : ergo ſicut ponimus ſtrictam injuſtitiam in Deum per peccatum, ita licebit ponere in nobis erga ipſummet Deum *beneficentiam, & liberalitatem* ; ſed hoc non eſt dicendum : ergo nec ſuſtinenda prędicta reſponſio, ex qua hoc ſequitur. Prob. ſeq. primę conſequentiæ : ſicut enim dicimus, quod juſtitia inter homines, eſtó verſetur inter utile, & nocivum, non tamen in ordine ad Deum, ita poſſet quis dicere, quod licet beneficentia, & liberalitas connotent in creaturis utilitatem ; tamen exercitæ erga Deum illam non connotant ; & conſequenter non implicare, creaturam exercere talem virtutem erga Deum : ergo &c.

17 Reſpondeo, negando primam conſeq. cum ejus probatione, maximè quantum ad beneficentiam ; nam benefacere ex ſuo conceptu intrinſeco, prę ſcindendo à quocumque alio, eſt exhibere alicui bonum aliquod, conducens ad meliorem ſuum ſtatum : & ſic utilitatem intrinſece affert. Quapropter, cum Deus nullius extra ſe indigeat ad ſuam ſummam felicitatem, ideo nequit ho-

homo eſſe benefactor Dei. Hoc reſpondent aliqui de liberalitate. Sed probabilius eſt, quod quoties homo per eximia, & præclara ſupererogationis opera ſe exercet, liberalis eſt erga Deum. Unde dicimus, quod liberalitas erga homines indigentiam connotant, ſicut juſtitia utile, aut nocivum; non vero erga Deum.

18 Arguitur 2.: per peccatum non lęditur jus ſtrictum Dei: ergo &c. Prob. antec.: nequit lędi per lethale jus illud, cuius uſus ſemper eſt in poteſtate Dei; ſed huiuſmodi eſt jus Dei in opera creaturę; ſiquidem, cum Deus voluerit, poteſt habere omnia opera noſtra: ergo &c. Confirmatur: non fit injuſtitia contra aliquem, niſi illo invito; *nam ſcienti, & volenti nulla fit injuria*, ex regula 27. juris in 6.; ſed Deus ſcit, quando peccamus, & non vitat exiſtentiam peccati, cum facillimè illam vitare poſſet: ergo in patratione peccati non videtur invitus: ergo nec injuſtiam pati. Reſpondeo negando antec., & maiorem probationis abſolute prolatam; ſicut & minorem: verum ergo ſimpliciter, & abſolute eſt, omnia opera creaturæ eſſe magis in voluntate Dei, quam creaturæ; veruntamen ex ſuppoſitione, quod Deus decrevit conſervare libertatem creaturæ in ſuis actionibus, tales actiones ſunt magis, vel ſaltem æquè in poteſtate creaturæ, ac Dei. Unde, etſi abſolute loquendo poſſit ea vitare, non tamen ex ſuppoſitione.

19 Ad confirmationem, nego 1. conſeq.; quia Deus non permittit peccata ea approbando; imo potius ſunt Deo involuntaria, illaque revera odit, habetque prohibitivam volitionem illorum; ideoque dum peccamus, Deo reſiſtimus, & contra ejus voluntatem facimus. Et licet ea abſolute non impediat, ut poteſt; non tamen illa abſolute vult, ſed permittit, ne noſtram impediat voluntatem. Quę ſanè permiſsio non tollit à noſtro peccato rationem injuſtitię. Hoc confirmatur ex damnatione quinquageſimæ propoſitionis inter damnatas ab Innocent. XI., quæque aſſerebat: *acceſſum ad conjugatum, marito conſentiente, non eſſe adulterium*, quæ jure condemnata eſt; quia talis acceſſus eſt ſtricta injuſtitia, quæ nequit auferri per conſenſum, & permiſsionem mariti impotentis cedere jure ſuo in corpus uxoris. Similiter: Tyranni committunt injuſtitiam ſtrictam in Martyres, quamvis iſti non renuant mori; quia nequeunt cedere jure ſuo ad vitam.

Ar-

20 Arguitur 3.: ſi lethale eſſet ſtricte injuſtitia in Deum, ſequeretur primò, quod etiam veniale; cum hoc ſit contra jus Dei; ſed hoc non: ergo. Sequeretur 2., quod omne lethale haberet duas diſtinctas malitias, unam ex objecto virtutis oppoſitæ; & aliam contra juſtitiam: ergo teneretur peccans hanc malitiam in confeſsione declarare, quod eſt contra praxim pœnitentium, & confeſſariorum. Sequeretur 3., peccantem ſtatim, ac peccat, teneri conteri de ſuo peccato, & Deo ſatisfacere; quia juſtitia obligat ad ſtatim reſtaurandam injuriam; ſed eſſet nimis durum peccatori; quia pro quocumque ſtatu, & momento, quo non contereretur, novum committeret peccatum: ergo &c.

21 Reſpondeo, negando primam ſequelam; ad probationem dico, quod eſtò veniale ſit contra jus Dei, non eſt proprie injuſtitia; quia hæc proprie explicat offenſam, & injuriam gravem juris alterius: & veniale eſt levis contemptus. Ad ſecundam ſequelam, nego conſequentiam; quia cum talis circunſtantia ſit generalis malitia in omni lethali reperta, non eſt opus illam in confeſsione aperire. Ad 3. nego antec., & conceſſo antec. probationis, nego conſeq.. Diſparitas eſt; quia Deus ceſsit tali juri nolens nos obligare onere inſoportabili; quodque magis conſonum videtur divinæ miſericordiæ: & aliunde nullibi conſtat præceptum ſtatim pœnitendi.

SECT. II.

An Deus ex juſtitia ſtricta teneatur acceptare ſatisfactionem Chriſti, ſuppoſito pacto?

CONCLUSIO PRIMA.

22 Satisfactio Chriſti Domini, adhuc ſuppoſito pacto divino de ejus acceptatione, & ſuppoſita exiſtentia talis ſatisfactionis, non obligavit Deum ex juſtitia proprie, & rigoroſe commutativa ad eam acceptandam pro remiſsione noſtrorum peccatorum; proindeque, ſi illam non acceptaret, non irrogaret Chriſto ſtrictam injuriam. Eſt noſtri Doctoris in 4. diſt. 36., & 16. quæſtionibus primis. Eam tenent plures Thomiſtæ, & Jeſuitæ. Probari ſolet concluſio variis authoritatibus SS. PP.. Sufficiat pro omnibus Magnus P. Auguſt., qui in ſerm. 16. de de verbis Apoſtoli ſic quærit: *in his enim quæ jam habemus, videmus Deum largitorem; in his, quæ non habemus, tenemus debitorem. Sed quo*

pacto debitorem? Notate reſponſionem.

23 *Debitor nobis factus eſt Deus, non aliquid accipiendo, ſed* quod ei placuit promittendo: „aliter enim dicimus homini: de„bes mihi, quia dedi tibi: & „aliter dicimus: debes mihi, „quia promiſiſti mihi. Deo igi„tur, quid dicimus: redde mi„hi, quia dedi tibi? Quid di„cimus Deo, quando, quod ſu„mus, & habemus boni, ab „illo habemus? Nihil ergo ei „dedimus. Non eſt, quemadmo„dum iſta voce exigamus debi„torem Deum: illa ergo poſſu„mus exigere Dominum noſ„trum: redde quod promiſiſti, „quia fecimus quod juſsiſti: & *hoc tu feciſti, qui laborantes adjuviſti.* Hæc Aug.: quæ verba negant aliquod genus debiti in Deo; ſed non debitum fidelitatis, nec gratitudinis, ut eſt communis Theologorum ſententia; nec debitum juſtitiæ proprié dictę, prout à metaphorica diſtinguitur, ut conſtabit concluſione ſequenti: ergo removet Auguſtinus debitum ſtrictæ, & rigoroſæ juſtitię.

24 Probatur concluſio ratione: implicat, Deum fieri debitorem creaturæ ex ſtricta juſtitia, quavis ſuppoſitione facta; ſed ſatisfactio Chriſti Domini eſt opus creatum: ergo &c. Prob. mai.: implicat, Deum, quavis ſuppoſitione facta, non eſſe perfectiſsimum Dominum creaturarum; ſed hoc perfectiſſimum dominium creaturarum eſſentialiter pugnat cum vero, & ſtricto debito reſpectu creaturæ: ergo &c. Prob. min.: debitum eſt vinculum juris, quo ex ſtricta juſtitia, aut neceſsitate adſtringimur ad ſolutionem alicuius rei: dominium verò eſt abſolutio ab omni vinculo orto à jure alterius: ergo perfectiſsimum dominium creaturarum eſſentialiter pugnat cum vero, & ſtricto debito; & conſequenter, quacumque ſuppoſitione facta, implicat Deum fieri debitorem creaturæ ex ſtricta juſtitia.

25 Reſpondent contrarii, quod licet Deus, ſuppoſita promiſsione de acceptanda Chriſti Domini ſatisfactione, non poſsit non illam acceptare; non ob hoc minuitur ejus dominium; quia hęc impotentia moralis non eſt antec., ſed conſequens ſuam liberam promiſsionem, quę non deſtruit dominium morale Dei. Ad modum quo non derogat dominium phyſicum Dei, ad creandum alium Mundum, impotentia ad illum non creandum orta ex decreto ad ipſum non creandum; quia hęc impotentia eſt conſequens ſuum decretum.

Sed

26 Sed contra 1. : aliud eſt, quod poſito pacto de acceptanda Chriſti ſatisfactione, in ſenſu compoſito ſit impoſsibile Deo, ea non acceptare : aliud vero, quod ſit obligatus ex ſtricta juſtitia ad eam acceptandam. Primum eſt verum ; quia Deus eſſet infidelis, & inconſtans in ſuis promiſsis, quod repugnat ipſi. Secundum vero eſt falſum; quia adhuc in ſenſu compoſito promiſſionis retinet Deus ſupra omne creatum ſuum perfectiſsimum dominium ; quodque, ut pote quid intrinſecum ipſi, non poteſt à ſe abdicare : ergo quamvis Deus, ſuppoſito pacto, non poſsit non acceptare ſatisfactionem Chriſti Domini, non tamen manet neceſsitatus ex juſtitia ſtricte ſumpta ad ipſam acceptandam. Hoc & non plus probat ipſummet exemplum adductum in reſponſione.

27 Probatur 2. concluſio ratione: ut Chriſtus Dominus ſua ſatisfactione obligaret Deum ex ſtricta juſtitia commutativa ad ſui acceptationem, ſuppoſita div. promiſsione, neceſſe erat, quod Chriſtus haberet jus, & dominium in divinam acceptationem in ordine ad remiſsionem offenſæ, ſuppoſita div. promiſsione; ſed omnis creatura eſt incapax dominii, & juris reſpectu Dei, adhuc ſuppoſita div. promiſsione oneroſa : ergo &c. Mai. conſtat; quia ſi Chriſtus, aut creatura quævis eſt incapax dominii reſpectu Dei, adhuc ſuppoſita quacumque promiſsione oneroſa, nequit conſequenter acquirere jus, aut dominium ſupra rem promiſſam, ut comprobatur exemplo Fratris minori, qui quia vi ſuæ regulæ, & profeſsionis eſt incapax dominii, implicat, quod maneat in obſervantia ſuæ regulæ, quin habeat talem incapacitatem.

28 Probatur minor principalis ; ſi creatura, poſita divina promiſsione, adhuc ſub conditione aliqua oneroſa de aliquo præmio, poſſet obligare Deum ex ſtricta juſtitia ad collationem præmii, hoc eſſet ratione alicuius emancipationis, vel manumiſſionis creaturę contentæ in divina promiſsione ; ſed hoc repugnat : ergo &c. Prob. min. : implicat, Deum alienare jus dominativum, & paternum, quod habet ſuper creaturas : ergo. Probatur antec. : jus dominativum Dei fundatur in eſſentiali dependentia creaturæ ad Deum; ſed adhuc ſuppoſita div. promiſſine, creatura in eſſendo, & operando eſſentialiter à Deo dependet : ergo. Declaratur exemplo Religioſi ſubditi, cui etſi Prælatus ſub conditione oneroſa aliquid promittat ; non ob hoc ac-

quirit jus ſtrictum juſtitiæ erga Prælatum; quia per votum paupertatis omnia bona ſubditi fiunt religionis, aut Summi Pontificis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

29 Arguitur 1. ex variis authorit. Sac. Script., Conciliorum, & PP., in quibus ſignificatur, Deum ex juſtitia remunerare merita juſtorum: ergo potiori titulo debet acceptare Chriſti Domini ſatisfactionem ſuppoſito divino pacto. Has authoritates adducemus concluſione ſequenti. Reſpondeo, quod juſtitia in talibus authoritatibus intelligenda eſt, non de juſtitia communiter dicta, aut metaphoricè ſumpta, prout eſt virtus nos diſponens in ordine ad alterum, & prout coincidit cum pietate, gratitudine, & fidelitate; nec de juſtitia ſtrictè, & rigorosè commutativa, ut quę verſatur in humanis; ſed de juſtitia propriè dicta, quæ non eſt commutativa, nec diſtributiva ſimpliciter, ſed ſecundùm quid: & eſt quæ á Scoto vocatur *retributiva*, aut *compenſativa*; de quaque erit ſermo concluſione ſequenti.

30 Arguitur 2. ratione: obligatio ex ſtricta juſtitia non opponitur cum dominio Dei: ergò ſuppoſita divina promiſsione de acceptanda ſatisfactione Chriſti, non implicat Deum teneri ex ſtricta juſtitia ad illam acceptandam. Prob. antec.: quod eſt exercitium divini dominij, aut oritur ex exercitio ipſius, non opponitur cum tali dominio; ſed in Deo obligatio ex ſtricta juſtitia eſt exercitium divini dominij, aut oritur ex exercitio ipſius: ergo &c. Probatur min.: actio ſupponens in agente dominium ad ipſam, oritur ex dominio ipſius; ſed actio, qua oritur obligatio ex juſtitia in Deo, ſupponit eſſe dominium ad talem obligationem; quia ubi non adeſt verum dominium Dei, nequit eſſe obligatio ex juſtitia erga talem rem conferendam: ergo &c.

31 Reſpondeo negando antec.: ad probationem diſtinguo mai.: quod eſt exercitium divini dominij, retinendo tale dominium, non opponitur Dei dominio, conc. mai.: quod eſt exercitium alienativum divini dominij, non opponitur, &c. nego mai.: & diſtinguo min.; ſed in Deo obligatio ex ſtricta juſtitia eſt exercitium *alienativum* divini dominii, conc. min.: eſt exercitium *retentivum* ipſius, nego min., & conſeq.: eiſdem terminis diſtinguitur mai. & minor probationis. Itaque, caſu, quo Deus ex juſtitia ſtrictè ſumpta obli-

obligaretur ad acceptandam Chriſti ſatisfactionem, Deus cederet jam de ſuo jure ad ipſam acceptandam, vel non acceptandam: ad modum quo, ſi ego ex ſtricta juſtitia teneor ad conferendum librum Petro v. g., hæc obligatio aufert à me dominium ſupra talem librum: & ſic huiuſmodi obligatio orta ex exercitio dominij, quod habebam ſupra talem librum, tollit, & alienat dominium.

32 Sic, ergo, pariter eveniret caſu, quo Deus exercendo dominium, quod habet ſupra cunctas res creatas, obligaretur ex ſtricta juſtitia alicui creaturæ ad hoc, ut ipſi conferret aliquod donum, aut beneficium; nam tunc caſus jus proprium, quod Deus haberet erga tale beneficium, aut donum, transferret in creaturam; ita ut hæc ex rigore juſtitiæ poſſet exigere à Deo tale donum, aut beneficium. Hoc autem Deo repugnat; quia Deo ita inſeparabiliter convenit dominium omnium rerum, omniſquè actionis creatę, ut per nullum actum divinæ voluntatis, nullaquè ſuppoſitione facta, poſsit Deus abdicare à ſe talem poteſtatem, aut dominium. Hoc enim proprium eſt contractuum humanorum.

33 Arguitur 3.: poſita obligatione ex juſtitia de acceptanda Chriſti ſatisfactione, poteſt Deus illam non acceptare ſine injuria Chriſti: ergo obligatio ex ſtricta juſtitia non opponitur cum dominio Dei. Prob. antec.: ſi Deus habet in ſua manu acquirere ceſsionem juris, quod Chriſtus haberet ad acceptationem activam ex divina promiſſione, Deus poſſet non acceptare ſatisfactionem Chriſti ſine huius injuria; ſed adhuc poſita obligatione ex juſtitia, habet Deus in ſua manu acquirere ceſſionem talis juris Chriſti; nam ſi ipſe manifeſtaret, ſuæ voluntatis eſſe, cedere tali jure à ſe acquiſito, abſdubio ipſo cederet: ergo &c. Reſpondeo negando antec.: ad prob. diſtinguo maiorem: ſi Deus habet in ſua manu &c., Deus poſſet non acceptare ſatisfactionem Chriſti, habita ceſsione juris Chriſti, conc. mai.; non habita ceſsione, nego mai..

34 Diſtinguoquè minorem; ſed adhuc poſita obligatione ex juſtitia, habet Deus in ſua manu poteſtatem acquirendi ceſſionem juris: & hac habita, deficit in Deo obligatio ex juſtitia ad acceptandam Chriſti ſatisfactionem, conc. min.: & hac habita ſubſiſtit in Deo talis obligatio ex juſtitia, nego min. & conſeq.. Itaquè, caſu, quo Pater Æternus manifeſtaret Chriſto ſuum beneplacitum, ut cederet

jure à ſe acquiſito de ſua ſatisfactione acceptanda, abſdubio cederet Chriſtus; ſed tunc etiam deficeret in Deo obligatio ex juſtitia ad acceptandam Chriſti ſatisfactionem; & tunc jam eſſemus extra ſtatum quæſtionis.

35 Arguitur 4.: eò obligatio ex juſtitia eſſet oppoſita dominio Dei, quia tolleret poteſtatem proximam utendi rebus ſine licentia alterius, ejuſqué injuria; ſed hoc eſt falſum: ergo. Prob. min.: obligatio orta in Deo ex fidelitate, eſt in Deo metaphyſicè inconjungibilis cum poteſtate proxima utendi re promiſſa, prout Deo libuerit; ſed hæc obligatio ex fidelitate componitur cum divino dominio: ergo & obligatio ex juſtitia. Reſpondeo, conceſſa mai., negando min.: & diſtinguo mai. probationis: obligatio ex fidelitate eſt in Deo metaphyſice inconjungibilis cum poteſtate proxima utendi re promiſſa, titulo perfectionis, & infinitæ conſtantiæ Dei in ſuis promiſsis, con. mai.: titulo alicuius juris creati ipſum ex juſtitia potentis exigere, cuiquè Deus ſit obligatus, nego mai., & conceſſa min., nego conſeq.. Eſt enim magna diſparitas inter obligationem ortam ex fidelitate, & ortam ex rigoroſa juſtitia. Prima enim eſt ſimpliciter à Deo, & in Deo: ſecunda verò, etſi antecedenter eſſet à Deo, conſequenter tamen eſſet increatura contra Deum.

36 Arguitur 5.: poſita obligatione ex juſtitia de acceptanda Chriſti ſatisfactione, poteſt Deus dare Chriſto præcisè uſum in divinam acceptationem, quin illi conferat jus, aut dominium in illam; ſed nullo ſtante jure ex parte Chriſti in divinam acceptationem, Deus abſque injuria Chriſti poteſt illam non acceptare: ergo &c. Prob. mai.: uſus eſt ſeparabilis à dominio, adhuc in rebus uſu conſumptibilibus, ut patet in nobis Fratribus Minoribus: ergo &c. Reſpondeo, negando mai.: & diſtinguo antec. probationis: uſus eſt ſeparabilis à dominio, dum *abeſt* debitum juſtitiæ, conc. antec.: dum *adeſt*, nego antec.: ideo in nobis uſus rerum ſeparatur à dominio; quia per votum paupertatis reddimur incapaces juris.

37 Arguitur ultimò: promiſsio oneroſa ſub conditione operis oneroſi æqualis cum præmio, adimpleta conditione, inducit in promittente obligationem juſtitiæ; ſed Chriſto Domino fuit promiſſa noſtra redemptio ſub conditione ſuæ paſsionis, & mortis: & hæc opera fuerunt nedum æqualia, ſed ſuperabundantia rei promiſſæ: ergo ſuppoſita promiſsione ex parte Dei, Deus ex juſtitia tenetur ſatisfactio-

tionem acceptare. Reſpondeo, diſtinguendo mai.: promiſsio oneroſa &c., ſi promiſsio intercedat inter Perſonas capaces ſtrictæ juſtitiæ, concedo mai.: ſi non intercedat, nego mai. & conſeq.. Deus ergo non eſt capax obligationis ſtrictæ juſtitiæ reſpectu creaturæ, ſicut nec Pater reſpectu Filii non emancipati: nec Dominus reſpectu ſervi non manumiſsi: nec tandém Prælatus reſpectu ſui ſubditi. De hoc redibit ſermo ſectione ſequenti.

SECUNDA CONCLUSIO.

38 Suppoſita divina promiſsione Dei, Deus acceptavit ſatisfactionem Chriſti non ex pura fidelitate, & gratitudine, ſed ex propria, & vera juſtitia retributiva, vel compenſativa, quæ aliqualiter commutativa dici poteſt, hoc eſt, ſecundum quid, ſeu ſecundum proportionem. Hæc concluſio colligitur ex Doct. in 4. diſt. 46. quæſt. 1., quem ſequuntur plures Scotiſtæ contra alios, & plures Jeſuitas. Prob. 1. concluſio illis authorit. Sac. Scripturæ, quibus aſſeritur, gloriam conferri Juſtis à Deo tamquam mercedem, & coronam juſtitiæ. Cap. 5. Sapientiæ verſic. 10. dicitur: *Juſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum.* 2. ad Thimoth. cap. 4.: *repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi in illa die Juſtus Judex.* Supra quę Auguſtinus ſerm. 2. de verbis Apoſt. ait: *reddet mihi Deus coronam Juſtus judex: debet ergo, quod reddet: ergo Juſtus Judex, non enim opere inſpecto, poteſt negare mercedem.* Et 1. ad Corinth. 3.: *unuſquiſque ſuam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.* Vide Trid. ſeſ. 6. cap. 17.

39 Prob. 2. concluſio ratione deducta ex his authoritatibus: Deus confert juſtis gloriam ex vera, & propria juſtitia, & non ex ſola fidelitate, & gratitudine, ſtante divina promiſsione: ergo & ſatisfactionem Chriſti ſic acceptavit. Conſequentia paritate conſtat. Antec. vero, ultra authoritates adductas, ſic probatur ex Tridentino cit.: juſtis conceditur vita æterna ſub conditione oneroſa ſuorum bonorum operum; ſed promiſsio facta ſub conditione operis oneroſi, condigni, & æqualis cum re promiſſa, inducit in promittente maiorem obligationem, quàm promiſsio pure liberalis alicuius rei: ergo cum iſta inducat obligationem fidelitatis, illa inducit obligationem juſtitiæ; ſed non ſtrictè, & rigoroſè commutativæ, ut conſtat ex concluſione antecedenti: ergo propriæ,

priæ, & veræ juſtitiæ. Nunc ſic; ſed Deus promiſit Chriſto noſtram redemptionem ſub conditione oneroſa ſuæ paſſionis, & mortis: ergo hac poſita, & ſuppoſita divina promiſsione, Deus tenetur &c.

40 Confirmatur: Deum, ſuppoſita promiſsione de acceptanda Chriſti ſatisfactione, illam acceptare ex propria juſtitia retributiva, ſicque noſtram offenſam remittere, non arguit in Deo imperfectionem, ſed potiùs ſummam perfectionem; ſed Deo tribuere debemus omnem perfectionem ſine imperfectione: ergo. Mai. prob.: etſi arguat imperfectionem, Deum obligari ex ſtricta juſtitia ab aliquo à ſe diſtincto, & obligatione independente ab ejus libera voluntate; tamen Deum à ſe ipſo, & ex ſuppoſitione aliqua ſibi libera, obligari, ad præmia conferenda conformiter ad valorem meritorum, ſummè decet Deo, ut juſto judici, remuneranti merita juxta ipſum condignum valorem: ergo &c.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

41 Arguitur 1. opponendo omnia illa teſtimonia Scripturę, & PP., quibus concluſionem præcedentem probant Noſtrates; ex quibuſquè infertur, nullum juſtitiæ debitum reperiri in Deo ad creaturas, ſed ſolùm ſuæ bonitati eſſe debitorem. Reſpondeo tamen breviter, teſtimonia illa intelligi debere de juſtitia rigoroſa commutativa, & ſtricta; non vero de debito minus rigoroſo preſupponente gratiam, & liberalitatem ipſius Dei. Hoc enim agnoſcunt in Deo PP. ſtrictius, & arctius debito ſimplicis fidelitatis, taliter uti ſit veluti medians inter debitum rigoroſæ juſtitiæ, & debitum puræ fidelitatis.

42 Arguitur 2. ex Subt. Doct. in 4. diſt. 46. quæſt. 1. ubi docet: non poſſe dari in Deo juſtitiam ſimpliciter reſpectu creaturæ; quia non poteſt eſſe ſimpliciter æqualitas; ſed poteſt aliqualiter ſecundùm proportionem, ſicut inter Dominum, & ſervum: Dominum enim liberalem decet tribuere maius bonum, quàm ſervus poſſet mereri; dum tamen ſit talis proportio, quod ſicut ſervus facit, quod ſuum eſt, ita Dominus tribuat, quod ſuum eſt. Hanc eamdem doctrinam repetit Doctor in eod. loc. in reſponſione ad primum: ergo juxta Subt. Doct. non datur in Deo reſpectu creaturæ juſtitia: ergo nec ex juſtitia acceptat Chriſti ſatisfactionem.

Reſ-

43 Reſpondeo, intentum Subt. Doct. ibi ſolùm eſſe excludere inter Deum, & creaturam juſtitiam rigoroſé ſumptam, quæ eſt juſtitia ſimpliciter; quia non poteſt dari inter Deum, & Creaturam æqualitas ſimpliciter orta ex natura dati, & accepti; non vero intendit Scotus excludere juſtitiam, ſuppoſita acceptatione divina; aliás opera juſtorum reſpectu vitæ æternæ non eſſent meritoria de condigno, ſed ſolùm de congruo. Nec obeſt, quòd Deus liberaliter gloriam conferat; quia hoc provenit ex eo, quod opera juſtorum, quantumvis condigna, poteſt Deus non compenſare; cum illi ſint debita ex aliis titulis: & hoc optimè componitur cum juſtitia propria ad illa opera remuneranda, ſuppoſita promiſsione liberaliter facta, etſi non componatur cum juſtitia rigoroſè ſumpta.

44 Arguitur 3. ratione: juſtitia ex ſua ratione formali habet tribuere unicuique jus ſuum; ſed creatura nullum poteſt habere jus privatum erga Deum: ergo implicat propria, & vera juſtitia inter Deum, & creaturam; & conſequenter &c. Prob. min.: implicat, quòd creatura habeat jus privatum ſupra id, ſupra quod non habeat Deus jus univerſale: & conſequenter, quod non poſſit Deus illo jure uti abſque injuria, licet non poſsit abſque infidelitate, ſuppoſita promiſsione; ſed hoc ipſo implicat in creatura jus aliquod privatum reſpectu Dei: ergo &c. Mai. conſtat; quia nihil poteſt habere creatura, quod non ſit á Deo collatum, & ſub dominio Dei. Prob. min.: implicat v. g. quod Petrus habeat jus privatum in librum Pauli, & quod Paulus ſine injuria Petri poſsit ad placitum diſponere de jure, & libro Petri.

45 Hoc argumentum validiſsimum eſt contra admittentes in Deo obligationem ex rigoroſa juſtitia reſpectu creaturæ, non vero contra nos illam negantes. Sicut enim à Deo relegamus ſtrictam juſtitiam, & debitum rigoroſum reſpectu creaturæ, ſimiliter relegamus jus privatum ſtrictæ juſtitiæ erga Deum, & ſolùm fatemur jus decentię, & connaturalis exigentiæ, fundatum in perfectione morali meritorum, quatenus iſta moraliter petunt remunerari conformiter ad ſuum valorem moralem. Undé in forma, conceſſa maiori, diſtinguo minorem; ſed creatura nullum poteſt habere jus ſtrictæ juſtitiæ erga Deum, concedo min.: jus decentiæ, aut connaturalis exigentiæ, nego minorem: eiſdem terminis diſtinguitur conſequens, & negatur conſequentia ſubillata.

SECT.

SECT. III.

Oſtenditur, ſatisfactionem Chriſti Domini non fuiſſe ex toto rigore juſtitiæ defectu conditionum.

46 Ab initio huius quæſtionis à num. 6. enumeravimus conditiones, quas communiter exigunt AA. ad rigoroſam, & ſtrictam juſtitiam. Vide ibi. Nunc ergo noſtri laboris eſt oſtendere, Chriſti Domini ſatisfactionem non habuiſſe omnes, & ſingulas illas conditiones. Prob. 1. de prima conditione: quotieſcumque à creditore purè liberaliter remittitur aliqua pars debiti, ſatisfactio fundatur in gratia creditoris, & nequit eſſe de rigore juſtitiæ; ſed ſic ſe habet ſatisfactio Chriſti Domini: ergo non habet primam conditionem &c. Prob. min.: homo per peccatum contraxit debitum carendi omni dono, & beneficio ſupernaturali, & etiam beneficio Incarnationis, út nobis proficuo: ergo Deum decernere Incarnationem omninò liberaliter, & independenter ab omni merito, tam noſtro, quam Chriſti, fuit remittere purè liberaliter aliquam partem debiti; cum nec Chriſtus, nec nos potuerimus mereri Incarnationem, ut dictum manet diſp. antec.: ergo Chriſti ſatisfactio ſupponit gratiam Dei creditoris, & conſequenter non potuit eſſe de rigore juſtitię.

47 Explicatur hoc exemplo: alicui homini ob delictum commiſſum ſit per legem hæc duplex pœna conſtituta: quod careat omni beneficio Regis: quod mulctetur ducentis argenteis; aut flagelletur publice. Si huic homini Rex omninó liberaliter tribueret illos ducentos argenteos, ut ſic evaderet pœnam flagellationis, ille homo non ſatisfaceret ex toto rigore juſtitiæ pro ſuo delicto; etſi pro pœna flagellationis ſatisfaceret ad æqualitatem, tradendo argenteos acceptos à Rege. Et ratio eſt, quia Rex aliquam partem debiti jam antea remiſerat. Sic in præſenti; homo per peccatum contraxit duplex debitum. Primum carendi omni dono, & beneficio ſupernaturali. Secundum ſuſtinendi pœnas Inferni. Deus autem independenter ab omni merito decrevit Chriſtum Redemptorem, qui eſt pretium, quo ſoluta fuit ſecunda pœna: ergo licet Chriſti Domini ſatisfactio condigna, & ſuperabundans ſit comparative ad alias pœnas per peccatum contractas, cum tamen partem debiti remiſſam ſupponat liberaliter, non erit ex toto rigoræ juſtitiæ.

Nec

48 Nec dicas, quòd gratia unionis hypoſtaticæ fuit per modum donationis. Nam contra; quia omnis donatio imbibit translationem dominii donantis in donatarium; ſed implicat, Deum poſſe à ſe abdicare dominium unionis hypoſtaticæ, ſicut alterius rei creatæ, ut probatum manet ſect. antec. concluſ. 2.: ergo. Nec exemplum Mutuarii, quo utuntur contrarii, eſt ad rem; nam licét Mutuarius acceperit gratis pecunias à commodante; non tamen ab ipſo accepit induſtriam, diligentiam, & negotiationem; nec iſtę actiones ſunt illius, qui pecunias gratis conceſsit. At vero omnes Chriſti actiones ſatisfactoriæ ita ſunt Dei, ut nulla ipſarum pars, aut formalitas ſubterfugiat divinum dominium; nec aliqua eſt, quæ non ſit Dei donum: & ſic non poſſunt eſſe materia contractus cum Deo creditore.

49 Probatur defectus ſecundæ conditionis in ſatisfactione Chriſti, ſcilicèt, *quod ſatisfactio non fiat ex bonis creditoris, ſed neceſſariò debet eſſe ex propriis ipſius debitoris.* Probatur, inquam: omnis actus ſatisfactorius Chriſti eſt quid creatum, & dependens à Deo, ut á cauſa prima: ergo eſt principaliùs Dei, quàm Chriſti. Hæc conſequentia patet. Primò; quia eſt à Deo non ſolùm concurrente, ſed etiam movente, & excitante. Secundò; quia omnis actus creatus magis eſt a cauſa prima, & ſub dominio Dei, quàm ſub dominio creaturæ; nam, ut ait Auguſtinus lib. de correptione, & gratia: *omnia opera noſtra magis ſunt in voluntate Dei, quàm in noſtra poteſtate*: ergo ſimiliter omnis actus ſatisfactorius Chriſti.

50 Reſpondent Contrarii, opera Chriſti, ut ſatisfactoria, non eſſe ſub dominio Dei; quia ut talia totum valorem deſumunt à ſuppoſito divino, quod, ut tale, non eſt ſub dominio Dei. Hæc reſponſio nititur in falſo fundamento, ſcilicet, *quòd actiones ſunt ſuppoſitorum elicitivè.* Sed ultra impugnatur; quia ex hac reſponſione ſequitur, quòd Chriſti ſatisfactioni deficiat quarta conditio ad rigoroſam juſtitiam requiſita, ſcilicet, quòd ſit ad alterum phyſicé diſtinctum: ergo dum volunt adſtruere ſecundam conditionem contrarii, quartam deſtruunt; quia juxtà ipſos ſuppoſitum ſatisfaciens non eſt ſub dominio Dei; & ſic non eſt ad alterum.

51 Impugnatur 2.: actus ſatisfactorius Chriſti, ut ſatisfactorius, aut eſt diſtinctus à Deo, aut non? Si primum: ergo eſt quid creatum, & conſequenter, ut ſatisfactorius, eſt ſub domi-

nio Dei, ut creditoris. Si ſecundum: ergo nequit Deo per illum ſatisfieri. Prob. conſeq.: per materiam illam, quæ eſt ſub dominio Dei, nequit Deo ſatisfieri; nam ſi eſt ſub dominio, eſt ſub poteſtate ipſius, & ab ipſo poſſidetur maiore poſſeſſione poſſibili, qualis eſt per identitatem: ergo ſi actus ſatisfactorius Chriſti eſt idem cum Deo, nequit per illum Deo ſatisfieri. Nec dicas, quòd inadæquatè eſt diſtinctus à Deo; quia nec ſic poteſt eſſe ſatisfactorius; nam ut inadæquatè diſtinctus eſt quid creatum, & ſub dominio Dei: & ut inadæquatè indiſtinctus eſt quid identificatum cum Deo: & per id, quod eſt cum Deo identificatum, implicat ſatisfieri Deo.

52 Probatur, quòd deficiat etiam tertia conditio ſatisfactioni Chriſti, ſcilicet, *quòd fiat ex bonis alio titulo creditori non debitis.* Homo per peccatum contraxit debitum reddendi Deo aliquid pro ablato honore ultra id, quod aliundè ipſi Deo erat debitum; ſed quodcumque opus Chriſti Domini independenter à novo jure, ex vi offenſæ ac quiſito, erat Deo debitum aliis titulis, ſcilicèt, Religionis, obèdientiæ, &c.: ergo per nullum opus poterat Chriſtus ſatisfacere huic novo, & ſpeciali juri Dei. Urgetur: omnia opera Chriſti Domini, independenter à peccato, erant Deo debita titulo ſupremi dominii, creatoris, benefactoris, &c.: ergo poſt peccatum eadem opera erant Deo ſic debita: & ultrà aliquid pro honore ipſi ablato per peccatum: ergo opera Chriſti nequiquam darent Deo, quantum ipſi debetur, ſuppoſito peccato.

53 Reſpondent aliqui, quòd unica ſolutione nequit ſatisfieri pro duplici debito juſtitiæ; benè verò quando unum eſt juſtitiæ, & aliud Religionis; maximè, quando ſolutio eſt infiniti valoris. Contra: unica ſolutione, etſi ſit infiniti valoris, nequit ſatisfieri duplici debito juſtitiæ; ſed opera Chriſti Domini erant debita Deo duplici debito juſtitiæ: ergo &c. Prob. min.: debitum ſatisfaciendi pro peccato eſt debitum juſtitiæ; quia ex dictis ſect. 1., peccatum eſt ſtricta injuria in Deum; ſed aliàs talia opera erant debita Deo ex juſtitia, ut Dominus juriſdictionis, & proprietatis: ergo talia opera erant debita Deo duplici debito juſtitiæ. Deindè: ſatisfactio Chriſti cum ſua infinitate erat debita Deo titulo ſupremi dominii, titulo obedientiæ, & religionis; quapropter, cum tota ſua infinitate non ſuperabat, ſed tantùm adæquabat hæc debita: ergo ex vi novi debiti, ſcilicet, ho-

honoris læſi per peccatum, non poterat hæc ſatisfactio eſſe ex toto rigore juſtitię.

54 Confirmatur, & declaratur hoc exemplo: ſi in humanis ſervus non manumiſſus ſuum Dominum vulneraret, ita ut ex vulnere conſurgeret in Domino jus juſtitiæ contra ſervum ad expenſas curationis faciendas, cértè ex eo, quod ſervus nullas habeat proprias pecunias, quæ non debeantur Domino ex juſtitia, titulo ſui dominii, incapax eſt ad ſatisfaciendum ex juſtitia novo juri acquiſito à Domino ratione injuſtæ vulnerationis: & ſic ex tali impotentia Domino obligatur ad ſatisfaciendum: ergo á pari, cum opera Chriſti ſupponantur ex juſtitia debita, quamvis infiniti valoris, debito ſupremi dominii, obedientiæ &c., non eſt locus, ut per ea ſatisfaciat ex rigore juſtitiæ debito juſtitiæ de novo contracto ex offenſa.

55 Reſpondent alii cum Suarez, quód etſi ſatisfactio Chriſti fuerit ſub dominio Dei, fuit tamen ex rigore juſtitiæ. Ratio eſt; quia ſatisfactio non verſatur in *datis*, & *acceptis*, ut reſtitutio; ſed in actione, quæ tantum honoris, & reverentię rependat offenſo, quantum injuriæ intulit offenſa: & ſic non conſiſtit in translatione alicuius dominii, ſed in exhibitione obſequii, quæ rectè fieri poteſt per operationem, quę ſit ſub dominio creditoris. Sicut fama, & honor fuerunt Deo ablata per actiones, quarum dominium erat commune Deo, & creaturis; nam actio libera creaturæ ita eſt ſub dominio ejus, ut etiam ſit ſub dominio Dei. Undè, ſicut creatura contraxit injuriam per actionem ipſi, & Deo communem; etiam per actionem utrique communem poterit ſatisfacere. Ad modum quo, ſi ſervus læſiſſet famam Domini ſui, ex juſtitia ſatisfacit, ſi dictum retractet, aut dominum laudet in materia, in qua fuit detractus, quamvis talis laudatio alio titulo ſit Domino debita.

56 Contra: hæc reſponſio ſupponit falſum; nam nullum eſt diſcrimen formale inter ſatisfactionem, & reſtitutionem; quod ſic probatur: ſicut reſtitutio tendit ad reparandum damnum illatum in pecuniis, ſic ſatisfactio ad reparandam famam, & honorem; ſed per traditionem pecuniæ, quę ſit ſub dominio morali creditoris, non fit reſtitutio ex juſtitia: ergo nec per exhibitionem honoris, qui ſit ſub poteſtate morali offenſi, ipſi fit ſatisfactio ex juſtitia. Prob. conſeq.: ideo primum eſt verum, quia creditor in tali caſu nihil haberet pro furto; ſed in exhi-

bitione honoris, qui ſit ſub dominio offenſi, offenſus nihil accipit pro injuria; nam independenter ab ipſa habet jus in prædictum honorem, & illum exigere poteſt ex juſtitia: ergo. Unde, diſtinctio inter reſtitutionem, & ſatisfactionem eſt prorsùs materialis; quia ſatisfactio eſt perſonalis; reſtitutio eſt realis: reſtitutio reſpicit rem corpoream; ſatisfactio incorporalem; utraque verò formaliter tendit ad extinguendum jus creditoris; una ex furto; & alia ex injuria.

57 Ad primum exemplum dico, quòd actus ſatisfactorius nequit comparari cum offenſa; nam hæc in ratione offenſæ adæquatè eſt à creatura deficiente, & ſic nullum ordinem dicit ad Deum, tamquam ad Dominum; quia non provenit determinatè à voluntate divina, ſed tantùm permiſsivè. At verò, actus ſatisfactorius potiori titulo eſt ſub dominio Dei, quàm Creaturæ; nam quilibet actus ſatisfactorius eſt ſupernaturalis, eſſentialiter dependens ab auxiliis gratiæ, & ſic reſpicit Deum, ut cauſam principaliorem; & creaturam, ut minùs principalem. Undé non tenet paritas.

58 Ad ſecundum, concedo aſſumptum; quia ſervus, qui ſuum Dominium infamavit, ex juſtitia reſtituit laudando Dominum, & auferendo conceptum, quem audientes formaverant ratione ejus detractionis; nec Dominus ex hoc titulo aliquid plus juris habebat. Sed quæro: ſervus ratione huius reſtitutionis acquiſivit aliquod jus adverſus Dominum, quod eſt noſtrum intentum? Neutiquam. Chriſti ergo Domini ſatisfactio non fuit per modum puræ reſtitutionis, ſed per modum meriti, promerendo gratiam, qua Deus remittat injuriam factam à peccatore. Ex quo ſequitur, quòd Chriſti Domini ſatisfactio nequit eum obligare ex juſtitia, nec acquirere jus ad condonationem peccatoris; ſicut nec ſervus ratione alicuius operis poteſt acquirere jus, ut ſuus Dominus remittat injurias alterius.

59 Reſpondent tandèm alii, quòd eſtò opera Chriſti ſint Deo debita in actu 1.; tamen quoties non exiguntur á Deo, non ſunt Deo debita in actu 2.. Undé, ſi Deus hæc opera non exigit titulo ſupremi dominii, mediis ipſis, poteſt Deus ſatisfieri ex juſtitia. Explicatur hoc exemplo: ſi Dominus creatus non exigit à ſervo opus diurnum, medio tali opere poterit poſtea ſervus ſatisfacere Domino; quia licèt illud opus ſit remotè debitum, & in actu 1.; non vero pro-

proximè, & in actu 2.. Sic ſimiliter, licèt Deus potuiſſet exigere à Chriſto Domino omnia ejus opera, tamen vel promiſit non exigere; & ſic condonavit, & ceſsit jure ſuo; vèl nullum præceptum de illis operibus dedit ipſi, ipſum in ejus omnimoda libertate, & poteſtate relinquens. Undè potuit Deo reddere aliquid, quod non erat ſub dominio Dei; & conſequenter ex juſtitia ſatisfacere.

60 Sed contra: & primó falſum eſt, Deum non exigendo de facto opera Chriſti titulo creatoris, & Domini, eſſe cedere jure ſibi debito ex prædictis titulis. Tùm, quia non poteſt facere, quòd res exiſtens ſit, & non ſit ſub ejus dominio; cum ſit eſſentialiter Dominus, & non abdicare poſsit â ſe ſupremùm dominium, quod habet in omnes creaturas, & earum actus. Tùm; quia non jubendo, non cedit jure ſuo, & dominio; aliás Deus non ſolùm tunc caſus careret dominio proximo, ſed etiam remoto illorum operum, ad modum quo donans, poſt donationem caret omni dominio rei donatæ, quod non concedunt adverſarii. Solùm igitur non jubendo, cedit juſsioni actuali in exercitio; atqui hæc negatio exactionis, & juſsionis in Deo eſt ex gratia, & liberalitate ipſius, quæ ex dictis non ſtat cum rigoroſa juſtitia: ergo &c.

61 Exemplum adductum non eſt ad rem, ſed ad oppoſitum; quia ideo Dominus poteſt cum ſervo paciſci de labore diurno, dum illum non exigit, quia non exigendo, videtur cedere proprio jure; ſed Deus nunquam poteſt cedere jure ſuo: ergo &c. Deindé: etiam in prædicto caſu ex pactione non conſurgeret contractus ex rigoroſa juſtitia inter Dominum, & ſervum; cum negatio exactionis in Domino ſit ex ipſius liberalitate, & gratia. Contra 2.: juxta adverſarios, in Deo non exigente actù opera Chriſti titulo ſupremi dominii manet jus remotum erga talia opera; ſed debitum remotum obeſt ſatisfactioni ex rigoroſa juſtitia: ergo &c. Prob. min.: res vere debita, etſi non exacta, non poteſt eſſe materia contractus rigoroſæ juſtitiæ; ſed opera Chriſti, etſi non exacta, ſunt verè debita Deo: ergo &c..

62 Probatur maior exemplis: ſi quis debet Petro librum, conferendo Petro librum, etſi non petitum, non poteſt aliam rem emere à Petro, ita ut ex contractu emptionis Petrus teneatur illam dare. Similiter uſufructuarius fundi, reddendo Domino fundum, quamvis non exigatur, nequit acquirere à Domi-

mino jus, ut aliud debitum ex justitia illi remittat. Ratio est; quia per carentiam exigendi, non intelligitur, Petrum cedere jure, quod habebat super librum, nec Dominum super fundum; aliàs talis carentia se haberet per modum donationis, & non manerent cum jure deposcendi librum, & fundum: ergo etsi res non exigatur, est verè debita; & consequenter nequit esse materia contractus rigorosæ justitię.

63 Probatur, quòd deficiat quarta conditio requisita ad rigorosam justitiam satisfactioni Christi Domini, scilicèt, *jurium altereitas*. Sed antè probationem nota, quòd altereitas physica, & realis datur sufficiens inter Christum satisfacientem, & Deum satisfactum, ut ex hoc càpite servari posset rigor justitiæ; sicut datur sufficiens distinctio, ut Christus exercere possit erga Deum proprios actus religionis, & obedientiæ, qui sunt actus virtutum pertinentium ad justitiam potestativam, requirentem eamdem alietatem, ac propria, & rigorosa justitia. Undè in præsenti non loquimur de hac altereitate physica, & reali; loquimur ergo de alietate morali requisita ad jura commutativa, & hæc est, quæ deficit operibus satisfactorijs Christi Domini. Et sic

64 Probatur: ad satisfactionem ex rigore justitiæ requiritur, quòd bona ex quibus fiat satisfactio, non sint sub dominio creditoris, & debitoris; ita ut uterque sit sui juris, & jus unius sit distinctum à jure alterius; sed hæc conditio deficit satisfactioni Christi: ergo &c. Prob. min.: omne jus Christi est dependens, & subordinatum Deo magis, quàm jus Filii non emancipati Patri, & servi non manumissi Domino: ergo sicut Filius non emancipatus non est sui juris, nec servus non manumissus; ita ut inter Filium, & Patrem, servum, & Dominum non possit intervenire contractus ex rigorosa justitia; sic pariformiter discurrendum est de operibus Christi Domini; cum omne jus, quod habet in ipsa, sit magis dependens, & subordinatum Deo.

65 Nec valet, si dicas, quòd si Filius, aut servus furati fuissent à Patre, aut Domino equum, satisfacerent ex rigore justitiæ, reddendo equum, etsi uterque sit juris Patris, & Domini. Sic ergo similiter Christus. Non valet; quia satisfactio Christi non fuit facta per modum restitutionis, sed per modum meriti, & emptionis; nam dando Christus pretium suorum meritorum emit à Deo, quod cederet à jure acquisito contra nos ti-

titulo peccati. Cum igitur satisfactio per modum meriti, & emptionis, ut sit ex toto rigore justitiæ, debeat habere vim obligandi creditorem ex justitia ad cessionem, exigit, quód fiat in bonis debitoris, & non creditoris. Undè, cum Christus Dominus in natura humana nullum possit habere jus, quod non sit proprium Dei creditoris, non habet altercitatem juris respectu Dei, ad rigorosam justitiam.

66 Probatur, quòd deficiat etiam quinta conditio ad rigorosam justitiam, scilicèt, *quòd fiat ab ipsa Persona offendente*: hęc enim non convenit Personæ Christi; hęc namque non offendit Deum. Quod vero hæc conditio sit necessaria, probatur: satisfactio ex toto rigore justitiæ debet jus læsum offensi resarcire non solùm quoad substantiam, sed etiam quoad omnes circunstantias in individuo; sed satisfactio non exhibita immediatè ab ipsa Persona offendente, sed ab alio, ut ejus fidejussore, non ita resarcit: ergo &c. Mai. constat; nàm si satisfactio ab aliqua circunstantia deficiat, iam non recompensat talem circunstantiam. Probatur min.: satisfactio exhibita ab alio, ut fidejussore, non resarcit in individuo honorem, quem offendens læsit suo personali actu; sed offensus in honore habet jus exigendi satisfactionem ab ipso offendente, & respuendi aliam, estò excellentiorem: ergo &c. Ut hoc clariùs percipiatur,

67 Notate discrimen inter famam, & honorem. Illa est existimatio, & opinio alienæ probitatis, & excellentiæ. Honor est quædam exterior testificatio nostræ opinionis de aliena excellentia. Quaré fama lædítur per detractionem, generantem in audientibus malam opinionem de probitate, & excellentia proximi. Honor verò lædítur per contumeliam, & convitia; quia hęc tollunt testificationem externam meæ opinionis de aliena excellentia, illam contemnendo. Ex hoc patet discrimen inter restitutionem famæ, & honoris. Restitutio famæ dirigitur, nè alius ratione meæ detractionis vilius opinetur de proximo: & hoc consequitur, sivè fama ablata à me reddatur, sivé ab alio; ut restitutio pecuniæ, quæ sivè fiat à fure, sive ab alio pro ipso, ęquè resarcit jus ablatum illi, à quo abstuli pecunias. Undè, si mea detractione opinio audientium non fuit mutata erga excellentiam alterius; quia mihi fidem non dederunt, jam sum liber ab onere restituendi, in communi opinione Moralistarum.

Ali-

68 Aliter ſe habet, reſtitutio honoris; quia cùm id, quod per contumelias, & convitia, quibus Petrum offendi, aufertur, ſit mea teſtificatio debita Petro ratione ſuę excellentiæ; nam contumelia fuit actus meus perſonalis, & voluntarius eſſentialiter dependens á me: & teſtificatio cuiusvis alterius Perſonæ ſit diſtincta à mea, & etiam debita excellentię Petri; hinc eſt, quód quotieſcumque mea teſtificatio non redditur, ſemper perſeverat in Petro offenſo jus exigendi illam. Quarê, etſi ſimúl adſint alij honorantes Petrum magnis laudibus, adhuc manet in me obligatio ſatisfaciendi, quia perſeverat inęqualitas meæ teſtificationis, quam nullus alius ponere poteſt, niſi ego ipſe. Hinc ſequitur, quód cum Deus per offenſam ſit offenſus in honore, habet jus exigendi ſatisfactionem ab ipſomet offendente.

69 Nec valet reſponſio Suarez dicentis, quòd ſatisfactio, ut ſpectat ad juſtitiam commutativam, ſolúm ponit ęqualitatem inter datum, & acceptum, ſive hęc ponatur ab ipſo offendente, ſive ab alio, nomine ipſius. Non valet; quia licèt hoc verum ſit in reſtitutione famæ, & pecuniæ, eſt falſum in jactura honoris; quia reparatio inæqualitatis inductę ab offendente dicit ad ipſum offendentem ordinem intrinſecum; nam per ejus contumeliam fuit ablata teſtificatio ipſius perſonalis, & non debita teſtificatio aliorum: & hanc nemo alius poteſt ponere, niſi ipſe offendens. Et caſu, quo alius ex ejus commiſsione illam ponat, requiritur, quòd offenſus cedat proprio jure, & liberaliter admittat ſubſtitutionem alterius. Et tunc talis ſatisfactio deficit á rigore juſtitiæ; quia intervenit gratia, & liberalitas creditoris.

70 Neque ex hoc quód ſatisfactio Chriſti ſit ſuperabundans, ſequitur, quòd ſit ex rigore juſtitiæ. Ut patet in hoc exemplo: abſtuliſti á Petro librum; quamvis Petro reddas pretium libri, aut alios libros pretioſiores, ſi non reddas eumdem librum (ſi illum apud te habes) non ſatisfacis juri Petri; quia Petrus poteſt nôn acceptare. Sic ergo, etſi opera Chriſti ſatisfactoria ſint ſuperabundantia, & maximus honor accreſcat Deo ex ipſis; tamen cum fuerit homo, & non Chriſtus, qui Deum offendit, & ejus honorem lęſit, Deus habet jus determinatè in ordine ad honorationem hominum; ac proindè potuit non acceptare opera Chriſti, etſi excellentiora, & valoris infiniti; quia ea petere poteſt ex aliis penè innumeris titulis. Qui plura circa

ea hoc deſideraverit conſulat N. Maſtrium diſp. 4. quæſt. 4. per totam, maximè artic. 2.. Ex dictis etiam conſtat, deficere ſatisfactioni Chriſti ſextam conditionem, ſcilicèt, quòd creditor, teneatur acceptare ſatisfactionem.

SECT. IV. ET ULTIMA.

An ſatisfactio Chriſti Domini fuerit ex virtute juſtitiæ vindicativę?

71 Noto 1., dari in Deo affectum, quo vult peccata vindicare per juſtam illorum punitionem juxta qualitatem delicti. Sic Paulus ad Romanos 12.: *mihi vindicta, & ego retribuam.* Lucæ 18.: *Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum.* Et Apocalyp. 19.: *vera, & juſta judicia ſunt ejus, qui judicavit de meretrice magna, quæ corrupit terram in proſtitutione ſua, & vindicavit ſanguinem ſervorum ſuorum de manibus ejus.* Hęc virtus vindicativa peccatorum dicitur juſtitia punitiva, habens pro motivo honeſtatem punitionis, per quam jus Dei læſum per peccatum, reparatur, & fundamentaliter dicit jus activum, quod ex peccato reſultat in Deo ad puniendum peccatorem. Eſt neceſſaria bono communitatis rationalis; nam ex pęna inflicta peccatoribus diſcunt homines, quàm malum ſit relinquere Deum ſuum.

72 Noto 2., quòd per peccatum, utpote ſtricta injuſtitia in Deum, non ſolùm læditur jus proprietatis Dei, ſed etiam juriſdictionis; quia per peccatum ſubſtrahitur homo ab obedientia Dei. Lędítur jus excellentiæ; quia poſtponitur Deus creaturę. Ac demum læditur jus gratitudinis; quia quidquid ſumus, debemus Deo in gratiarum actione ob tot beneficia. Cum ergo hæc omnia jura per peccatum lædantur, ex ipſo reſultat in peccatore debitum paſsivum ſuſtinendi punitionem proportionatam culpę, aut offerendi ſatisfactionem ęquivalentem, ſicut in Deo reſultat jus activum, ut juſtè pœnam infligat, quod jus eſt fundamentum juſtitiæ vindicativæ, & punitivæ Dei. Hoc notato, ſit

CONCLUSIO.

73 Satisfactio Chriſti proceſsit à virtute ſpeciali juſtitię: quę eſt virtus punitiva, ſeu vindicativa; ſed tamen non fuit ex rigore huius juſtitiæ. Probatur prima pars: virtus habens objectum formale ſpeciale, & diſtinctum ab objectis formalibus aliarum virtutum, eſt ſpecialis virtus ab

aliis diſtincta ; ſed ita ſe habet virtus, a qua proceſsit ſatisfactio Chriſti : ergo eſt ſpecialis virtus. Maior conſtat ; probatur min. : æqualitas ſervanda cum divino jure violato per peccatum eſt formale motivum juſtitiæ, prout diſtinctæ ab aliis virtutibus ; ſed Chriſti Domini ſatisfactio habuit pro objecto formali ſuæ ſatisfactionis, ſervare æqualitatem cum jure divino læſo per peccatum; quia ob hoc conſtitutus eſt Redemptor noſter , & fidejuſſor: ergo &c.

74 Probatur mai. inductione : æqualitas ſervanda cum divino jure non eſt objectum formale pœnitentiæ , juxta adverſarios ; quia juxta ipſos objectum formale pœnitentiæ eſt vindicare, & deteſtari proprium peccatum (vel ſi mavis etiam alienum in noſtra ſententia.) Nec talis æqualitas eſt objectum formale obedientiæ ; cùm huius objectum ſit ſubjectio , & conformitas cum voluntate ſuperioris. Nec, tandem , eſt objectum formale Religionis ; quia huius objectum eſt honeſtas , & cultus recognoſcendo Dei majeſtatem , ac ejus ſupremam excellentiam : ergo à ſufficienti partium enumeratione , æqualitas ſervanda cum divino jure violata per peccatum eſt formale motivum juſtitiæ, proùt diſtinctum ab aliis virtutibus.

75 Probatur 2. pars concluſionis : actus tendens ad extinguendum jus , quod ex peccato Deus acquiſivit ad puniendos peccatores , eſt actus juſtitiæ vindicativæ ; ſed ſatisfactio Chriſti ad hoc tendit , ideoquè Deus in Chriſto , tamquam in noſtro fidejuſſore , ſumpſit vindictam de peccatis noſtris ; de quoquè dicitur : *verè languores noſtros ipſe tulit , & dolores noſtros ipſe portavit* : ergo &c. Confirmatur : ſatisfactio , qua poſita, manet judex ex juſtitia obligatus ad ultra non puniendum peccatorem , eſt ſatisfactio ex propria juſtitia vindicativa ; ſed poſita ſatisfactione Chriſti , manet Deus obligatus ex juſtitia modo explicato ſect. 2. huius , concluſ. 2. ad non puniendum ultra propter peccatum : ergo talis ſatisfactio Chriſti eſt actus juſtitiæ vindicativæ.

76 Probatur 3. pars concluſionis : ſatisfactio Chriſti non adæquat totum jus, tàm quoad ſubſtantiam , quàm quoad modum ex parte creditoris : ergo non fuit ex toto rigore juſtitiæ vindicativæ. Conſequentia infertur. Prob. antec. : etſi ſatisfactio Chriſti non ſolùm adæquet, verùm & ſuperexcedat jus, quod ex peccato habet Deus ad puniendos peccatores , & etiam debitum paſsivum ex parte hominum

num ad ſufferendas pœnas, non tamen adæquat modum. Tum; quia non fuit ex aliundè indebitis : neque ex bonis, quæ non eſſent creditoris : neque facta fuit ſine gratia creditoris. Tum; quia Deus per peccatum habebat jus puniendi ipſum peccatorem, & ceſsit huic juri puniendo peccata in Chriſto Domino, ut noſtro fidejuſſore: ergo ejus ſatisfactio non adæquat totum jus quoad modum.

77 Dices contra primam partem concluſionis: Chriſtus Dominus ſatisfecit per omnes ejus actus; ſed non omnes habuerunt motivum ſpeciale juſtitiæ : ergo &c. Prob. min. : exhibitio mortis fuit ſatisfactio formaliter, & in actu 2.; ſed hæc exhibitio habuit pro objecto formali honeſtatem obedientię, juxta illud : *factus eſt obediens uſque ad mortem* : ergo &c. Reſpondeo, omiſſo primo antec., diſtinguendo mai. probationis : exhibitio mortis fuit ſatisfactio formaliter ex motivo obedientiæ, nego mai. : ex motivo reparandi jus divinum læſum per peccatum, conc. mai.: & diſtincta ſic minori, nego conſeq.. Verum eſt, quòd omnis actus Chriſti Domini ratione ſui valoris ſummi ſufficiebat ad ſatisfaciendum, ſi ad hoc fuiſſet ordinatus ab ipſo Chriſto; ſed de facto nullus fuit ſic ordinatus, nec ſatisfactiorius formaliter independenter a morte exhibita ex motivo reparandi jus divinum læſum per peccatum; & quamvis exercuerit obedientiam in Paſsione, & Morte; tamen hoc ſubſtulit ex motivo reparandi jus læſum.

78 Dices 2. contra 2. part. : in Deo non datur juſtitia ſtrictè commutativa : ergo nec vindicativa. Prob. conſeq.: quacumque ſuppoſitione facta, repugnat juſtitia commutativa cum divino dominio; ſed etiam repugnat vindicativa : ergo. Prob. min. : conceſſa in Deo juſtitia vindicativa, & poſita ſatisfactione Chriſti, manet Deus ex juſtitia obligatus ad non puniendum, ut diximus in probatione concluſionis : ergo ſuppoſita tali ſatisfactione datur in homine jus, ut non puniatur à Deo : ergo jam poteſt homo habere jus adverſus Deum; ſed ob hoc non admittimus juſtitiam commutativam : ergo nec vindicativam. Confirmatur paritate judicis creari : eo ipſo, quod iſte puniat delinquentem, amittit jus, quod habebat ad infligendam aliam pœnam : aliàs injuriam committeret : ergo ſuppoſita punitione condigna, datur verum jus ex parte delinquentis, & verum debitum ex parte judicis, ut iterûm non repetat vindictam : ergo pariter in Deo, & peccatore.

79 Reſpondeo, negando conſeq. , & paritatem. Diſparitas eſt ; quia ponere in Deo juſtitiam punitivam , unicè eſt ponere in Deo jus ad puniendum peccatum, & in peccatore debitum ad ſufferendam pœnam;nam peccans non habet jus ùt puniatur , ſed unicè eſt debitor punitionis. At verò , ſi in Deo poneretur juſtitia ſtrictè commutativa , aliter eveniret ; nam tunc jus eſſet in creatura adversùs Deum , & conſequenter debitum eſſet in Deo ortum a jure creaturę , quod cum dominio divino repugnat. Undè caſu , quo , ſuppoſita ſatisfactione , Deus puniret peccatorem , non ageret contra juſtitiam commutativam;quia, adhuc tali ſatisfactione ſuppoſita, non datur in homine jus ſtrictum, & ſpeciale ad non puniri ; nam independenter ab omni culpa, ſicut poteſt Deus hominem annihilare , & illum æternis cruciatibus mancipare , præcisè ob exercitium ſui ſupremi dominii, ideo non eſt in homine tale jus ad non puniri.

80 Ex hoc patet diſparitas ad paritatem judicis creati. Homo enim habet jus ſtrictum, ne lædatur ab alio homine ſine cauſa ; quare Judex iterùm puniens aliquem pro culpa jam ſufficienter punita , contra hoc jus operatur. Et ſic non ſolùm violat juſtitiam punitivam , quæ dictat moderatam punitionem delictorum , & obligat ad non excedendam pœnam taxatam;verùm etiam violat juſtitiam commutativam ; quæ eſt , quæ rectificat voluntatem in ordine ad conſervandum illæſum ius , quod quis habet. Ad verò , cum homo , ut dixi , non habeat jus ſtrictum , ut non puniatur à Deo ſine cauſa ; ſi puniretur , non faceret contra juſtitiam commutativam ſtrictè ſumptam ; ſed unicé contra punitivam modo dicto. Vide Noſtr. Maſtrium citatum.

DISP.

DISPUT. III.

DE ADORATIONE

DEBITA CHRISTO DOMINO.

QUmvis hæc diſputatio ad tract. de *Religione* propriè pertineat; hic tamen breviter diſcutienda eſt, proút reſpicit Chriſtum; ubi aliqua de ejus puriſsima Matre dicemus. Quod út clarius fiat, ipſam in quæſtiones dividemus. Sit ergo.

QUÆST. I.

Quomodo Chriſtus, ut homo, adorandus ſit?

LIcèt honor videatur coincidere cum adoratione; in re tamèn honor ab adoratione diſtinguitur; nam ille eſt quid ſuperius, & univerſalius, út ait Auguſtinus ſerm. contra Arianos cap. 23.: *honorat omnis, qui adorat; non autem adorat omnis, qui honorat.* Honor enim eſt teſtificatio virtutis alterius. Adoratio verò, ultrà hoc, addit ſubmiſsionem animi in recognitionem excellentiæ alterius, tamquam ſibi ſuperioris. Undé ſupponit in intellectu exiſtimationem excellentiæ, & ſuperioritatis in Perſona, quæ adoratur; & in voluntate affectum ſubmiſsionis ad talem Perſonam ſuperiorem in merito, & dignitate. Hæc eſt adoratio interior. Externé verò exercetur actiti-

tibus ſenſibilibus, ut genuflexionibus, & aliis ſignis exterioribus.

2 Sunt varia genera excellentiarum, & conſequenter varia genera adorationum. Et quia eſt alia excellentia *increata*, alia *creata*; ideo primò dividitur adoratio in *Latriam*, & *Duliam*. Prima ſolúm reſpicit Deum; quia ſolus Deus habet ſummam, & ſupremam excellentiam. Secunda verò *Dulia* debetur creaturis. At, quia in creaturis eſt diverſitas excellentiarum; ideo in communi Theologorum ſenſu *Dulia* ſubdividitur, in *Duliam* prœciſe talem, & in *Hyperduliam*. Prima eſt, quæ debetur omnibus Sanctis. Secunda verò *Hyperdulia* eſt, quę debetur aliquibus fulgentibus excellentia peculiari, & ſingulari, ut Immaculatæ Virgini ratione Maternitatis divinæ; & humanitati Chriſti Domini ratione ſanctitatis duntaxat creatę, ut mox dicemus. Hæ adorationes, aliæ ſunt *abſolutę*, & ſunt, quæ exhibentur alicui propter excellentias, quæ in ipſo ſunt verè, & propriè; alię verò *relativæ*, & ſunt, quę exhibentur Perſonæ non propter excellentiam propriam in tali re repertam, ſed extrinſecè, & reſpectivé ad alium, cui ille cultus debetur; talis eſt cultus exhibitus cruci, & reliquiis Chriſti Domini, & aliorum Sanctorum. His notatis.

3 Quęrimus in præſenti: quomodo Chriſtus adorandus ſit? Et nota, quòd in duplici ſenſu exagitatur hæc controverſia. Primo: an Chriſtus, ut homo, ſpecificativé ſumptus, & proút homo ſignificat totum ſuppoſitum ex humanitate, & ſubſiſtentia Verbi, adorandus ſit cultu *Latriæ*, vel ſolius *Hyperduliæ*? Secundò: an Chriſtus, ut homo, reduplicativé captus, & ratione humanitatis ornatæ omnibus donis ſupernis, præciſive tamen à Perſonalitate Verbi, adorandus ſit cultu *Latriæ*? Difficultatem per duplicem concluſionem reſolvam. Sit ergo

PRIMA CONCLUSIO.

4 Chriſtus, ut homo, ſpecificativé ſumptus adorandus eſt odoratione *Latrię*; non quidèm, ut ratio formalis, ſed út terminus, & objectum talis adorationis præcisé. Hæc concluſio eſt ſatis communis in utraque Schola contra aliquos antiquos. Prob. 1. prima pars concluſionis: juxta communem SS. PP., illa adoratio Magorum, de quibus dicitur Matthęi 2.: *procidentes adoraverunt eum*, & munera, quæ obtulerunt, teſtantur, eadem adoratione fuiſſe adoratam

tam Divinitatem, humanitatem, & regiam dignitatem; obtulerunt namque aurum, thus, & emyrraham: Regiquè, hominiqué, Deoqué dona fuerunt, canit Eccleſia. Deindé: Paul. ad Philippenſ. cap. 2.: *in Nomine Jeſu omne genuflectatur.* Et Apocalypſ. 5.: *viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno.* Et Apoſt. ab Hebræos 1.: *cum iterum introduxit primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli ejus.*

5 Probatur 2. eadem pars ex Concilijs, & PP.; nam in 5. Synod. collat. 8. canon. 9. dicitur; *ſi quis non una adoratione Verbum incarnatum cum propria ipſius carne adorat, anathema ſit.* Super quæ Gyrillus Epiſtola 10.: *unus, idemque Chriſtus Jeſus unigenitus Dei Filius, animo concipitur, qui una adoratione cum propria carne adoratur.* Idem colligitur ex Trid. ſeſ. 13. cap. 5. ubi declarat, *Sacramentum Euchariſtiæ vera Latria adorari deberi ob præſentiam divinitatis*; ubi ſupponit Chriſti humanitatem, proùt in ſe exiſtentem, tali adoratione coli debere ratione divinitatis, cui eſt conjuncta. Damaſcen. lib. 3. de fide cap. 8., cuius teſtimonium affert N. Subt. Doct. in 4. diſt. 9. quæſt. unic. num. 6. ſic ait: *Chriſtus Deus perfectus, & homo perfectus, quem adoramus cum Patre, & Spiritu Sancto una adoratione, cum incontaminabili carne ejus.* Vide alias authoritates in AA.:

6 Prob. 3. concluſio ex N. Doctore, qui eam in loc. cit. probat his exemplis: eodem modo, & actu refugimus lignum ignitum, & ignem; quamvis ſolus ignis ſit ratio, ſeu motivum fugæ. Eodem actu adoramus civiliter Imperatorem, & veſtem ejus; licèt ſola Perſona Imperatoris ſit ratio adorandi. Tertió, & eſt magis ad rem: ſicut enim, cum adoramus Sanctum, non ſolùm adoratur anima, in qua eſt excellentia gratiæ, & virtutis, ſed etiam corpus, & caro, in quibus non eſt talis excellentia: & hoc eodem cultu, quia ſubſtantialiter anima, & corpus ſunt unum, & idem totum; ſic pariformiter non ſolùm Verbum, & divinitas Chriſti, in quibus eſt formaliter ratio adorationis, ſcilicét, excellentia increata, ſed etiam ejus humanitas, quę ſubſtantialiter eſt unita ſuppoſito divino, adorari debet eadem adoratione, hoc eſt, *Latriæ.* Ex quibus ſic

7 Probatur concluſio á ratione: ſi aliqua ratio obſtaret ad hoc, ut Chriſtus, ut homo, ſpecificativé ſumptus adoretur adoratione *Latriæ*, maximé, quia ejus humanitas nequit eſſe ratio,

&

& motivum formale adorationis; ſed hæc ratio non obſtat ; nàm ſufficit, ut ſit terminus, & objectum, ad quod tendat actus ipſe adorationis ex intentione adorantis : ergo &c. Prob. min. : in adoratione duo ſunt diſtinguenda, objectum, ſeu terminus adorationis, & motivum, ſeu cauſa illius ; ut patet in actu fidei, in quo terminus aſſenſus eſt ipſa res revelata ; motivum verò, & cauſa credendi eſt authoritas, vel teſtimonium revelantis : ergó ſicut reſpectu actus fidei res revelata dicitur, terminare talem actum, quamvis non ſit ratio motiva illius aſſénſus ; ſic pariter humanitas Chriſti verè terminat actum adorationis *Latriæ*, etiamſi non ſit ratio motiva ipſius. Ex quo

8 Probatur 2. pars concluſionis, ſcilicèt, quòd humanitas Chriſti conſiderata cum omnibus donis ſupernaturalibus, etiam unione hypoſtatica, nequeat eſſe in Chriſto ratio formalis adorandi adoratione *Latriæ* : quantumcumque natura humana ſit unita Verbo, tamen eſt ſemper creatura, & entitativè finita ; ſed hoc ipſo, nequit eſſe motivum, & ratio formalis adorationis *Latriæ*, debitæ Chriſto Domino : ergo non eſt. Prob. min. ex Doct. cit. : cultus *Latriæ* eſt debitus ratione ſummi dominii ; ſed Chriſtus ſecundùm naturam humanam non eſt ſummus Dominus : ergo nec poteſt eſſe motivum formale cultus *Latriæ*. Ex diſtinctione huius ſecundæ partis concluſionis à prima, ſolvuntur, ut in plurimum, argumenta contrariorum. Tamen

SOLVUNTUR ARGUmenta.

9 Arguitur 1. : licèt humanitas ſit unita Verbo, nunquam tamen eſt æqualis excellentiæ, & dignitatis cum natura divina : ergo nequit æquali adoratione coli. Antec. conſtat; quia unio humanitatis ad Verbum aliquid creatum eſt. Confirmatur: illi actus, quorum ſunt diverſæ rationes, nequeunt eſſe ejuſdem rationis ; ſed Deitas, & humanitas, etiam ut unita Verbo, ſunt objecta diverſæ dignitatis, & excellentiæ ; nam una habet excellentiam increatam, altera creatam : ergo actus adorationis, qui verſantur circa Deitatem, & humanitatem, nequeunt eſſe ejuſdem rationis.

10 Reſpondeo, conceſſo antec., negando conſeq. ; quia de ratione *Latriæ* ſolùm eſt, ut Perſona adorata ſit verus Deus, non verò, ut quidquid coadoratur ſit etiam Deus ; ſed ſufficit, quòd

quòd ſit conjunctum Perſonæ Dei; cum hac differentia, quòd natura aſſumpta non ſit æquè principaliter adorabilis; nam Perſona per ſe primo, & principaliter adoratur; natura verò aſſumpta ſecundariò, & concomitanter. Ad confirmationem, diſtinguo mai.: illi actus, quorum objecta formalia ſunt diverſæ rationis, nequeunt &c. concedo mai.: quorum objecta materialia, nego mai.: & inverſis terminis diſtincta min., negatur conſeq.. Dictum enim manet in ſecunda parte concluſionis, quòd humanitas, adhuc ut unita Deo, non eſt objectum formale, & motivum, ſed tantum materiale, & terminativum adorationis *Latriæ*; ſola verò excellentia increata Perſonæ divinæ eſt objectum formale, & motivum, ob quod cultus *Latriæ* terminatur ad humanitatem.

11 Replicabis: ſi humanitas Chriſti adoratur ſic cultu *Latriæ* puré terminativo: ergo adoratur *Latria relativa*; ſed hoc nequit dici: ergo &c. Reſpondeo, negando primam conſeq.; nam humanitas Chriſti adoratur Latria abſoluta; quia non adoratur propter excellentiam in alio exiſtentem, ſicut imago Chriſti, quæ adoratur propter excellentiam exiſtentem in Chriſto, quem repræſentat; ſed propter excellentiam exiſtentem in ipſo ſuppoſito, in quo ipſa ſubſiſtit, tamquam pars ſubſtantialis illius.

12 Arguitur 2.: quando Chriſtus amatur ſuper omnia, vel rogatur, talis amor, vel oratio non terminatur ad humanitatem Verbo unitam: ergo idem dicendum eſt, dum adoratur, & conſequenter non adoratur adoratione *Latriæ*. Prob. antec.: amor ſuper omnia reſpicit bonitatem infinitam, & oratio ſummam poteſtatem; ſed humanitas unita Verbo non habet bonitatem infinitam, aut ſummam poteſtatem: ergo. Confirmatur: Chriſtus, ſecundùm illud Joann. 4.: *adoravit*, *dum oravit*: ait enim ad Samaritanam: *nos adoramus, quod ſcimus*: ergo ſecundùm humanitatem nequit adorari adoratione *Latriæ*. Patet conſequentia; nam qui adorat, & orat, agnoſcit ſuperiorem: ergo huic non debetur ſupremus cultus Latriæ.

13 Reſpondeo, conceſſo antec. negando conſeq.. Ratio diſparitatis eſt; quia amor, & oratio, cùm ſint actus interiores vitales facilè præſcindunt; ideoque ſolùm terminari poſſunt ad id, in quo ſumma bonitas, ſummaquè poteſtas reperitur: at adoratio, cùm ſit actus exterior, non ita præſcindit, ſed terminatur ad omne id, quod eſt unitum ſummæ excellentiæ; undè adoratur

purpura cum Rege, non tamen amatur, aut rogatur: adoratur *Latria* veſtis Chriſti, non tamen amatur charitate, qua Deum diligimus. Et ratio eſt; quia adoratio confusè exhibetur toti; dilectio autem reſpicit diſtinctè naturam. Sic Doct. in fine quæſt. ubi etiam aliam adhibet ſolutionem. Ad confirmationem, dico cum Doct., Chriſtum oraſſe, & adoraſſe ſecundùm naturam humanam præcisè conſideratam, non autem prout unitam Verbo; ex quo ad ſummum ſequitur, quòd naturæ ſic conſideratæ non debeatur cultus *Latriæ*, de quo concluſione ſequenti.

14 Arguitur 3.: Chriſto ut homini, adhuc ſpecificativè ſumpto, nequeunt offerri ſacrificia; ſed hoc ipſo non eſt adorandus adoratione *Latriæ*: ergo &c. Mai. conſtat; nam nunquam id conſuevit Eccleſia. Min. verò probatur; ſacrificium eſt præcipuus cultus *Latriæ*: ergo, ſi ipſi &c. Reſpondeo, quòd ſacrificium poteſt ſumi *largè*, quo ſenſu ſignificat quodlibet ſignum religionis, & cultus, & quemlibet ritum ſacrum; ut luminum acceſſio, incenſatio, &c. Vel poteſt ſumi *in rigore*, quo ſenſu de facto, & communi modo loquendi ſignificatur ſacrificium Miſſæ. Hoc notato, nego mai. in primo ſenſu, & conc. de ſacrificio ſtrictè ſumpto; nam in præſenti nullum eſt ſacrificium in Eccleſia præter Euchariſticum, in quo Chriſtus ipſe eſt hoſtia, & eſt ſimúl ſacerdos; undé non mirum, quòd Chriſtus ſibi ipſi hoc ſacrificium non offerat, nec ſibi offerendum conceſſerit nobis. Ex quo nego min. argumenti.

15 Arguitur ultimò: juxta gloſ. in Pſam. 98., illud: *adorate ſcabellum pedum ejus*, intelligitur de Humanitate Chriſti; ſed illa, juxta prædictam gloſſam, non adoratur illa adoratione, quæ Latria eſt, quæquè ſoli Creatori debetur: ergo &c. Reſpondeo, conceſſa mai. diſt. min.: illa non adoratur *Latriâ* ſecundùm ſe, ſeu tamquam ratio formalis præciſive à Verbo, conc. min.: ut unita Verbo, & faciens cum eo unum ſuppoſitum, non adoratur Latriâ, ſubdiſtinguo; tamquam ratio formalis adorationis, concedo min.: tamquam terminus, & objectum, nego min.: undè nec gloſſator, nec Auguſtinus, à quo ille gloſſam accepit, aliud innuunt, quàm quod humanitas Chriſti non ſit ratio formalis adorationis *Latriæ*; non verò negant, quòd ſit terminus, & objectum talis adorationis. Imò Auguſtinus ait: *ſcabellum, quod adoras, propter ipſum adoras.*

SE-

SECUNDA CONCLUSIO.

16 Humanitas Chriſti Domini reduplicativè ſumpta ſecundum ſe debet adorari cultu *Hyperduliæ*, ſupremo tamen in illo ordine. Eſt valdè communis inter DD., & expreſſa N. Doct. cit. in 4. diſt. 9. ſub num. 8. ubi ait: *quòd ſumma Hyperdulia debetur Chriſto, quà homo redimens, ſicut Latria qua Deus creans.* Prob. ratione: humanitas Chriſti ſecundùm ſe ſumpta reduplicativè nihil aliud eſt, quàm compoſitum conſtans corpore, & anima rationali cum ſumma gratia ſanctificante, & aliis donis ſummè perfectis, ratione quorum nihil eſt perfectius ſub Deo, licèt ſemper maneat quid creatum, & ſub Deo; ſed tali creaturæ debetur cultus *Hyperduliæ* ſupremus in illo ordine: ergo &c. Mai. conſtat; min. etiam patet; quia ratione horum donorum longé ſupereminet in excellentia omnes alias creaturas: ergo & in adoratione debet excedere; ſed non excederet, niſi deberet adorari adoratione *Hyperduliæ*: ergo &c.

17 Confirmatur: Chriſtus Dominus eſt Noſter Redemptor: inſtauravit omnia, ſive quę in terris, ſive quę in cœlis ſunt: & ipſe in hoc mortuus eſt Chriſtus, & reſurrexit, ut vivorum, & mortuorum dominetur: eſt tandem caput omnis creaturæ; ſed omnibus his titulis debemus ei cultum proportionatum diſtinctum à cultu debito aliis Sanctis, qualis eſt *Hyperdulia* hæc ſumma, & ſingularis, qua non ſit poſſibilis excellentior ſub Deo: ergo talis adoratio debetur humanitati Chriſti reduplicativè ſumptę, & ſecundùm ſe, & preciſivè ab unione cum Verbo.

18 Prob. 2. concluſio ratione: non implicat, humanitatem Chriſti concipi ſine Verbo, & abſque unione ad ipſum cum ſolis cęteris donis ſupernaturalibus; ſed in tali caſu deberet adorari adoratione *Hyperduliæ*, & non *Latriæ*: ergo. Prob. mai.: humanitas Chriſti eſt entitas realiter diſtincta à gratia, gloria, unione hypoſtatica, & à Verbo Div.: & hæc realiter inter ſe diſtinguuntur; quamvis de facto reperiantur unita invicem unitate ſuppoſiti; ſed intellectus talem virtutem habet, ut abſtrahere, & præſcindere valeat, quæ ſunt realiter eadem, conſiderando unum, non conſiderato alio: ergo multò magis poterit concipere humanitatem Chriſti quoad ſuam entitatem, non intellectis donis ſupernaturalibus; & conſequenter humanitatem abſque Verbo, vel unione ad ipſum; ſed

ſi intellectus ſic proponat voluntati talem humanitatem, poterit voluntas ſe ſubmittere, & adorare talem humanitatem cum omnibus donis ſupernis præciſivè ab unione ad Verbum: ergo &c.

19 Hic tamen valdè obſervandum eſt monitum N. Doct. Subt. cit. ſub num. 12. ubi ait: *quod tutum eſt in adoratione non minus* diſtinguere naturam illam „ creatam à Verbo, ſed Verbum „ ſubſiſtens in duabus naturis ado„ rare; & ita Verbum habens „ naturam humanam poteſt ſum„ mè diligi, licét ipſa natura non „ diligatur, neque etiam ſum„ mé diligatur unio naturæ ad „ Verbum, quæ eſt *creatura*. Vult dicere: quòd licet hæc ſecunda concluſio, ut metaphyſica, diſputari valeat in Scholis; tamen Populo non eſt tutum eam proponere; ſed ſuadenda eſt adoratio ſumma, & *Latriæ*, abſoluté, & ſecundùm eſſe totum Chriſti Domini, qui eſt ſuppoſitum in Divinitate, & humanitate ſubſiſtens; & ſic Chriſtus una adoratione *Latriæ* colendus.

20 Dices 1. contra hanc concluſionem: Concilia, & PP. docent, humanitatem Chriſti eſſe una, eademqué adoratione colendam cum Verbo, nec dici poſſe, eam coadorari: ergo non poteſt adorari cultu *Hyperdulię*; nam tunc caſus humanitas tantùm coadoraretur cum Verbò cultu *Latrię*. Reſpondeo, Concilia, & PP. ſic loqui non in noſtra ſuppoſitione, ſed in opinione, & errore Neſtorij, qui, cum duas Perſonas in Chriſto fingeret, divinam, ſcilicèt, & humanam, morali tantum nexu unitas, duas illi adorationes inęquales eſſe debitas docebat; ita ut nullo modo humanitas poſſet adorari cultu *Latrię*, etſi ut unita Verbo; cui contrarium nos docemus.

21 Dices 2.: Deo debetur *Latria* titulo creationis: ergo & Chriſto titulo redemptoris debetur cultus *Latrię*. Nunc ſic; ſed hic titulus Redemptoris convenit Chriſto Domino ſecundùm humanitatem præcisè ſumptam: ergo & cultus *Latrię*. Prob. 1. conſeq.: non enim redemptio imponit nobis minorem dependentiam erga Chriſtum, quàm creatio erga Deum: ergo, ſi Deo titulo creationis debetur *Latria*, etiam Chriſto titulo redemptoris. Prob. antec.: nihil nobis naſci profuit, niſi redimi profuiſſet: & melius nobis fuiſſet non naſci, quàm mori in peccato, ut Chriſtus dicebat de Juda. Deindè: creatio eſt beneficium naturæ; redemptio verò gratiæ ſupernaturalis: ergo, ſi Deo titulo creationis &c.

Reſ-

22 Reſpondeo diſtinguendo primum conſequens; ergo & Chriſto titulo Redemptoris, ſi fuit agens principale, debetur idem cultus, conc. conſeq.: ſi ſolùm fuit agens inſtrumentale, nego conſeq.; & diſtinguo min. ſubſumptam; ſed hic titulus convenit illi ſecundùm humanitatem inſtrumentaliter, concedo min.: in ratione cauſæ principalis, nego min.: per quod patet ad probationes primæ conſequentiæ. Itaquè, titulus Redemptionis, & Redemptoris primò, & principaliter convenit totæ Trinitati; notionaliter Verbo Divino; inſtrumentalitér autem, & minùs principaliter convenit humanitati. Sic Subt. Doct. cit.

23 Dices ultimò: adoratio *Hyperduliæ* tributa humanitati Chriſti eſſet ipſi indecens: ergo non debet admitti. Prob. antec.: adorare aliquem, & non ob ſummam dignitatem, quam habet, eſt illi indecens, & injurioſum: ergo. Prob. antec. in humanis: ſi quis ſimùl ſit Rex, Dux, & Comes, & ſolùm honoraretur honore debito Comiti, aut Duci, & non ut Rex, abſdubio fieret ipſi injuria, & indecentia: ergo adorare humanitatem Chriſti Domini adoratione *Hyperduliæ*, cum poſsit, & debeat adorari *Latriæ*, eſt illi indecens & injurioſum. In primis argumentum patitur inſtantiam in laudibus. Hæ enim ferri poſſunt in ſolam humanitatem Chriſti Domini, non laudato Verbo, juxta contrarios. Sed hoc omiſſo, nego antec.: ad probationem diſtinguo antec.: adorare aliquem, & non ob ſummam dignitatem, quam habet, negando illam adorationem, eſt indecens, conc. antec.; non negando, nego ant. & conſeq.

24 Itaque, injurioſum eſt Superiori, deferre ei cultum minorem, denegando ſuperiorem; non verò eſt indecens, ſi deferatur ei honor maximus, & ultra honoretur ob minores dignitates. Sic Rex Hiſpaniæ in ſuis edictis vocat ſe non ſolùm Regem, ſed & Ducem, & Comitem. Undè in propoſito, ſi quis auferret á Chriſto Domino cultum *Latriæ* debitum ejus humanitati, ut unitæ Verbo, & ſolùm vellet dare ei cultum *Hyperduliæ*, ob alias prærogativas humanitatis, utique injuriose ageret; ſecùs verò adorando cultu *Latriæ* ob primam rationem: & cultu *Hyperduliæ* ob alias excellentias proprias humanitatis. Magi enim, juxta obſervationem SS. PP. ſic fecerunt in ſua adoratione; poſtquam enim *thus* illi obtulerunt, ut Filio Dei, obtulerunt *aurum*, ut Regi, & *myrrham*, ut homini.

QUÆST.

QUÆST. I I.

Quę adoratio debeatur Immacul. Virgini?

1 QUoniam Immac. Virgo intimiùs, & honorabilius pertinet ad Chriſtum, quàm alii Sancti; primò, quia illi unitur per veram conſanguinitatem; cum ille, quà homo, ex ejus puriſsimo ſanguine formatus ſit, ejus lacte nutritus, ita ut ſit ejus vera Mater, & Parens. Secundò, quia ejus Maternitas eſt verè divina, quatenus Filius, quem genuit, eſt verus Deus, & Filius Dei, non autem purus homo; ideo merito quæritur: quinam cultus Deiparæ debeatur? An *Latriæ* ſaltém *reſpectivę*, ſicut poſtea dicemus de cruce Chriſti, ejuſque Imaginibus: an verò alius cultus ſpecialis? Sit

CONCLUSIO.

2 Beatiſsimæ Virgini Deiparę debetur cultus *Hyperduliæ*, minor cultu *Latriæ*, & ſuperior *Dulię*. Eſt communis. Prob. 1. ex decret. Martini 1. Epiſt. 14. præcipientis ſub pœna anathematis: *B. V. Dei Matrem ſuper omnem creaturam humanam abſque eo, qui à ſe genitus eſt, venerabilem, honorandam, & adorandam fore*; ſed talis cultus dicitur *Hyperduliæ*: ergo tali cultu veneranda eſt B. Virgo. Confirmatur ex elogiis, & præcellentiis, quibus prędicatur, & honoratur a Sanctis PP.. Dicitur enim, *templum Domini*; *ſacrarium Spiritus Sancti*: *Mater Chriſti*: *divinæ gratię*: *Regina Angelorum*, *Patriarcharum*, *&c.*; ſed hæc omnia, aliaque quàmplura exigunt cultum proportionatum tantæ dignitati, qualis eſt *Hyperdulia*: ergo hic cultus ipſi debetur.

3 Probatur breviter ratione: cultus, & adoratio commenſurari debet cum dignitate, ſanctitate, & excellentia illius creaturæ, cui tribuitur; ſed dignitas, ſanctitas, & excellentia Immac. Virginis longè præcellit ſanctitatem, dignitatem, & excellentiam omnis puræ creaturæ: ergo debet coli, & adorari ſuper omnem puram creaturam: ergo debet coli, & adorari cultu quodam ſpeciali *Hyperdulię*, qui eſt medius inter cultum divinum, hoc eſt, *Latrię*, & cultum Angelorum, & SS., qui dicitur *Duliæ*.

4 Dices 1.: Immac. Virgo maiorem, & intimiorem habet relationem ad Chriſtum Deum, quàm Crux ipſius; ſed Chriſti Domini Crux adoratur cul-

cultu *Latriæ* : ergo à fortiori, & Immac. Virgo. Maior conſtat; nam relatio Virginis ad Chriſtum eſt maternitatis ad Filium. Reſpondeo diſtinguendo min.: ſed Crux Chriſti adoratur cultu Latriæ *relativæ*, conc. min.: cultu Latriæ *abſolutæ*, nego min., & conſeq.. Immaculata ergo Virgo non adoratur præciſe ut repræſentans Chriſtum; ſed poſitivé, & abſoluté ob excellentiam, dignitatem, & ſanctitatem, quę eſt in ipſa verè, & realiter. Sed, cûm hoc quid creatum ſit, & ſub Deo, ſic cultus ejus dicitur *Hyperdulia*, inferior cultu, qui exhibetur Chriſto, & ſuperior aliis; cultus verò crucis, Imaginumquè Chriſti, eſt purè relativus; quia cum crux, vel imagines ipſius nullam aliam habeant dignitatem, & excellentiam præter relativam ad Chriſtum, ideo non debent adorari alia adoratione, quàm ea, quę Chriſto debetur. De hoc quęſt. ſequenti.

5 Dices 2.: honor Matris redundat in Filium, ut communiter dicitur: ergo ſicut adorandus eſt Filius Virginis, ita & ejus Puriſsima Mater. Reſpondeo, diſtinguendo antec.: honor Matris redundat in Filium, & ſimul in ipſam Matrem, ſi ipſa ex ſe eſt digna honore, & adoratione, conc. antec.: redundat in Filium totaliter, ita ut nullatenús terminetur ad Matrem, nego antec. & conſeq.. Itaquè, quando Mater habet in ſe, & á ſe aliquod meritum, ſanctitatem, & excellentiam, tunc cultus, adoratio, & honor terminatur ad ipſam Matrem, & non ad Filium totaliter. Undè, cum Immac. Virgini hæc dignitas, & excellentia ex ſe conveniat; hinc eſt, quod etiàm ad ipſam debeat terminari ſpecialis cultus, & adoratio.

6 Dices ultimò: ſicut nulla eſt proportio dignitatis, & ſanctitatis B. Virginis Mariæ cum Angelis, & Sanctis, ità nec cultus, & honoris ei debiti; ſed Angelis, & Sanctis debetur cultus inferior divino, ſcilicèt, *Duliæ*: ergo Immaculatæ Virgini debet dari cultus divinus. Reſpondeo, negando abſolutè mai.; nam quantumcumque creſcant merita, & dotes Deiparæ ſuper Angelos, & Sanctos, non tamen exrahunt eam ab *ordine* creaturę, nec ſunt infinita; undé exigunt, quidèm, cultum, & adorationem ordinis, quaſi medij, ſub Deo, ſcilicét, & ſuper omnes puras creaturas, qualis eſt *Hyperdulię*.

7 Dubitabis hic: an, & quis cultus ſacer debeatur Angelis, & Sanctis? Dico: Angelis, & Sanctis debetur cultus ſacer, & quidèm *Duliæ*. Prima pars eſt de fide contra Luther.,

&

& Calviniſtas, alioſquè antiquiores hæreticos. Prob. 1. prima pars ex Trident. ſeſ. 25. ubi tenet: debent doceri fideles de Sanctorum interceſsione, invocatione, & reliquiarum honore, & legitimo imaginum uſu: ergo, ſi Sancti in ſuis reliquiis, & Imaginibus ſunt colendi, à fortiori in ſe ipſis. Prob. 2. eadem pars ex Script., qua conſtat, Angelos à Patriarchis adoratos, ut ab Abraham, & Loth *Geneſ.* 18. & 19., & *Joſuè* 5. Legimus etiam, SS. Prophetas adhuc viventes adoratos fuiſſe ob inſignem ſanctitatem; ſic Abdias adorat Eliam, 3. *Regum cap.* 18.. Filii Prophetarum Eliſæum, 4. *Regum.* Nabvchodonoſor, *Danielis* 2., ipſum Danielem. Hoc idem docent expreſsè SS. PP..

8 Probatur tandèm eadem pars ratione: cultus ſacer debetur illis, in quibus eſt ſanctitas, dignitas, & excellentia ſingularis, & longé ſuperior, quàm in nobis; ſed hæc omnia ſunt in Angelis, & Sanctis: ergo eis debetur cultus ſacer. Mai. conſtat ex ſæpe dictis. Prob. min.: Angeli regnant in Cœlis cum Deo; Sancti mortui ſunt in charitate, illos ſuſcepit Chriſtus in Regno ſuo, ut ſocios, amicos, & cohæredes: ergo fulgent ſpeciali dignitate, & excellentia ſupra nos: ergo & ſunt digni aliquo cultu ſacro.

9 Prob. 2. pars: Angelis, & Sanctis non debetur cultus *Latriæ*; quia non ſunt Dii veré, & propriè; ſoli autem divinæ naturę, ſecundùm fidem, debetur *Latria* (ſecundùm Concil. Nicenum 2. contra Iconoclaſtas) non autem Sanctis; ſed aliàs nec debetur cultus *Hyperduliæ*: ergo &c.. Prob. min.: in eis non eſt plenitudo gratiæ, & ſanctitatis, nèc dignitas Matris Dei, quę fuit in B. Virgine Maria, cuiqué ex dictis debetur talis cultus, ut proprius, & ſpecialis: ergo Angelis, & Sanctis ſolùm debetur cultus *Dulię*.

10 Dices 1. contra 1. part. concluſionis: ex Script. conſtat, *Eſther* 3., Mardochæum noluiſſe adorare Aman, cuius ratio: *timui, ne honorem Domini transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo*: ergo ſoli Deo debetur adoratio. Secundò: Petrus, *actuum* 10. noluit adorari á Cornelio. Tertió: *Apocalypſ.* 19. Angelus nequivit adorari à Joanne. Tandem: Apoſtolus *ad Coloſenſ.* 2. vetat cultum Angelorum; ait enim: *nemo vos ſeducat, volens in humilitate, & religione Angelorum*: ergo nec Angelis, nec Sanctis debetur ullus cultus ſacer. Reſpondeo, negan-

gando conſeq. , quæ non infertur ex illis textibus.

11 Mardochæus enim negavit adorare Aman cultu Latrię , quem exigebat ; nam de reverentia civili ait : *libenter pro ſalute Iſrael , etiam veſtigia pedum ejus deoſculatus paratus eſſem.* Similiter Cornelius , cum adhuc Gentilis eſſet , volebat adorare Petrum , velut aliquem Deum. Sic etiam Joannes , putans Angelum eſſe Deum , voluit eum adorare adoratione *Latriæ* ; quare meritò tam Petrus, quàm Angelus hunc cultum accipere renuerunt. Deniqué , Apoſtolus ſolúm prohibet cultum ſuperſtitioſum Angelorum ; nam alii eos ut Semi-Deos colebant: alii Angelos Chriſto præferebant.

12 Dices 2. nullo loco Scripturæ præcipitur exhiberi aliquem cultum Angelis , vel Sanctis : ergo non debetur. Conſeq. conſtat ; quia, ceſſante præcepto poſitivo divino, ceſſat obligatio. Reſpondeo omiſſo antec. negando conſeq. ; nam ad hoc ſufficit præceptum ex traditione perpetua Eccleſię Catholicę in Conciliis Ecumenicis , ex continuo uſu , & aſſueta conſuetudine, quæ omnia nobis favent.

QUÆST. III. ET ultima.

Quæ adoratio debeatur Cruci , Sudariis , reliquiis , & imaginibus Chriſti ?

1 PRO reſolutione nota , quod Crux Chriſti poteſt eſſe vel illa , in qua ipſe Jeſus pependit , & mortuus eſt, aut aliquæ particulæ ejus, aut in forma Crucis , aut alia figurata : vel poteſt eſſe quæcumque Crux efformata in quacumque materia ad ſimilitudinem, & figuram veræ crucis. De utriſque procedit difficultas. Similiter diſcurrendum eſt de Imagine ejus , ſudarijs , & velo ; nam ſudarium in quo ſacrum ejus corpus involutum fuit in ſepulchro remanſit cum impreſſa effigie, ſanguineo colore efformata , ipſiuſmet Chriſti ; ſicut & velum, quo pia Mulier abſterſit ſudorem , & ſanguinem ex facie ejus, remanſit cum impreſſa Imagine ejuſdem faciei ; & deinde à fidelibus multiplices repreſentationes tam ſudarii , quam veli depictæ ſunt , de quibus omnibus quæritur , qui cultus eis debeatur ?

2 Sed pro reliquiis ipſiuſmet Chriſti eſt ultra notandum , quòd aliæ ſunt internæ, externæ verò aliæ. Internæ ſunt,

quæ fuerunt de integritate corporis ejus, ut Pręputium, guttę ſanguinis, quę alicubi habentur ſeorſim, aut quæ in ſudariis remanſerunt. De iſtis non procedit difficultas; nam cum iſtę fuerint aliquando unitæ Verbo cum toto corpore, & ex illa unione remanſerit in eis non parva dignitas, & excellentia; hinc eſt, quòd abſolutè, & ſecundùm ſe ſpeciali cultu ſunt adorandæ. Reliquiæ externæ ſunt, clavi, ſudarium, veſtes, lancea, aliaqué inſtrumenta Paſſionis Chriſti Domini. De his omnibus reſolvemus per unicam concluſionem, relinquendo difficultatem Imaginum ad aliam concluſionem. Sit ergo

PRIMA CONCLUSIO.

3 Veræ cruci Chriſti, & cuilibet ejus particulę, reliquiis ipſius externis debetur adoratio *Latriæ*, ſed reſpectiva, non verò abſoluta. Eſt communis inter Theologos, contra plures hæreticos Uviclefiſtas, & Luther.. Prob. 1. ex Concil. General. 7. in quo legitur hoc dictum Leontii: *magno, & inexplicabili amore* „ erga eum, quo reſedit, ubi „ apparuit, quod tetigit, aut „ omninò obumbravit, tamquam „ Dei locum colimus, & adora„ mus; non ipſam regionem, ſed „ eum, qui in illo converſatus „ eſt, & apparuit. Nil clarius pro utraque parte concluſionis. Confirmatur etiam ex praxi Eccleſiæ, quæ duo feſta inſtituit in honorem SSmę. Crucis, ſcilicèt, Inventionis, & exaltationis. Hoc & tenet Damaſcenus lib. 4. Fidei cap. 12. dicens: *pretioſum* „ reipſa crucis lignum, & vene„ randum, in quo ſemetipſum in „ ſacrificium pro nobis obtulit „ Chriſtus, tamquâm ſancti cor„ poris, & ſanguinis tactu ſanc„ tificatum, meritò eſt adoran„ dum; necnon clavi, lancea, „ veſtes, & ſacra illius habita„ cula, ut ſunt præſepe, ſpelunca „ Golgothę, crux, vivificum ſe„ pulchrum &c.

4 Probatur 1. pars concluſionis à ratione: crux vera Chriſti, quælibetque ejus particula, necnon & reliquiæ omnes externæ ipſius poſſunt, & debent conſiderari in ordine ad Chriſtum Deum Hominem, quem repræſentant patientem, & morientem pro noſtra Redemptione; ſed Chriſto Domino ſub tali conſideratione debetur cultus *Latrię*: ergo & cruci, cæteriſque inſtrumentis Paſſionis ipſius. Probatur conſeq.; nam ſi Chriſtus, ut homo, & Redemptor per Paſſionem & mortem crucis meretur cultum *Latriæ*, iam crux ipſa, cæteraque inſtrumenta debent poni inter objecta terminativa talis ado-

ra-

rationis : ergo & ſic debent adorari.

5 Probatur 2. pars concluſionis, & 1. ex Damaſc. cit. ubi ait : *non materiam, ſed materię* Authorem adoro, qui „ propter me materia factus eſt, „ & in materia voluit habitare, „ ut per materiam mihi ſalutem „ prębęret ; materiam vero, per „ quam mihi ſalus facta eſt, non *deſinam colere.* Ex quo ſic efformatur ratio : crux Chriſti, ſicut & alia inſtrumenta Paſsionis, ac Redemptionis noſtræ, abſque relatione ad Deum, & Chriſtum non habent ullam dignitatem ſuper alias res ſimilis naturæ ; ſed hoc ipſo præcisive à tali reſpectu ceſſat omnis ratio adorationis, quam illis exhibemus : ergo adoratio, quę ipſis debetur, eſt reſpectiva ad Chriſtum, à quo habent totam ſuam conſecrationem, & dignitatem. Confirmatur ex dictis quęſt. 1. huius, concluſ. 2. de *Humanitate Chriſti* ; nam ſi hæc ſecundum ſe conſiderata preciſe, & abſque ullo reſpectu ad Verbum, non eſt adoranda cultu *Latriæ*, multo minus crux, & aliæ reliquiæ externæ Chriſti Domini, quæ ſunt longè minoris dignitatis.

6 Dices 1. contra 1. part.: crux, aliæque reliquiæ externæ Chriſti Domini, nec ſunt Deus, nec Chriſtus, nec repræſentant nobis Deum ; ſed ſoli Deo debetur cultus *Latriæ* : ergo nullo modo debetur cruci, & aliis reliquiis externis ipſius cultus *Latriæ* adhuc reſpectivæ. Prob. hæc conſeq. : ſi ex aliquo reſpectu ad Deum, vel Chriſtum deberent crux, & aliæ reliquię adorari, ſic etiam omnia entia creata; quia omnes creaturę Dei nobis oſtendunt, ac enarrant gloriam ipſius ; ſed hoc nequit dici : ergo. Reſpondeo negando antec. abſolute ; nam crux, reliquiæ, ac alia inſtrumenta Paſsionis Chriſti Domini repræſentant nobis ſpecialiter Chriſtum Dei Filium patientem, & conſumantem hominum redemptionem. Non ſic ſpecialiter, ſed ſolum generice, & univerſaliter cæteræ creaturæ oſtendunt nobis, ac enarrant gloriam Dei. Ad ſummum enim, ut ait Paulus : *ex his, quæ animus novit, ſurgit ad incognita, quæ non novit.*

7 Dices 2.: nec crux, nec reliquiæ, nec alia inſtrumenta Paſsionis Chriſti Domini aliquid pro nobis meruerunt ; quia, ut pote inſenſibilia, ſunt incapacia meriti : ergo nulla eis debetur adoratio. Confirmatur : quia nec crux cum tali reſpectu ad Chriſtum eſt orabilis : ergo nec adorabilis. Reſpondeo, conceſſo antec., diſtinguendo conſeq. : ergo nulla eis debetur adoratio ſecundum

ſe conſideratis, conc. conſeq.: ratione, ſeu cum reſpectu ad Chriſtum, nego conſeq.; quia repræſentant eum in ipſa cruce pro nobis morientem, & per illam merentem nobis vitam æternam; ideo ait Ruſticus Diaconus, adoramus omnes crucem, & per ipſam illum, cuius eſt crux. Ad confirmationem, conceſſo antec. diſtinguo conſeq.: ergo nec per ſe abſolute adorabilis, conc. conſeq.: ſimul cum Chriſto, quem repreſentat, nego conſeq.; nam Chriſtus eſt vere per ipſam orabilis, & adorabilis, ſicut per ipſam meruit, ut Deus exaltaret illum, & donaret illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.

8 Dices 3.: quod eſt cauſa execrationis, nequit eſſe cauſa adorationis; ſed vera crux fuit Chriſto inſtrumentum, & cauſa execrationis; nam fuit cauſa doloris, & afflictionis ſummę: ergo &c. Confirmatur: ſi crux, & reliqua inſtrumenta Paſſionis Chriſti ſunt digna adoratione, pariter & Judęi eſſent adorandi; ſed hoc eſt abſurdum: ergo &c. Reſpondeo negando min. cum ejus probatione; quia ſicut dolores fuerunt Chriſto glorioſi, ab eoque liberé amati, & acceptati, ita & crux, eorum inſtrumentum, fuit ab ipſo amata, ut via ad gloriam ſuam, redemptionemque noſtram. Ad confirmationem, nego mai.; quia licet malitia Judæorum nobis profuerit, imo, & ipſi Chriſto, tamen per ſuam malitiam peccarunt, & ex odio ipſum crucifixerunt; indeque ſunt execrandi.

SECUNDA CONCLUSIO.

9 Imagines Chriſti unà cum ſuo exemplari, cum quoque faciunt unum totale objectum, meritò adorantur eadem *Latria*, non autem ſeorſim, & ſine reſpectu ad ipſum Chriſtum. Eſt contra Hæreticos cit. concluſ. antec., & ultra, & principaliter contra Iconoclaſtas. Probatur 1. ex Concilio Trid. ſeſ. 25. ubi decernitur: *Imagines Chriſti*, & „ Deiparæ, & Sanctorum in tem„ plis habendas, eiſque debitum „ honorem, & venerationem im„ pertiendam; non quod creda„ tur, in his eſſe aliqua dignitas, „ vel virtus, propter quam ſint „ colendæ, vel quod ab eis ſit „ aliquid petendum; ſed quoniam „ honos, qui eis exhibetur, re„ fertur ad Prototypa, quæ illę „ repræſentant; ita ut per Ima„ gines, quas oſculamur, & co„ ram procumbimus, Chriſtum „ adoremus; & Sanctos, quo„ rum illæ *ſimilitudinem gerunt, veneramur*. Hoc idem definitum eſt in 2. ſynod. Nicena in Con-

ci-

cilio Roman. ſub Gregorio Tertio, & alio ſub Stephano.

10 Prob. concluſio quoad 1. part.: ab initio Eccleſiæ, & perpetuò uſque ad præſens tempus, omnia templa, locaque ſacra ſolent ſacris Imaginibus, præcipuè Chriſti, & Deiparę, & etiam aliorum SS. ornari, & in ſumma veneratione haberi; maxime illæ, quarum veritas ex miraculorum copia, & abundantia, conſtat, in veneratione fidelium exiſtunt: ergo Imagines Chriſti (idem dic Deiparæ, & aliorum SS.) una cum ſuo exemplari, cum quoque faciunt unum totale objectum, merito adorantur eadem reſpectiva adoratione, ac ſuum exemplar, ſeu prototypus. Confirmari hoc poteſt ex Damaſc. lib. 4. *Fidei* cap. 17. ubi refertur hiſtoria de Imagine Chriſti ab ipſomet Chriſto expreſſa, ſeu picta, & miſſa ad Abbagarum Regem, quæque in magna veneratione habetur. Confirmatur: nihil in hoc cultu indecens apparet; quinimo, obſervata Eccleſiæ mente, ſanctiſsimus eſt: ergo &c. Antec. patet ex levibus prætextis, quibus nituntur Iconoclaſtę, ut jam videbimus.

11 Probatur 2. pars concluſionis, ſcilicet, quod Imagines Chriſti ſeorſim, & ſine reſpectu ad ipſum Chriſtum non ſunt dignę adoratione. Et hæc pars primo conſtat ex authoritate Concilii Trident. poſita num. 9. ad illa verba: *non quod credatur in his eſſe aliqua dignitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ, vel quod ab eis ſit aliquid petendum.* Hoc etiam repetit Nicenum 2. cit. ibi. Et Leonius Epiſcopus ait: *nos crucis figuras adorantes non ligni naturam adoramus, ſed velut ſigillum, & annulum, & characterem Chriſti illam innuentes; per hanc ſalutamus Deum, & adoramus, qui in illa fixus eſt.* Conſtat etiam hæc pars a ratione; nam in Imagine, præciſa conſideratione prototypi, nihil eſt divinum, nihilque Sanctum, quod ſit dignum cultu religioſo: ergo Imagines ſeorſim ſumptę, & ſine reſpectu ad ſuum exemplar non debent adorari.

12 Dices 1. contra 1. part. pro hæreticis cit.: Exodi 20. dicitur: *non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem: non adorabis ea, neque coles*: ergo abſolute in Scriptura prohibitus eſt uſus, & cultus Imaginum. Reſpondeo negando conſeq.: in textu namque allegato ſolum prohibentur ſculptilia, & imagines falſorum Deorum, non omnes prorſus imagines prohibebantur in templo; nam ibi juſſu Dei erant duę figuræ Cherubinorum ex auro; & in templo Salomonis erant Imagines Cherubinorum

rubinorum, Boum, & Leonum; vel reſponde, quod forte populo Judaico prohibebantur Imagines, & ſimilitudines; quia ut pote rudis, & in Idolatriam propenſus, illas colebant cultu abſoluto, & ut Deos, non vero cultu reſpectivo. Etſi verum ſit, quod Judæi ipſi venerabantur arcam manufactam, & Cherubinos propitiatorii, non quidem propter ſe, ſed relatè ad Deum.

13 Dices 2. pro eiſdem: hic cultus Imaginum prohibitus eſt in variis Conciliis: ergo &c. Prob. antec.: Concilium Eliberit. cap. *placuit.* can. 36. dicit: *placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur.* In duobus Conſtantinopolit. ſub Leone Iſaurico, & Copronimo 3., & in Epheſino 3. prohibetur talis cultus. In Francofordienſi damnatur 7. ſynodus; quia cultum Imaginum præcipiebat; cui decreto videtur ſubſcribere Adrianus Papa. Hæc concilia præcipuè citant pro ſe hæretici Iconoclaſtæ. Ad omnia ſigillatim, & breviter reſpondebimus.

14 Reſpondeo ad Concil. Eliberit., quod nobis favet; indicat namque, ſacras Imagines ab initio fuiſſe in uſu apud fideles; nec vetat abſolute picturas, ſed in *parietibus*; quia ibi facile delentur, & fœdantur. Unde *exceptio firmat regulam in contrarium.* Deinde, vetat picturas in parietibus; quia inde non poſſunt moveri, & transferri, quando illa loca prophanabantur per malitiam Paganorum, qui Eccleſias in ſtabula vertebant, ut perſæpe contingebat in illis temporibus perſecutionis Eccleſiæ. Ad dua Concil. Conſtantinop. dico, quod non faciunt fidem; quia in his præſidebant Imperatores, & Epiſcopi Iconoclaſtæ, contra quos reclamarunt Catholici omnes, qui aderant. Quare Joannes Cancelarius in 2. Nicena ait: *quomodo magna, & univerſalis Synodus fuit, quam neque receperunt, neque concordaverunt reliquarum preſules Eccleſiarum, ſed anathemati eam tranſmiſſerunt? Non habuit enim adjutorem illius temporis Romanorum Papam.* Ad 3. Epheſinum dico, quod in communiori Patrum ſenſu fuit idem cum prædicto Conſtantinop. ſub Copronimo 3.; unde idem reſpondendum.

15 Ad Concilium Francofordi. varie reſpondent Theologi. Aliqui dicunt, quod PP. ittius Concilii male informati ex depravata traductione Niceni 2., ipſum damnarunt, putantes, illud decreviſſe, cultum *Latriæ* exhibendum Imaginibus eſſe abſolutum, qualis ſoli Deo debetur. Alii dicunt, hoc Concilium ni-

nihil ibi ſtatuiſſe contra Nicenum 2., ſed contra Conſtantinop. 3., quod non obſcurè indicant verba Canonis, in quo dicitur: *allata eſt quæſtio de nova græcorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Conſtantinopoli fecerunt.* Alii tandem tenent, illum Canonem falſo inſertum eſſe inter acta illius Concilii, & hoc factum fuiſſe ab aliquibus Epiſcopis Iconoclaſtiſtis. Videantur Noſter Fraſſen, & Cabaſſutius in hac materia.

16 Dices 3. ex Patribus: Hieronymus cap. 3. de moribus Eccleſiæ ait: *cultores Dei ſtatuam, aut Imaginem adorare non debent.* Div. Aug. lib. 7. Epiſt. 11.: *ſepulchrorum, & picturarum adulatores.* Div. Gregorius tenet: *id circo pictura Eccleſiis adhibetur, ut hi, qui literas neſciunt, ſaltem in parietibus videnda legant, quæ in codicibus legere non valent*: ergo juxta mentem SS. PP., Imagines non proponuntur in Eccleſia, ut colendæ, ſed ad ſummum proponi debent ut ſigna rememorativa ſuorum exemplarium.

17 Reſpondeo, negando conſeq.; quia SS. PP. non loquuntur ut in plurimum de Imaginibus SS., ſed de Imaginibus Regum viventium, qualis erat ſtatua Nabuchodonoſoris, de qua loquitur Hieronymus. Div. Aug. invehitur ibi contra turbas imperitorum, qui vel in ipſa religione ſuperſtitioſi ſunt, qui luxurioſiſsime ſuper mortuos bibant; non vero loquitur de ſepulchris, vel de imaginibus ſacris, nec de cultu eis proportionato. Div. Gregor. tantum prohibet, exhibere Imaginibus cultum *Latriæ* abſolutum, qualis debetur ſoli Deo, & qualem Gentiles exhibent ſuis Idolis, quę, ut Deos, colunt; nam loquens de Imagine Chriſti ait: *nos quidem, non quaſi ante divinitatem, ante illam proſternimur, ſed illum adoramus, quem per Imaginem, aut natum, aut paſſum (ſed in trono ſedentem) adoramus.*

18 Dices ultimo: non licet depingere Imaginem Chriſti: ergo nec ipſam adorare. Prob. antec.: qui pingit Chriſtum ſolum repræſentat humanitatem, eamque ſeparat á divinitate; cum hæc irrepreſentabilis ſit; ſed hoc non licet: ergo &c. Hoc idem argumentum fieri poteſt de Angelis. Reſpondeo, negando antec., & maiorem probationis. Ratio eſt; quia ſicut homo pingitur, quamvis ejus anima ſit ſpiritualis; quia pingitur ut vivus, ſic Chriſtus pingitur, ut totus, qualis eſt, ſcilicet, cum Divinitate, & humanitate, concipiendo ipſum mente, concurrente fide.

Hæc

19 Huc huſque egimus in hac concluſione contra hæreticos præcipue Iconoclaſtas. Sed ſciendum eſt, quod etiam inter Catholicos, eſt aliqua diſenſio erga adorationem Imaginum. Quidam enim dicunt, quod Imago nec eſt ratio adorandi, nec terminus adorationis, ſed tantum ſignum rememorativum, quo excitatus homo per affectum tendit in Prototypum, tamquam in objectum integrum adorationis. Sic videtur ſentire Durandus in 3. diſt. 9. quæſt. 2. Alii tenent, in adoratione Imaginis, duplicem debere intervenire actum; unus internus, qui eſt propriæ ſubmiſſionis, terminatus ad Prototypum; alius vero externus, qui eſt nota, & ſignum interioris ſubmiſsionis, ut genuflexio, capitis inclinatio: & conſequenter dicunt, ad Imaginem ſolum terminari actum externum, internum vero ad Prototypum.

20 Alii tandem docent, quod licet tam Prototypus, quam Imago ſint termini adorationis, diverſimodè tamen; nam ad Prototypum fertur in recto; ad Imaginem verò ſolum in obliquo. Unde ex conſequenti tenent, quod etſi imago cum imaginato adoretur ut terminus adorationis, non tamen eodem, & pari cultu, ſed potius diverſo; nam cultus exemplaris, & Prototypi, debet eſſe ſuperior; cultus vero Imaginis debeat eſſe inferior. Sed in rei veritate, ſi bene perpendantur hi varii modi dicendi (ſi excipias primum, qui Durando tribuitur, quique communiter à Theolis reijcitur) ſi bene ergo perpendantur, plus habent de nomine, quam de re; quare ab eorum examine pro nunc abſtinemus. Qui plus de hoc ſcire voluerit, videat hic Noſtrum Maſtrium diſput. 2. quæſt. 10. per totam.

21 Pro fine huius quæſtionis adverte, quod omnia, quæ hic diximus de Imagine Chriſti, ac reliquiis ejus, cum debita proportione dicenda ſunt de Imaginibus, & reliquiis Deiparæ, & SS. relativè ad ſua exemplaria; hoc eſt, quod eodem cultu relativo veneranda ſunt, quo ipſa exemplaria, ſcilicet, vel *Hyperdulia*, vel *Dulia*. De his omnibus, ſicut & de invocatione SS. plura vide apud Theologos controverſiſtas; dicta enim pro Theologo Scholaſtico ſufficiant.

DISP. IV. ET ULTIMA DE CAUSA FINALI INCARNATIONIS.

VErum eſt, quod poſteriora in executione ſunt priora in intentione; quia omne agens intellectuale ex motivo, & fine pręcognito agit, maxime Deus. Unde etſi ex hoc principio agere debueramus de motivo, & fine Incarnationis, priuſquam de ejus executione; quia tamen ex dictis de iſta, plurimum pendet clara intelligentia cauſę finalis incarnationis; ideo meritò uſque ad finem huius materię decrevimus non agere de hac difficultate, quæ varias & difficiles ſub ſe continet. Pro quarum dilucidatione ſit

QUÆST. I.

An ſi Adamus non peccaſſet, Verbum divinum incarnatum fuiſſet ex vi preſentis decreti?

1 IN præſenti quæſtione nihil aliud inveſtigatur, niſi quænam ſit bonitas illa primò à Deo intenta, ex cuius prævisione Deus ſumpſit occaſionem ad unionem hypoſtaticam decernendam; & qua non prævisa, unio hypoſtatica non eſſet decreta in præſenti providentia? De hac hic quærimus, & non de alia providentia, quam Deus potuiſſet habere. Unde ſenſus difficultatis eſt, an Deus de facto decreverit humanitatem ſumi à Verbo ſolum propter remedium peccati; ita, ut Adamo

non peccante, ex vi præſentis decreti, Chriſtus Dominus non veniret? An vero primarium, & præcipuum motivum Incarnationis fuerit excellentia ipſius myſterii, & manifeſtatio bonitatis Dei, ſuorumque atributorum: ſecundarium vero, redemptio generis humani á peccato; taliter, quod hoc ſecundario motivo deficiente, ſeu Adamo non peccante, Verbum Divinum vi præſentis decreti fuiſſet incarnatum? Ante reſolutionem aliqua ſunt notanda.

2 Noto 1., indubitabile eſſe, Verbum divinum factum eſſe hominem propter redemptionem generis humani; contrarium eſt hæreſis Baſilidis Alexandrini, qui negabat Chriſtum Dominum in cruce pro nobis affixum, paſſum, & mortuum eſſe. Opponitur hæc hæreſis authoritati Lucæ cap. 13.: *venit Filius hominis ſalvum facere, quod perierat.* Opponitur etiam illis Verbis Symboli Niceni: *qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt :: crucifixus etiam pro nobis.*

3 Noto 2., quod voluntas ad elicientiam alicuius actus poteſt habere plures fines, & motiva partialia; vel ita inter ſe ſubordinata, & connexa, ut quovis deficiente, deficiat actus: ſic qui dat eleemoſynam, reſpiciendo charitatem, amicitiam, & propinquitatem in paupere petenti. Vel ita inter ſe connexa, & non ſubordinata, ut quilibet ſufficiat ad actum, etſi alij fines, & motiva concurrentia; ut cum quis charitate motus elargitur eleemoſynam amico, vel proximo; in quo caſu eſſet actus eleemoſynæ, etiam ſi Pauper non eſſet amicus, & propinquus. Ex hoc infertur, quod cum actus divinæ voluntatis, quo Incarnationem decrevit, poſsit habere (imo habeat ut poſtea conſtabit) plura motiva, præter remedium peccati, ut communicationem ſummam ſuæ bonitatis, excellentiam myſterii, exaltationem noſtram, & alia; meritò quærimus, an hæc motiva ſint inter ſe connexa reſpectu Incarnationis, ita ut quolibet deficiente, deficeret Incarnatio? vel an écontra res ſe habeat?

4 Noto 3., quod adhuc apud Thomiſtas, redemptio, & remedium peccati non eſt finis, *cuius gratia* Incarnationis, ſed ſolum *finis effectus, ſeu finis, cui, & utilitatis*; quatenus homo, ut redemptus, eſt cui utilitas ex Incarnatione provenit, ſcilicet, libertas á peccato, & alia plurima. Sic Godoy tom. 1. in 3. part. diſp. 8. quæſt. 1. §. 9.; quod probat authoritate Div. Thomæ

in

in 2. ſententiar. diſtinct. 15. quæſt. 1. artic. 1. ad 6. dicente: *dicendum*, quod aliquid poteſt eſſe „ propter aliud dupliciter: aut „ quia ordinatur ad ipſum, ſicut „ ad finem proprium, & prin„ cipalem: & ſic inconveniens „ eſt dicere, quod aliquid ſit „ propter vilius ſe; & Luna, & „ Stellæ propter Noctuas, & Veſ„ pertiliones; cum finis potior „ ſit his, quæ ſunt ad finem. Alio „ modo poteſt dici, aliquid eſſe „ propter aliud, cui ex ipſo pro„ venit aliqua utilitas, eo mo„ do, quo poſſet dici Rex eſſe „ propter Ruſticum ex cuius re„ gimine provenit ei pax. Et per „ hunc modum eſt intelligendum „ quod *dicitur in litera*. Hæc Div. Thomas, qui in eodem 2. diſt. 1. quæſt. 1. artic. 1. hoc idem repetit, & magis explicat.

5 Nunc ergo Godoy hanc doctrinam ſic ad rem applicat. Si enim inconveniens reputat D. Thom., quod Luna, & Stellæ ſint propter Noctuas, & Veſpertiliones, tamquam propter finem proprium, ſcilicet, *finem, cuius gratia*; non autem tamquam *finem cui* ex Luna, & Stellis utilitas ſequitur: & ſimiliter quod Rex factus ſit propter Ruſticum, ut *finem cuius gratia*; non autem quod ſit finis *cui* utilitatis; inconveniens etiam debet cenſeri, quod remedium peccati, vel homo ut redimendus ſit finis proprius, hoc eſt finis *cuius gratia* Incarnationis Verbi; non autem, quod ſit finis effectus illius, ſeu finis cui utilitatis; quatenus homini ex Incarnatione hæc utilitas eſt ſecuta, nempe, remedium peccati. Hæc Godoy ſic explicans illud Symboli, *qui propter nos homines &c.* ita ut ly *propter* dicat finem effectus, & *cui* utilitatis; non vero finem *cuius gratia*. Hæc bene notentur pro noſtra ſententia tuenda.

6 Noto 4.; Incarnationem dupliciter conſiderari poſſe: vel ſecundum ſubſtantiam, hoc eſt, quatenus eſt unio hypoſtatica naturæ divinæ, & humanæ in eadem Perſona Verbi divini, præſcindendo ab eo, quod humanitas ſit paſsibilis, vel impaſſibilis. Vel ſecundum circunſtantias paſsibilitatis, aut impaſsibilitatis. Sed hæ circunſtantiæ adhac dupliciter conſiderari valent, ſcilicet, *remotè*, & *proximè*. Paſſibilitas remota nihil aliud eſt, quam capacitas ad patiendum, & habetur præciſe per hoc, quod quis conſtet corpore quatuor qualitatibus compoſito; nam ex hoc habet capacitatem ad ſufferendum dolores, mortem &c. Impaſſibilitas remota eſt jus, & exigentia ad non patiendum: ſic corpus unitum animæ glorioſæ dicitur habere impaſsibilitatem re-

motam ; nam cum talis anima exigat, ut gloria corpori refundatur, perinde corpus ratione animæ exigit dotem impaſsibilitatis.

7 Impaſsibilitas remota eſt, juxta Doct. in 4. diſt. 49. quæſt. 13. §. *dico* ; denominatio extrinſeca proveniens à divino decreto ſtatuente non coagere cum cauſis ſecundis ad corruptionem. Vel ſecundum Thomiſtas, eſt qualitas impreſſa corpori, vincens omnem activitatem qualitatum potentium inducere dolores, & corruptionem. Demùm paſsibilitas proxima eſt ſubjectio actualis ad corruptionem nullatenus impedita, vel vi qualitatis thomiſticæ : vel, juxta Scotiſtas, non impedita vi alicuius decreti impedientis cauſas ſecundas coagentes ad corrumptionem.

8 Ex hoc infertur, quod dum Scotiſtę dicunt, ſubſtantiam Incarnationis, & quodlibet decretum ad ipſam terminatum prout ſic conſideratam, præſcindere a paſsibilitate, & impaſsibilitate, unice intelligendum eſt de paſsibilitate proxima ; non vero remota. Ratio eſt ; quia ſubſtantia Incarnationis pręciſe dicit compoſitum ſubſiſtens in natura divina, & humana, ſcilicet, Chriſtum conſtantem corpore organico, compoſitum quatuor qualitatibus, & anima glorioſa : ex vi primæ intentionis efficacis unice decrevit Deus unionem hypoſtaticam Verbi cum natura humana; vi vero ſecundę intentionis decrevit communicari animæ Chriſti ſummam grâtiam, & gloriam in primo conceptionis inſtanti, ut ſic finis intentus ſummę communicationis Deitatis in utraque linea conſequeretur. Nunc ſic ; ſed in primo decreto ſtat paſsibiiitas remota, & in ſecundo impaſsibilitas remota : ergo ſubſtantia Incarnationis, & ſimiliter decretum ad ipſam ſecundum ſe terminatum non præſcindit à paſsibilitate remota.

9 Quod autem à proxima paſsibilitate præſcindat, probatur: paſsibilitas, vel impaſsibilitas proxima, qualis, in noſtris principiis eſt pura denominatio extrinſeca, orta à decreto ſtatuente coagere, vel non coagere cum cauſis ſecundis ad corruptionem ; ſed decretum hoc eſt diſtinctum, tum à decreto terminato ad ſubſtantiam Incarnationis ; tum etiam à decreto conferendi ſummam gloriam animæ Chriſti, & poſterius iſto, ut infra patebit : ergo ſubſtantia Incarnationis ſecundum ſe ſumpta, & decretum ad ipſam prout ſic conſideratam terminatum præſcindit à paſsibilitate, vel impaſsibilitate proxima. His notatis

Tri-

10 Triplex verſatur ſententia in hac perdifficili controverſia. Duę extremæ, & alia veluti media. Prima extrema ait: Deum decreviſſe Incarnationem Verbi dumtaxat propter remedium peccati, ita ut ſi Adam non peccaſſet, Verbum de facto incarnatum non fuiſſet. Ita Thomiſtæ omnes citantes Div. Thom. 3. part. quæſt. 1. art. 3., & in 3. diſt. 3. quęſt. 1. art. 3.. Secunda extrema ſententia defendit, finem primarium, & præcipuum Incarnationis fuiſſe excellentiam ipſius myſterii, manifeſtationemque bonitatis divinæ: ſecundarium vero redemptionem generis humani; ideoque hoc fine deficiente, cum remaneret adhuc primus, Verbum fuiſſet incarnatum. Ita Subt. Doct. in 3. diſt. 7. quæſt. 3. & diſtinct. 19. quæſt. unic. cum quo omnes Scotiſtæ, & alii quamplures ex Jeſuitis.

11 Tertia ſententia media conatus reconciliare duas extremas opiniones, ſimulque teſtimonia Scripturæ PP., pro utraque parte militantia, dicit, Verbum divinum venturum fore adhuc ceſſante peccato, & fine redemptionis, & hoc in præſenti providentia; ſed non ex vi ejuſdem decreti, quod nunc ſtat, ſed vi alterius, quod factum eſſet, dato caſu, quod Adamus non peccaret; & in hoc ſenſu explicant PP. aſſerentes, Adamo non peccante, Chriſtum non venturum. Sic Suarez cum aliquibus Societatis. Quam ſententiam ſpecialiter tuetur Averſa. Quid nobis dicendum per duplicem concluſionem conſtabit.

STABILITUR PRIMA concluſio.

12 Chriſtus Dominus, veniret vi præſentis decreti, Adamo non peccante. Ultra AA. cit. in 2. ſentent., hanc etiam defendit Mirabilis illa fœmina, & Mater Maria à Jeſu de Agreda in miro ſuo opere de Myſtica Civitate Dei tom. 1.. Prob. 1. concluſio ex Sac. Script., quam pro ſe eſſe ore rotundo clamant Thomiſtæ. Primo ex illo Eccleſiaſt. 24.: *Ego ex ore Altiſſimi prodivi primogenita ante omnem creaturam*: ſecundo ex Paul. ad Coloſenſ. 1., ubi *Chriſtum vocat primogenitum omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in Cœlis, & in terra.* Et addit: *ipſe eſt ante omnes, & omnes in ipſo conſtant.* Ex quibus ſic argumentor: ſi ante prævisionem cuiuſcumque Creaturæ, & peccati Adæ fuit Chriſtus abſolute decretus, Chriſtus veniret vi talis decreti, Adamo non peccan-

cante, imo nulla exiſtente creatura; ſed de facto Chriſtus Dominus fuit ſic decretus: ergo &c. Mai. cum conſeq. eſt evidens: min. ex textibus Sac. Scripturæ conſtat.

13 Reſpondent 1. Contrarij, quod præfati textus intelliguntur, de Chriſto, ut Deo, non vero, ut homine. Sed præter quamquod hęc expoſitio opponitur communiori SS. PP., ut videri eſt apud AA., maxime apud N. Sendin, ſic eam impugno: Chriſtus, ut Deus, non dicitur Primogenitus; ſed Unigenitus; quia ut unicus Filius Dei non habet fratres reſpectu quorum appelletur Primogenitus; at quatenus homo, eſt Primogenitus in multis Fratribus; quia reſpectu omnium creaturarum docet Apoſtolus, eſſe caput Eccleſiæ, Primogenitum ex mortuis, quæ verba de Chriſto, ut homine, præciſe intelliguntur. Nunc ſic; ſed Chriſtus, ut homo, non eſt Primogenitus, ſumpta primogenitura pro prioritate temporis, ut conſtat: ergo eſt primogenitus; quia primò intentus, & efficaciter decretus: ergo Chriſtus, ut homo, ante previſionem omnis peccati, & creaturę eſt à Deo efficaciter decretus.

14 Reſpondent 2.: hæc omni teſtimonia Scripturæ, aliaque quamplura intelligi de præcedentia dignitatis, & excellentiæ, non vero ordinis intentionis in mente, & decreto Dei; & hæc expoſitio videtur Div. Hieronymi vocantis, Chriſtum Primogenitum, & primum non tempore, ſed honore. Ad modum, quo de Behemoth, ſive Lucifero dicitur Job cap. 40.: *ipſe eſt principium viarum Dei.* Sed contra; quia ex ipſomet contextu conſtat, Chriſtum Dominum non ſolum præcedere dignitate omnes Creaturas, ſicut Lucifer præceſſit omnes creaturas Angelicas; etiam præcedere in decretis Dei, & ejus intentione: ergo nulla eſt reſponſio. Prob. antec.: ibi dicitur: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio.* Juxta ſeptuaginta: *creavit me initio viarum ſuarum*; hoc eſt, antequam quidquam aliquid decreverit facere à principio; quia ſi ſolum intelligeretur de efficientia temporali rerum, nihil ſpeciale diceretur hic de Chriſto Domino; quandoquidem objective intentionaliter minima formica præcedit in mente Dei omne creatum, & fuit antequam quidquam Deus faceret producendo in eſſe exiſtentiali à principio Mundi creaturas: ergo legitimus ſenſus eſt, quod Chriſtus Dominus fuit initium viarum Dei; quia fuit primo decretus antequam quidquam

quam aliquid creatum Deus decreverit facere.

15 Prob. 2. concluſio ex illo Pauli 1. ad Chorinth. cap. 3.: *omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.* Ubi expreſſe dicitur, quod ſicut res naturales ſunt propter hominem, ut finem *cuius gratia* factæ, & homines propter Chriſtum, ita Chriſtus propter Deum; & conſequenter quod finis primario intentus in Incarnatione nil aliud fuit præter Deum ipſum, quod maxime conſtat ex eo, quod omnia alia fuerunt propter Chriſtum, ut finem *cuius gratia* ipſorum: ergo Deus de facto ante omnia alia creata habuit in ſua intentione, & priuſquam quodlibet aliud decreviſſet, decernere Chriſtum Dominum, ut *finem cuius gratia* cætera alia gauderent exiſtentiæ: ergo ante omnes creaturas voluit Deus Chriſtum propter ipſum Deum, & ejus bonitatem ipſi communicandam; ſed communicatio divinæ bonitatis, quæ reſplendet in Chriſto Domino eſt ſumma, & ſummo modo factibilis *ad extra*: ergo finis propter quem, & *cuius gratia* decretus eſt Chriſtus Dominus, eſt bonitas divina, ut ſummo modo poſsibili ad *extra* communicanda præciſsive à peccato.

16 Prob. 3. concluſio ex SS. PP.: Rupertus, Baſilius, & Tertul. videndi in catena Stipomani ad illa verba Geneſis: *faciamus hominem*; docent, Deum inſpexiſſe in formatione Adami ad exemplar Incarnationis, ut in finem propter quam homo formabatur. Div. Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes cap. 33. diſertè affirmat, Chriſtum præceſsiſſe in divino decreto reſpectu hominum per hæc verba: quoniam „futuram circa Filium Dei humani generis diſpoſitionem in ſe„metipſum fabricator omnium „Verbum præformaverat, præ„deſtinante Deo primum homi„nem, animalem (id eſt Ada„mum) videlicet ut à ſpirituali, „(Chriſto ſcilicet) ſalvaretur. Cum „enim præexiſteret ſalvans, op„portebat, & quod ſalvaretur „fieri, ut non vacuum ſit ſalvans: „ergo juxta hos SS. PP. Chriſtus decretus, & prointentus fuit antequam Adamus, ut pote exemplar, & Salvator ipſius; & conſequenter ante prævisionem ipſius peccati.

17 Probatur 4. concluſio ratione theologica N. Doct.: prudentiſsimè, & efficaciter intendens aliquem finem, tenetur vi ſuæ maximæ prudentiæ, & efficaciæ eligere medium, quod utilius eſt ad conſecutionem finis; ſed primus, & præcipuus finis ef-

efficaciter à Deo intentus in creatione univerſi, fuit manifeſtatio ſuorum attributorum, ſuæque bonitatis infinitæ, & ſumma communicatio ſummo modo poſsibili: ergo his ſtantibus tenebatur ratione ſuæ prudentię, & efficaciæ eligere medium illud, quod utilius erat ad talem finem conſequendum. Subſumo nunc; ſed ad hunc finem nullum medium utilius, quam unio hypoſtatica: ergo ex vi divinæ intentionis efficacis, ejuſque ſummæ prudentię decernentis ſua attributa manifeſtare, & ſuam infinitam bonitatem ſummo modo poſsibili ſummè ad extra communicare, Deus decrevit primò unionem hypoſtaticam; conſequenterque ante prævisionem omnis creaturæ, & Adami peccati, Chriſtus decretus eſt.

18. Maior primi diſcurſus patet hoc exemplo: ſi infirmus efficaciter intenderet ſanitatem, & ipſi offerrentur duo medicamenta, ex quibus unum eſſet utilius, quam aliud; abſdubio, præcognita maiori utilitate unius, & minori alterius, ut prudenter eligeret, eligeret utilius. Minor talis diſcurſus, & in ſimul minor ſubſumpta eſt expreſſa Div. Thomæ 3. part. quæſt. 1. art. 1. in corpore, dicentis; *ad rationem* ſummi boni pertinet, quod „ ſummo modo ſe creaturæ communicet, quod quidem maxi„ me fit per hoc, quod naturam „ creatam ſibi con jungit, ut una „ Perſona fiat ex tribus, Ver„ bo, anima, & *carne*. Ex qua „ authorit. ſic argumentor: prima intentio efficax Dei, qua ſummè bonus eſt, fuit ſuam bonitatem ad extra ſummo modo poſsibili communicare; ſed ſumma communicatio ſuæ bonitatis ad extra ſummo modo poſsibili, eſt unio hypoſtatica: ergo titulo ſuæ prudentiſsimæ providentiæ Deus prius voluit unionem hypoſtaticam, quæ eſt medium utilius, & excellentius ſuę communicationis *ad extra*.

19. Reſpondent Thomiſtæ, quod ordinatè volens priùs vult finem, & poſtea media, quæ ſunt proximiora fini, proximitate medij, non vero proximitate in ratione entitatis. Sed contra: illud neceſſario habet primitatem, & proximitatem maiorem in ratione medii reſpectu finis præintenti, quod in ordine ad conſecutionem ipſius finis præfert maiorem utilitatem, ut finis modo quo præintentus eſt, conſequatur; ſed finis à Deo primò intentus in creatione univerſi fuit ſumma communicatio ſummo modo poſsibili, ſuę divinæ bonitatis; & in ordine ad hanc communicationem ſummo modo poſsibili utilior eſt, juxta Div. Thom., unio

unio hypoſtatica : ergo in ordine ad hunc finem unio hypoſtatica non ſolum eſt excellentior, & propinquior in ratione entitatis, ſed etiam medii, & utilitatis.

20 Reſpodent 2., quod ex Noſtra ratione ſequitur, Deum teneri ad volendum prius creaturam perfectiorem, ac per conſequens prius hominem, quam brutum. Ratio eſt; quia quo perperfectior fuerit Creatura, manifeſtatio omnium attributorum erit maior; nam non aliter divina attributa manifeſtantur in Creaturis, niſi quia iſtę ſunt aliquo modo ſpecula, & veſtigia ſui Creatoris. Unde Creatura perfectior magis aſsimilatur Deo, quam imperfectior: igitur in ordine ad hunc finem intentum tenetur Deus titulo prudentiſsime intendentis prius velle Creaturam perfectiorem. Hæc reſponſio non videtur ad rem, quod ſic.

21 Oſtendo: ratio probativa concluſionis non procedit de medio vtiliori, & excellentiori in ordine ad communicationem divinę bonitatis utcumque, ſed in ordine ad communicationem ſummam, & ſummo modo poſsibili; ſed in ordine ad hunc finem pręintentum nihil creatum eſt utilius, vel æquè utile, ac unio hypoſtatica; cum ſola hæc ſit ſumma communicatio divinæ bonitatis, juxta Angelicum præcept. cit.: ergo ex vi divinæ intentionis communicandi ſummo modo poſsibili ſuam bonitatem; tenetur velle unionem hypoſtaticam. Deinde, nulla Creatura quamtumvis perfecta, excepta unione hypoſtatica, eſt ſumma communicatio divinæ bonitatis, ut expreſſe docet inde Angel. Doct. etiam in 1. part. quæſt. 19. art. 2. in corpore.

22 Sed ut hoc Clarius percipiatur, adverte, quod ſumma Dei communicatio dupliciter fieri valet; vel in ordine ſubſtantiæ, & naturæ; vel in ordine accidentali gratiæ, & gloriæ. Prima fit per unionem hypoſtaticam ſummam negative, quando, (ut ait Div. Thom.) una Perſona fit ex tribus, *Verbo*, ſcilicet, *anima*, & *Carne*: Secunda fit, quando Deus decernit dare alicui Creaturæ ſummam gratiam, & gloriam; & his modis expletur intentio efficax Dei communicandi ſuam bonitatem ſummo modo poſsibili. Ultra Adverte, quod ordo prioris, & poſterioris in divinis decretis aſsignatur juxta ordinem, quem habent in ſe ex natura ſua objecta: & ſic cum Deus intendit ſummam communicationem ſuæ bonitatis ad *extra* ſummo modo poſsibili, ſervat ordinem, quem ex natura habent objecta,

in quibus conſequitur hæc ſumma communicatio.

23 Ex hoc infertur, quod cum unio hypoſtatica ſit de linea ſubſtantiali, gratia vero, & gloria, de linea accidentali: & linea ſubſtantialis ſit abſolute ex natura ſua prior linea accidentali; ſequitur ergo, quod Deus in conſecutione prædicti finis communicandi ſuam bonitatem ſummo modo poſsibili, prius vult ſuam communicationem, quam conſequitur ſubſtantialiter in unione hypoſtatica; quàm illam, quam conſequitur in linea accidentali per ſummam gratiam, & gloriam: ergo ſola unio hypoſtatica fuit primo vòlita, ut medium utilius ad hanc ſummam communicationem divinæ bonitatis; & conſequenter efficaciſsimè probat Scotus, Deum titulo prudentiſsimè intendentis, & efficaciter volentis communicare ſuam bonitatem ſummo modo poſsibili, prius decreviſſe unionem hypoſtaticam; & etiam Chriſtum venturum vi præſentis decreti, nullo exiſtente Adæ peccato.

24 Probatur tandem concluſio ex in convenientibus: primo ſic: ſi Chriſti Dómini exiſtentia dependeret à peccato, taliter quod, peccato Adæ non exiſtente, Chriſtus ex vi præſentis decreti non veniret, Incarnatio eſſet bonum occaſionatum; ſed hoc eſt maximum abſurdum: ergo Chriſti Domini exiſtentia non dependet à peccato. Maior concedítur ab adverſarijs, & ultra cum minori probatur ex Div. Thoma 1. part. quæſt. 98. artic. 1. ubi quærit: *an in ſtatu innocentiæ futuræ eſſent generationes? Et reſolvit: reſpondeo dicendo, quod in ſtatu innocentiæ fuiſſet generatio ad multiplicationem generis humani, alioquin peccatum hominis eſſet valde neceſſarium, ex quo tantum bonum conſequutum eſt.* Hoc idem dubium proponit Div. Auguſtinus. lib. 14. cap. 24., Et eodem modo ac Div. Thom., reſolvit. Ex quibus ſic efformatur ratio probativa præcedentis diſcurſus: abſdubio maius bonum eſt exiſtentia Chriſti, quam exiſtentia juſtorum, eorumque generationes; Aug., & Thom. judicant abſurdum, quod tantum bonum, quale eſt exiſtentia juſtorum, & eorum generationes ſit bonum occaſionatum, & dependens à peccato: ergo maius abſurdum erit, ponere exiſtentiam Chriſti Domini vi præſentis decreti dependenter à peccato.

25 Secundum abſurdum ſimile primo, eſt, quod ſi Chriſti Domini exiſtentia dependet ab exiſtentia peccati, taliter, quod, iſto doficiente, Criſtus non veniret vi preſentis decreti, ſequitur, quod Adamus peccans fuit glo-

gloria Chriſti: & Chriſtus deberet referre gratias Adamo peccanti. Prob. ſequæſtia ex Div. Athanaſ. lib. 3. contra Arrianos. Arrius enim dicebat: *Filium Dei factum fuiſſe propter Creaturas, adeo ut, ſi Deus univerſum creare non decerneret, Filius futurus non foret.* Contra quem errorem ſic arguit Sanctus Doct.: *advertite quam audax* ſit impietas in veſtris verbis: primum, quia apparebit „ Filius propter nos, & non propter Filium conditos nos eſſe; non „ enim nos ejus cauſa creati fuiſſemus, ſed ille noſtri; adeo „ ut *ipſe nobis, non nos illi gratiam debeamus.* Eodem argumento utitur Div. Cyrillus libro 5. theſauri cap. 3.. Ex quibus infero: ergo ſi Chriſtus decretus eſt propter peccatum Adæ, ita, ut iſto deficiente, Chriſtus non veniret; ſicut PP. arguunt contra Arrium, quod Verbum deberet referre gratias creaturis; ita & nos, quod Chriſtus deberet referre gratias peccato Adami, quod eſt maximum abſurdum.

26 Tertium, quod ſequitur eſt, quod Chriſtus nihil Angelis contulit, nec fuit, nec eſt caput morale illorum; quia cum iſti prævifi fuerunt ante peccatum Adami, non ſolum ſecundùm ordinem naturę, ſed & gratiæ, & pro tunc Chriſtus prævifus non fuerit, nihil Angelis contulit. Confirmatur hoc ex principiis Thomiſtarum aſſerentium, quod Adę peccatum fuit prævifum ex ſuggeſtione Diaboli jam damnati: deinde etiam eſt certum apud ipſos, Angelos in via habuiſſe fidem myſterij Incarnationis: & hanc revelationem etiam Dœmonibus factum fuiſſe. Quomodó ergo hęc omnia compatiuntur cum eo, quod peccatum Adæ fuerit ex ſuggeſtione Diaboli damnati, & quod myſterium Incarnationis fuerit decretum poſt prævifionem peccati Adami? Reſpondeant ipſi Thomiſtæ. Pro quorum ulteriori impugnatione vide dicta notabili 3. huius.

STATUITUR SECUNDA conclusio.

27 Plura fuerunt de facto alia motiva adventus Chriſti Domini diverſa à redemptione peccati, ita ut ſi permanſiſſet ſtatus innocentię, verificaretur exiſtentia Chriſti Domini independenter à peccato. Concluſio hæc eſt confirmativa antecedentis. Probatur aſſignando motiva ex Scriptura, & PP.. Primum traditur à Concil. Trid. ſeſ. 6. can. 21. decernente: *ſi quis dixerit, Chriſtum à Deo hominibus datum fuiſſe ut Redemptorem, cui*

fidant, non etiam, ut Legislatorem, cui obediant, anathema ſit. Hanc veritatem ſumpſit Concilium ex Iſaia cap. 55. dicente: *ecce dedi eum, Ducem, & Præceptorem*: ergo ex Concil. & Script. non ſolum venit Chriſtus ut Redemptor, ſed etiam ut præceptor, & Legislator. Nunc ſic; ſed hoc munus Legislatoris, & præceptoris verificari potuit in Chriſto Domino in ſtatu innocentiæ, deficiente peccato: ergo juxta concilium, & Script. datur motivum adventus Chriſti independenter à peccato, & redemptione ipſius.

28 Secundum motivum traditur à Div. Joann. cap. 18. verſicul. 13. ubi Dominus ait: *ad hoc veni in Mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati*; ſed etiam hoc motivum exiſteret independenter à peccato, & in ſtatu innocentiæ: ergo &c. Min. conſtat ex explicatione Div. Auguſt. ſerm. de Nativitate Domini. His verbis: *homo ſequendus non erat, qui videri poterat: Deus ſequendus erat, qui videri non poterat: ut ergo exhiberetur homo, qui videretur ab homine quem homo ſequeretur, Deus factus eſt homo.*

29 Tertium motivum traditur à Div. Auguſt. lib. 1. de Trinitat., relato à Div. Thom. 3. part. quæſt. 1. articul. 2. ubi ait: *quæ maior cauſa adventus Domini, niſi ut oſtenderet Deus dilectionem ſuam in nobis?* Nunc ſic; ſed hanc dilectionem oſtendit, dum eramus peccatores: ergo potiori jure eam oſtenderet, ſi eſſemus juſti, uti eſſemus, ſi ſtatus innocentiæ permanſiſſet, & nos in illo eſſemus. Ubi notare debes, illam particulam *maior*, quæ denotat magis præcipuam cauſam adventus Chriſti fuiſſe dilectionem Dei; quæque cauſa adhunc eſſet, deficiente peccato Adami.

30 Quartum motivum aſsignatum à Div. Bern. ſermon. 20. in Cantica, dicente: *ego arbitror hanc præcipuam inviſibili Deo fuiſſe* cauſam, quod voluit „in carne videri, & cum ho„minibus homo converſari, ut „carnalium, videlicet, qui ni„ſi carnaliter amare non pote„rant, cunctas primo ad ſui „carnis ſalutarem amorem af„fectiones retraheret, atque ita *gradatim ad amorem perduceret ſpiritualem.* Hoc & docet Div. Baſilius conſtitut. monaſtica cap. 2. dicens: *propter hoc etiam humanam naturam* ſuſcepit, ut in „ſe, velut in tabula quadam, „nobis pietatem, ac virtutem „depingeret, eamque omnibus „nobis, Moribus ſimul, ac Fœ„minis, ante oculos unicuique „imitandam proponeret. Neque

„enim

„ enim alia de cauſa (notate hoc) „ ille noſtrum corpus gerit, ni „ ut quoad fieri poſsit, ad imi- „ tanda vitæ ipſius ſtudia, nos „ conformemus. Ex his authoritat. clare conſtat, præcipuam cauſam adventus Chriſti fuiſſe ſuaviorem modum nos perducendi ad Dei amorem, & imitationem hominis Dei noſtrum exemplar facti; ſed ſi ſtatus innocentiæ perſeveraſſet, hæc præcipua cauſa adhuc ſubſiſteret, ut omnibus notum eſt: ergo etiam deficiente peccato Adami, & conſequenter hoc non fuit talis præcipua cauſa.

31 Ultimum tandem motivum aſsignatur ab Angelico Præceptore 3. part. quæſt. 28. art. 1., ubi inter congruentias ad hoc, ut Chriſtus ſit conceptus ex Virgine, hanc quartam aſsignat: „ propter ipſum finem Incarna- „ tionis Chriſti, quæ ad hoc fuit, „ ut homines renaſcerentur in Fi- „ lios Dei, non ex voluntate „ viri, ſed ex Deo, id eſt, ex „ ipſa Dei virtute, cuius rei „ exemplar apparere debuit in ipſa „ concepcione Chriſti. Unde Aug. „ dicit lib. de Sancta Virginitate: „ opportebat caput noſtrum in- „ ſigni miraculo ſecundum carnem „ naſci de virgine: quo ſignifica- „ ret, membra ſua Virgine Ec- „ cleſia ſecundum *Spiritum naſcitura*: ergo juxa D. Thom. finis adventus Chriſti ex Virgine geniti ſub ratione capitis Eccleſiæ fuit regeneratio hominum per gratiam in Filios Dei adoptivos. Nunc ſic; ſed Adamo non peccante, & ſtatu innocentiæ permanente hic finis conſequeretur per incarnationem, qua Chriſtus Dominus eſſet caput noſtrum: ergo ob hoc motivum veniret.

SOLVUNTUR ARGUMENTA contra iſtas concluſiones.

32 Argitur 1. ex varijs authorit. Sac. Scripturæ, & PP. quarum aliquæ exprimunt, Chriſtum veniſſe ex motivo redimendi genus humanum 1a. peccato: ſic Symbolum Nicænum: *qui propter nos homines; & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis.* ubi ly *propter* denotat cauſam motivam. Aliæ dicunt, Incarnationem factam eſſe ob medicinam peccati, ſic Lucæ 19. *venit filius hominis quæ rere, & ſalvum facere, quod perierat.* Alię tandem ponunt cauſam excluſivam adventus Chriſti, deficiente peccato. Sic Div. Auguſt. tom. 10. ſerm. 8. de verbis Apoſtoli: *quare venit in Mundum. Pecatoris ſalvos facere. Alia cauſa non fuit quare veniret in Mundum?* Et alibi: tolle morbos: tolle vulnera; *& nulla eſt cauſa veniendi.* Sic paſsim alij SS. PP. vi-

videndi, apud Salmanticenſes hic. Ex quibus omnibus ſic.

33 Arguunt: Incarnatio cum ſit opus excedens omne debitum naturæ, ac iſtius exigentiam, & ſolum à Dei libera voluntate dependens, certo nobis innoteſcere non poteſt propter quod motivum decreta ſit, niſi ſit nobis revelata in Scriptura, juxta communem intelligentiam SS. PP.; ſed ex Script. & PP. conſtat, motivum Incarnationis eſſe remedium peccati, ita ut iſto deficiente, non eſſet Incarnatio, ut conſtat ex locis, & authoritat. citatis, ergo Chriſtus de facto non veniret deficiente peccato. Hoc eſt præcipuum argumentum Thomiſtarum. Sed in primis retorqueri poteſt, afferendo authoritates ſcripturæ, ex PP., & quibus in probatione primæ noſtræ concluſionis, & concluſione 2. provavimus, alia fuiſſe motiva adventus Chriſti præter redemptionem à peccato.

34 Reſpondeo tamen ex ſubt Doct. in 3. diſt. 7. quæſt., 3. præfatos textus, & authoritates intelligendas eſſe non de Chriſto ſecundum ſubſtantiam conſiderato; ſed de ipſo reduplicando circunſtantiam Redentoris: & ſic ſenſus illarum authoritatum eſt: Chriſtum non venturum, deficiente peccato, ut de facto venit, ſcilicet, ſub munere Redentoris in actu 2. ſublevativi per mortem, & crucem; quia motivum, & finis veniendi Chriſti, ut ſic Redemptoris in actu ſecundo, fuit Adæ peccatum, ad quod delendum ſic venit: & hoc præciſſe intendut textus ſacræ ſcripturæ, & PP. in locis contra nos allegati non vero probant, Chriſtum abſolute non venturum, deficiente peccato, ob aliud motivum à Deo intentum ex anumeratis concluſione 2.

35 Et certe, quod hæc interpretatio, & expoſitio noſtri Doct. ſit firmiſſima, ab ipſiſmet Thomiſtis admitti debet; nam P. P. locuti ſunt ita varie, quod ab omnibus explicari debeant. Loquebantur ergo juxta varia munera, quæ à Chriſto Domino erant exercenda in Mundo; ita ut ſub uno munere explicent unum motivum, & ſub alio aliud. Quare ſub munere Salvatoris, & Redemptoris aſsignant pro motivo adventus Chriſti Redentionem generis humani. Sub munere Legislatoris. & Magiſtri aſsignant oſtenſionem veritatis, & reductionem noſtram ad divinum amorem. Sub munere capitis renaſcentiam in Filios Dei adoptivos, tam reſpectu hominum, quam Angelorum, ut cum Div. Thom. diximus num. 31. huius. Sub munere exemplaris imitationem vitæ ipſius Chriſti.

Ra-

36 Ratio fundamentalis interpretationis Subt. Doctoris eſt; quia idem opus, quod volitum fuit à voluntate in ordine ad aliquem finem, poteſt denuo proponi ſub expreſsione utilitatis in ordine ad alium finem, ac pronde attingi à voluntate ſub tali expreſsione. Sicut cum quis vult eleemoſinam ex motivo miſericordiæ, eo quod utilis eſt ad ſublevandam proximi miſeriam: & poſtea ipſi appareat utilis eleemoſina ad actum religionis exercendum; eo quia pauper occurrens eſt Sacerdos; tum voluntas poteſt velle eleemoſinam propter motivum miſericordiæ, & motivum religionis. Vel ut dicunt Thomiſtæ cum Div. Thom. 2a. 2æ. quæſt. 124. artic. 2. ad 2., quod martyrium poteſt pertinere ad virtutem fortitudis, & charitatis, quin ex hoc ſequatur, quod idem opus habeat ſimul duas cauſas finales totales in actu 2., ſed tantum in actu 1., quod non implicat.

37 Similiter igitur, cum Deus velit Incarnationem ob finem communicandi ſummo modo poſsibili ſuam infinitam bonitatem, aut manifeſtandi ſua attributa, aliaque motiva aſsignata concluſ. 2., poſtea prævíſo peccato eamdem Incarnationem quoad ſubſtantiam voluit ut reparativam culpæ, ſeu ſub munere Redemptoris, eo quod utilis ad delendum peccatum. Unde eſt abſolute verum, Deum velle Incarnationem vi primę intentionis, non propter peccatum: & Deum velle, & decreviſſe Incarnationem vi ſecundæ volitionis propter peccatum, & ut reparativam peccati.

38 Nec ex hoc infertur, ut falſò nobis imponunt Thomiſtę, hanc ſecundam intentionem, ſeu volitionen pręciſſe terminari ad circunſtantiam reparationis, & redemptionis; nam etiam terminatur ad ſubſtantiam Chriſti, non utcumque, ſed ordinando eam ad redemptionem, ad quam ex vi primæ volitionis non erat ordinata, quod utique ſufficit, ut abſolute, & ſimpliciter afirmetur, ſubſtantiam Chriſti eſſe volitam propter remedium peccati, ut clare patet in exemplis appoſitis eleemoſinæ, & martyrii. Ex quo habes reſponſionem etiam pro authoritatibus adductis. Sed quia Thomiſtæ magnam vim faciunt in ly *propter* Symboli Nicæni, & in ly *alia cauſa non fuit*, authoritatis Div. Auguſt., ideo ſigillatim ad ipſas reſpondebo. Et in primis

39 Ad authoritatem Div. Auguſt. dico, quod ly *alia cauſa non fuit*: vel ly *nulla eſt cauſa veniendi*, non ſignificant abſolutam excluſionem alterius cuiuſ-

inſcumque cauſæ ; alias ipſemet Sanctus Doct. ſibimet eſſet contrarius ; quod ſic oſtendo : ipſemet Auguſt. lib. 1. de Trinit. ait : *quæ maior cauſa adventus Domini, niſi ut oſtenderet Deus dilectionem ſuam in nobis* : ergo, juxta hunc Sanctum Patrem, alia maior, & principalior cauſa fuit adventus Chriſti Domini, quam redemptio à peccato : ergo quia illa : *alia cauſa non fuit ; nulla eſt cauſa veniendi*, non debet ſumi abſolute, & ſimpliciter, ſed cum explicatione data à N. Subt. Doct., hoc eſt, quod adventus Chriſti ut Redemptoris de facto, & in actu 2. alia cauſa non fuit, quam redimere genus humanum à peccato.

40 Deinde : explicatio N. Doct. eſt ad mentem Div. Auguſt. lib. 1. de peccatorum meritis, & remiſsione cap. 26. ubi ait : *commodius eſſe arbitror*, „ coacervatim cogere, quæ occurrere potuerint, vel ſufficere „ videbuntur, quibus appareat, „ Dominum Jeſum Chriſtum, non „ ob aliam cauſam in carne veniſſe, ac forma ſervi accepta „ factum obedientem uſque ad „ mortem crucis, niſi ut omnes „ vivificaret, ſalvos faceret, redimeret, *& illuminaret*. En ubi clare aſſerit Auguſt. non ab aliam cauſam veniſſe *in carne paſsibili*, & mortali, niſi ob redemptionem : & quamvis annectat vivificationem, & illuminationem; ex hoc ſolum ſequitur, quod hæc, & alia motiva particularia particularium munerum eſſe de facto connexa ; verum hęc connexio in hac providentia minime oritur ex primario motivo Incarnationis quoad ſubſtantiam, ſed ſolum ipſius circunſtantionatæ, & de facto completé acceptæ erga redemptionem totius univerſi.

41 Ad textum Symboli reſponderi poteſt ex 3. notabili, quod ly *propter* non ſignificat redemptionem eſſe finem *cuius gratia* Incarnationis, ſed tantum finem *cui*, *& utilitatis*. Sed reſpondeo 2. explicando textum, *propter nos homines*, tamquam propter motivum ſecundarium, & minus præcipuum, concedo: tamquam propter primum, & præcipuum motivum adventus Chriſti nego. Ut hoc intelligatis, notate, quod in ſacris litteris particula iſta *propter* non ſemper ſignificat primum, & præcipuum motivum volitionis Dei, nec ſimiliter objectum, ſupra quod appellat, antecedenter non terminare aliquam divinam volitionem ; ſed etiam multoties ſignificat, quod objectum antecedenter à Deo efficaciter decretum vi alterius divinę volitionis accipiat

piat á Deo novam dilectionem in ordine ad alium finem.

42 Hoc patet ex Geneſ. 3. ubi propter inductionem ſerpentis ad peccatum, decernitur ipſi in pœnam à Deo, *reptatio, & eſſus terræ*. Similiter, & Mulieri ſubjectio ad virum : & nihilominus utrumque erat antecedenter á Deo decretum, ut tenent SS. PP. contra aliquos Rabbinos : ergo ſicut hoc argumentum : reptatio, & eſſus terrę infligitur ſerpenti, & Mulieri ſubjectio Viro propter inductionem ad peccandum, & propter peccatum, ly *propter* non exprimit motivum primarium, & pręcipuum ; ſic nec ly *propter* poſitum in Symbolo Nicæno. Clarius Div. Paulus Epiſt. ad Hæbreos cap. 2. ait : *decebat enim* (ſcilicet Chriſtum), *propter quem omnia &c.* ubi ly *propter* Thomiſtæ communiter exponunt, ut propter Chriſtum fuerint omnia, non quoad ſubſtantiam, ſed tantum *ut reparata* : ergo cur refellunt interpretationem noſtram, ſcilicet, quod ly *propter* Scripturę, & PP. non intelligitur de Chriſto quoad ſubſtantiam, ſed de illo, ut Reparatore ?

43 Replicabis : Divus Irenæus libr. 5. contra hæreſes 14. ait : *ſi non haberet caro ſalvari, nequaquam Verbum Dei caro factum eſſet* ; ſed hæc locutio abſolute eſſet falſa, ſi peccato non exiſtente, Chriſtus veniret : ergo &c. Prob. min. : propoſitio Irinæi opponitur iſti Scoti, & ſcotiſtarum contradictorie : ſi non haberet caro ſalvari, Verbum Dei ali quomodo, caro factum eſſet ; ſed duæ contradictoriæ nequeunt eſſe ſimul veræ : ergo vel propoſitio Irenæi, vel ſcoti eſt falſa. Prob. mai. : ly *nequaquam* propoſitionis Irenæi eſt æquivalens : *nullo modo* ; ſed hoc ſignum contradictorie opponitur cum ſigno *aliquomodo* propoſitionis Scoti : ergo &c. In hac autoritate maxime fidunt Thomiſtæ ; ſed in rei veritate non contra Scotiſtas, ſed potiús pro ipſis, facit. Quod ut claré conſtet, intentum Sancti Irenęi proponam.

44 Agit enim ibi contra hęreticos negantes reſurrectionem univerſalem carnis, & ſic arguit : *quid enim dicere habebunt ſanum, ſi conabuntur* aliter in„terpretari hoc, quod ſcribit Apoſ„tolus : opportuit enim corrup„tibile hoc induere incorruptio„nem & mortale hoc induere „immortalitatem, & ut vita Jeſu „manifeſtetur in carne mortali „noſtra, & reliqua omnia, in „quibus Apoſtolus manifeſte, & „clare reſurrectionem, & incor„ruptelam carnis prædicat Co„gentur itaque hæc tanta male „interpretari, qui unum nolunt

„ bene intelligere ; quoniam au-
„ tem non adverſus ipſam ſubſtan-
„ tiam carnis, & ſanguinis, dixit
„ Apoſtolus, non poſsidere reg-
„ num Dei, ubique idem Apoſ-
„ tolus in Domino Jeſu-Chriſto
„ uſus eſt carnis, & ſanguinis
„ nomine : aliquid quidem uti
„ hominem ejus ſtatueret, etenim
„ ſemetipſum Filium dicebat ho-
„ minis ; aliquid autem uti ſa-
„ lutem carnis noſtræ confirmaret:
„ ſi enim non haberet caro ſal-
„ vari, nequaquam Verbum Dei
„ caro factum eſſet: & ſi non ha-
„ beret ſanguis Juſtorum inquiri,
„ nequaquam *ſanguinem habuiſſet*
„ *Dominus*. Hæc Div. Irenæus.

45 Et ſane hic locus nobis favet ; nam in ipſo expreſſe docet, ſe unice loqui de Chriſto in carne mortali, & ſub munere Redemptoris. Quod conſtat, tum ex expreſsione ipſius literæ, cum dicit: *& ut vita Jeſu manifeſtetur in carne mortali noſtra*: in quo ſenſu ibi explicat textum Apoſtoli: mortale *hoc induere immortalitatem*. Tum ex fine intento ab ipſo Sancto Doct. ; nam ibi, ut dixi, intendit convincere hæreticos negantes reſurrectionem univerſalem carnis, nixos authoritate Apoſtoli dicentis *carnem, & ſanguinem non poſsidere regnum Dei*. Ex quibus conſtat, quod hæc propoſitio Irenæi: *ſi non haberet caro ſalvari, nequaquam Verbum Dei caro factum eſſet*, non debet intelligi in ſenſu abſoluto, & univerſali ; ſed ſolum ſic ; quod nequaquam Verbum Dei factum eſſet caro in actu 2. paſsibilis, quod & nos fatemur.

46 Arguitur 2. ratione: ſi Chriſtus Dominus veniret, Adamo non peccante, vi præſentis decreti, vel veniret paſsibilis, vel impaſsibilis ; ſed non veniret paſsibilis ; quia ſic præciſſe venit ob remedium peccati ; nec veniret impaſsibilis ; quia ſic de facto veniſſet: quod eſt falſum ergo nullo modo veniret vi præſentis decreti. Reſpondeo, quod vi decreti terminati ad ſubſtantiam Chriſti, veniret Chriſtus, Adamo non peccante, paſsibilis, & impaſsibilis remote, & intrinſece ; non vero formaliter, & proxime ; quia tale decretum pro hoc ſigno præciſſe decernit ſubſtantiam Incarnationis abſtrahendo à circunſtantiis extrinſecis, & accidentalibus, de quarum numero eſt paſsibilitas & impaſsibilitas formalis, & proxima.

47 Veniret ergo paſsibilis *remotè*, *& intrinſece* ; quia cum paſsibilitas hæc nil aliud ſit, quam capacitas ad patiendum, quæ habetur ex hoc, quod conſtet corpore compoſito quatuor qualitatibus, vi decreti, quo decreta eſt ſubſtantia Incarnationis huius humanæ naturæ cum ſuis par-

partibus, & proprietatibus connaturalibus, decreta fuit etiam paſsibilitas remota, & intrenſeca, ut proprietas connaturalis talis humanitatis. Veniret etiam impaſsibilis *remotè* vi iſtius decreti terminati ad ſubſtantiam; quia ratione unionis hypoſtaticæ anima Chriſti Domini habet jus, ùt ei conferatur ſumma gloria, etiam corpori refuſſa per communicationem dotis impaſsibilitatis: & ſic vi prędicti decreti conſtitueretur Chriſtus *remotè* paſsibilis, & impaſsibilis. Attamen vi decreti dandi gloriam animæ Chriſti, Chriſtus veniret proxime impaſsibilis, non vi illius *formaliter*, ſed *virtualiter*, & *cauſaliter*; nam tali poſito abſque novo alio, per naturalem ſequelam gloria animæ Chriſti in corpus redundaret, ipſi tribuendo dotem impaſsibilitatis, non ſtante decreto impediente talem redundantiam, uti non ſtaret, Adamo non peccante.

48 Nec ex quo Chriſtus venit de facto proxime paſsibilis, licet inferre, quod primum, & ſecundum decretum fuit mutatum; quia neutrum fuit terminatum formaliter ad impaſsibilitatem proximam; ſed primum ad ſubſtantiam Incarnationis, ſecundum verò ad ſummam gloriam, ut conferendam animę Chriſti: quodquidem eſſet cauſa impaſsibilitatis proximę, exquo naturalis reffuſsio gloriæ animæ in corpus non eſſet impedita poſtea ob peccatum prævisum. Neutrum igitur decretum eſt formaliter de impaſsibilitate proxima, & ſic neutrum eſt incompatibile cum decreto de paſsibilitate proxima pro ſigno poſteriori, & ſupponente prævisionem peccati futuri. Sic nec pariter eſt incompatibile in aqua, eſſe virtualiter frigidam, & formaliter calidam; ſic ſimiliter, nec decretum paſsibilitatis proximæ eſt contrarium primo, aut ſecundo decreto; nec iſta mutantur per illud.

49 Clarius explicatur hoc: ut decretum paſsibilitatis proximæ eſſet contrarium primo decreto *de ſuſtantia Chriſti*, & ſecundo *de conferendo animæ Chriſti ſummam gloriam*, & iſta per illud mutarentur, neceſſum erat, quod iſta eſſent formaliter de impaſsibilitate, aut non paſsibilitate proxima, ut notum eſt: ergo cum primum decretum pręciſſe terminetur formaliter ad ſubſtantiam Chriſti, ſecundum vero ad ſummam gloriam animæ Chriſti conferendam, non decernendo formalem reffuſsionem gloriæ animæ Chriſti in corpus, ſequitur, quod nec primum, nec ſecundum fuit mutatum per decretum de paſsibilitate proxima; nec iſtud eſt illis contrarium. Notate bene hanc

doctrinam, quia ipſa ruunt aliquę inſtantiæ, quas hic faciunt contrarii.

50 Arguitur 3.: Incarnatio non fuit efficaciter intenta, ut prę ſcindens à modo paſſibilitatis proximæ; ſed Incarnatio ſub tali circunſtantia ſupponit prævi ſionem peccati futuri: ergo Incarnatio pro omni ſigno ſupponit prævi ſionem peccati futuri; & conſequenter Adamo non peccante &c. Prob. mai.: omne à Deo efficaciter intentum eo ipſo eſt infallibiliter futurum; ſed Incarnatio ut prę ſcindens à paſſibilitate proxima nunquam fuit infallibiliter futura: ergo Incarnatio non fuit efficaciter &c. Prob. min.: omne futurum tranſijt ad exiſtendum in tempore eo modo, quo fuit decretum futurum; ſed Incarnatio non exiſtit in tempore ut præſcindens à paſſibilitate proxima; ſed potius écontra: ergo &c. Min. cum conſeq. tenet: Mai. conſtat; quia alias per exiſtentiam mutaretur efficax decretum Dei, ſeu res decreta variaretur quoad ſubſtantiam; quorum utrumque eſt abſurdum.

51 Reſpondeo, negando mai.: ad ejus probationem, nego min. Ad probationem huius conceſſa mai., diſtinguo min.; ſed Incarnatio non exiſtit in tempore præſcindens à paſſibilitate proxima, ut decreta fuit per ſecundum decretum de paſſibilitate proxima, conc. min.: ut decreta fuit per primum decretum terminatum ad ſubſtantiam Incarnationis non exiſtit in tempore præſcindens à paſſibilitate proxima, nego min. & conſeq.. Incarnatio igitur, ut dictum eſt, dupliciter conſiderari poteſt, vel ſecundum ſubſtantiam, hoc eſt, prout eſt unio naturę divinę, & humanæ in eadem Perſona Verbi; vel ſecundum modos, & circunſtantias paſſibilitatis, & impaſſibilitatis proximę loci, temporis &c.

52 Primo modo eſt objectum primę intentionis, ſeu decreti primi intentivi, habentis pro fine ſummam communicationem divinę bonitatis ad *extra* ſummo modo poſsibili: & prout ſic fuit efficaciter intenta, ut prę ſcindens à modo paſſibilitatis proximæ; quia hęc eſt natura decretorum, & rerum, ut in primo ſigno quidditas, & eſſentia tantum decernatur, modi vero, & circunſtantiæ in poſterioribus; & hoc maxime, ſi alia motiva decernantur; & ſic extitit de facto vi decreti terminati ad ſubſtantiam Chriſti. Secundo modo eſt objectum 2. intentionis: aut decreti divini intentivi decernentis Chriſtum, ut Redemptorem in actu 2. ſuppoſita prę viſione peccaca-

cati futuri: & ſic Incarnatio ſub hac circunſtantia fuit efficaciter intenta vi ſecundi decreti, & de facto extitit. Hæ enim duæ intentiones ſunt de facto in præſenti decreto adęquatè ſumpto.

53 Arguitur 4.: ſi oſtenſio divinorum attributorum fuit motivum Incarnationis, hæc congruentiùs decreta fuit primo ex prævisione peccati: ergo ſic fuit primo decreta. Prob. antec.: magis exaltat divinam bonitatem, charitatem, & miſericordiam decernere Incarnationem ob remedium peccati. Tum, quia maior charitas eſt diligere inimicos, quam amicos; tum, quia maior charitas eſt facere ſummum bonum, occaſione deſumpta ex ſummo malo, quam illud facere nullo malo ſtante: ergo &c. Reſpondeo negando antec. & diſtinguo antec. probationis: magis exaltat, ac etiam deprimit divinam bonitatem &c. conc. antec.: magis exaltat pręciſé, nego antec., & ejus probationes in ſenſu diſtinctionis. Itaque licet Incarnatio decreta ob remedium peccati exaltet divina attributa in ſtatu lapſus, minuit tamen in ſtatu innocentię; quia hoc ſtatu perſeverante, natura humana vi præſentis decreti non eſſet Incarnatione exaltata juxta contrarios. Unde noſtra opinio eſt magis pia, & magis extollit divina attributa; ſiquidem extollit in utroque ſtatu; contraria vero unice in ſtatu lapſus.

54 Arguitur 5.: ex noſtra ſententia infertur, quod in ſtatu Innocentię eſſent duo capita noſtræ juſtificationis, & glorificationis, ſcilicet, Chriſtus, & Adamus; ſed hoc eſt abſurdum: ergo. Prob. mai.: ſi Adamus non peccaſſet, non ſolum fuiſſet caput noſtrum naturale, ſed etiam morale; cum eſſet cauſa noſtræ juſticiæ originalis; ſicut quia peccavit, fuit cauſa noſtræ ruinæ: ergò ex noſtra ſententia &c. Reſpondeo, negando mai.; quia licet Adamus fuiſſet caput noſtrum naturale, non tamen morale in ordine gratiæ, & glorię; in hoc enim ordine ſolus Chriſtus Dominus eſt fons, & origo totius gratiæ, & Adam fuiſſet membrum ejus; quia gratia, quam habuit in ſtatu innocentiæ, à Chriſto habuit. Unde ad ſummum dici poſſet Adamus caput *ſecundum quid.*, hoc eſt, cum dependentia à capite ſupremo in linea morali, ſcilicet, Chriſto.

55 Arguitur 6.: ſi motivum præcipuum adventus Chriſti non eſſet remedium peccati, melius eſſet, Verbum aſſumere naturam Angelicam, quam humanam; ſed congruentius fuit humanam aſſumere: ergo &c. Min. conſtat ex tract. 1. huius, agendo de convenientia Incarnationis.

Prob.

Prob. mai.: tum, quia compoſitum reſultans ex Verbo, & natura Angelica, perfectius eſſet, quam reſultans ex Verbo, & humanitate. Tum, quia perfectiori naturę perfectius donum debetur: ergo magis debita eſt unio hypoſtatica naturæ Angelicæ, quam humanæ: ergo ſi primarium motivum Adventus Chriſti fuit excellentia intrinſeca Incarnationis, in quantum oſtenſiva divinæ bonitatis, & non hominum redemptio; melius eſſet, Verbum aſſumere naturam angelicam, quam humanam.

56 Reſpondeo, negando mai.; quia ex quo Verbum divinum velit communicare ſuam infinitam bonitatem ad *extra*, congruentius fuit aſſumere naturam humanam, & non Agelicam; nam in aſſumptione angelicæ unice illa ſpecifica, & ſingularis natura aſſumpta exaltaretur; non vero omnis natura angelica, nec omnis creatura; at in aſſumptione naturæ humanæ tota iſta natura in tota ſpecie fuit exaltata, & etiam omnis creatura; cum homo, ſecundum aliquid ſit omnis creatura. Deinde in hac aſſumptione ſe ſe oſtendit Deus abſolutiſsimum Dominum ſuorum donorum, hæc diſtribuens juxta placitum ſuæ voluntatis, & non juxta ordinem, & perfectionem rerum naturalium.

57 Argitur ultimo: juxta communem ſententiam Scotiſtarum cum Doctore in 4. diſtinct. 26. quæſt. 1. Et diſt. 39. quæſt. 1. Adamo non peccante, non eſſent ſacramenta vi præſentis decreti: ergo nec Chriſtus veniret. Prob. conſeq. ratio militans pro adventu Chriſti, Adamo non peccante, militat pro exiſtentia ſacramentorum: ergo &c. Prob. antec.: ratio militans pro adventu Chriſti vi præſentis decreti, Adamo non peccante, eſt oſtenſio divinorum atributorum; ſed hæc etiam reſplendet in inſtitutione ſacramentorum: ergo &c. Confirmatur: ratio cur Chriſtus veniret vi præſentis decreti, Adamo non peccante, eſt; quia decretum efficax abſolutum Incarnationis quoad ſubſtantiam pręceſsit pręviſionem peccati; ſed etiam eam præceſsit decretum de inſtitutione Sacramentorum; cum hęc ad ordinem gratiæ expectent, & peccatum ad ordinem naturæ: & ea, quę ſunt ordinis gratiæ præcedant ea, quæ ſunt ordinis naturæ: ergo &c.

58 Reſpondeo admiſſo antec. negando conſeq., nego antec. probationis, & ad huius probat. diſtinguo min.; ſed etiam oſtenſio divinorum atributorum reſplendet in inſtitutione ſacramentorum, ut *motivum ſecundarium*, & *minus principale*, conc. min.; ut motivum primarium, & principale, nego minor, & con-

conſequentiam. Sacramenta ergo ex ſua primaria inſtitutione inſtituta fuerunt, ut eſſent remedium, & medicina peccati (excepta Euchariſtia in probabiliori noſtra ſententia, quæ adhuc eſſet vi præſentis decreti, etſi ſtatus Innocentiæ perſeveraſſet): & ſic primarium motivum inſtitutionis Sacramentorum fuit remedium peccati, ſicut & adventus Chriſti ut Redemptoris; & ſecundarium oſtenſio divinorum attributorum, econtra evenit in Incarnatione quoad ſubſtantiam, ut probatum eſt. Ad confirmationem nego min., ad cuius probationem dico, quod ea, quæ ſunt ordinis gratiæ præcedunt ea, quæ ſunt ordinis naturæ, ſi ab iſtis non dependeant, & ad ea relationem non dicant; ſecus vero ècontra, ut patet in Chriſti Domini Paſſione, quæ licet ſit ordinis gratiæ, ptę ſupponit prævisionem peccati ob rationem datam.

59 Ex dictis in tota hac quæſt., colliges 1., quod vi decreti terminati ad ſubſtantiam Incarnationis præciſe, Chriſtus Dominus non fuit decretus, ut Redemptor, in actu 2., nam hoc ſupponit in Chriſto proximam paſsibilitatem per mortem, & crucem, qualiter de facto nos redemit; ſed hæc paſsibilitas proxima Chriſti ſupponit præceptum, aut conſilium Patris erga mortem ſubeundam: ergo & decretum Chriſti ut Redemptoris in actu 2. jam ſupponit Chriſti Domini abſolutam futuritionem; cui præceptum, aut conſilium detur. Confirmatur: Chriſtus ut Redemptor in actu 2. eſt Medicus, & medicina peccati Adæ; ſed Medicus, & Medicina ſupponit morbum, & infirmitatem medicabilem; ſicut pœnitentia, ut remiſsiva, ſupponit prævisionem peccati: & efficax excluſsio à gloria prævisionem peccati originalis; ac demum pœna ſupponit culpam: ergo Chriſtus ut redemptor &c.

60 Colliges 2., quod vi decreti terminati ad ſubſtantiam Chriſti, Chriſtus veniret, Adamo non peccante, paſsibilis tantum remote, & intrinſece. Ratio eſt; quia hęc paſsibilitas nil aliud eſt quàm capacitas ad patiendum, quamque haberet Chriſtus Dominus, ex eo, quod conſtaret corpore compoſitio quatuor qualitatibus. Sic vi decreti, quo decreta fuit exiſtentia Adami, ſolum fuit decreta ejus paſsibilitas remote, & non proxime; quia ſi ſtatus innocentiæ perſeveraſſet, nec eſſet mortalis, nec paſsibilis proxime paſsibilitate inducta per peccatum. Colliges 3., quod vi prædicti decreti Chriſtus veniret impaſsibilis tantum remote, quatenus ratio unionis hypoſtaticæ, anima Chriſti habet jus, ut ei con-

conferatur ſumma gloria, etiam corpori refuſſa per communicationem dotis impaſsibilitatis.

61 Colliges 4., & ultimo, quod, Adamo non peccante, Chriſtus veniret formaliter impaſsibilis, & immortalis; non vi decreti terminati ad ſubſtantiam Chriſti, ut conſtat ex immediatè dictis: ſed vi alterius decreti ſubſecuti ad iſtud; ſcilicet vi decreti conferendi ſummam gloriam animę Chriſti: & hoc non formaliter, ſed virtualiter, aut cauſaliter, hoc eſt, non quia per tale decretum de communicando ſummam gloriam animę Chriſti, ſit formaliter determinata impaſsibilitas formalis, & proxima; ſed quia poſito tali decreto abſque novo alio per naturalem ſequelam gloria animæ Chriſti redundaret in corpus, tribuendo ipſi dotem impaſsibilitatis. Prima pars huius conſtat; quia ideò de facto venit proxime paſsibilis; quia peccato prævisò, voluit Deus ab illo nos redimere per mortem Chriſti: & ſic decrevit, quod gloria animæ ipſius in anima contineretur, & non redundaret in corpus: ergo tali peccato non exiſtente, redundantia gloriæ in corpus non eſſet impedita, & conſequenter vi illius decreti veniret Chriſtus proxime immortalis, & impaſsibilis.

62 Secunda pars, ſcilicet, quod vi huius decreti tantum virtualiter, & cauſaliter Chriſtus ſic veniret, patet; quia per tale decretum ſolum fuit decreta gloria animæ Chriſti, non vero refuſsio, aut non refuſsio ejus in corpus, ſed tantum permiſsive; quia ad hoc ſignum non expectabat; ſed poſitiva refuſsio gloriæ in corpus naturaliter ſtaret pro ſigno ipſi correſpondenti abſque novo decreto circa illam, non ſtante decreto hoc impediente, quale non eſſet, ſi non eſſet prævisum peccatum: ergo decretum communicandi ſummam gloriam animæ Chriſti eſſet cauſa impeccabilitatis proximæ: & hoc ſolum virtualiter, & cauſaliter. Qui plura alia deſideraverit, legat noſtrum Maſtrium hic diſp. 4. quęſt. 2. per totam.

QUÆST. II.

QUIBUS DEFICIENTIBUS peccatis, Chriſtus non veniret, ut Redemptor, vi præſentis decreti?

1 Sub dúplici ſenſu præſens difficultas exagitari ſolet. Primò: an deficiente peccato originali, & ſi actualia exiſterent, Chriſtus Dominus veniret vi præſentis decreti in carne proximè paſsibili, & ut Redemptor ſublevativus? Secundo: an deficientibus actualibus peccatis letha-

lethalibus, ſolo originali peccato exiſtente, Chriſtus veniret, ut Redemptor, vi præſentis decreti? Difficultatem ſub utraque conſideratione reſolvam breviter. Sed prius.

2 Noto 1., qnod Chriſtus de facto venit ad nos redimendos ab omni peccato tam actuali, quam originali, licet principalius ob redemptionem originalis. Prima pars conſtat ex illo Joann.: *ſanguis ejus emundat nos ab omni peccato.* Et ultra, quia ſatiſfactio Chriſti fuit ſuperabundans ab intrinſeco: ergo ad omnia ſe extendit peccata. Secunda pars patet ex illo Div. Pauli ad Roman. 5. dicente quod Chriſtus conſtitutus eſt Caput ad traſfuſionem remiſsionis, & gratiæ, veluti ſecundus Adamus. Deinde ex illo Eccleſiæ: *O felix culpa, quæ talem meruit Redemptorem!*

3 Noto 2., dubium procedere de actualibus lethalibus; quia ſi ſolúm eſſent actualia levia, certum eſt Chriſtum non venturum, ut Redemptorem per Crucem, & mortem; quia venialia non conſtituunt hominem inimicum Dei, nec abſolute excludunt à Regno Cœlorum, nec tantam exigunt ſatisfactionem, qualem per crucem, & mortem dedit Chriſtus. Noto 3., dubium admittere, quod ſtatu innocentiæ, perſeverante, poſteri Adami potuiſſent peccare lethaliter, ut probabiliter tenent aliqui Scotiſtæ, quia Doct. in 2. diſt. 20. quæſt. 1. ait, quod Filii Adæ in illo ſtatu non naſcerentur confirmati in gratia. Sed quidquid ſit de hoc, ut detur locus præſenti difficultati, debet pro nunc admitti. Quibus ſuppoſitis. Sit

PRIMA CONCLUSIO.

4 Chriſtus Dominus vi præſentis decreti non veniret in carne proxime paſsibili propter peccata actualia, defficiente originali. Eſt contra aliquos Modernos Jeſuitas. Prob. 1.: omnibus illis authoritatibus, quibus Thomiſtæ probant, Chriſtum Dominum non venturum, Adamo non peccante, vi præſentis decreti; nam licet juxta nos non negent abſolutè Incarnationem quoad ſubſtantiam, negant tamen Incarnationem ſub modo paſsibilitatis, & Redemptoris ſublevative. Probatur vero ratione: principale motivum adventus Chriſti, ut Redemptoris, & in carne paſsibili fuit peccatum originale, ut ex Scriptura, & PP. aperte colligitur; ſed deficiente principali motivo alicuius decreti, deficit decretum: ergo &c. Confirmatur: juxta SS. PP. congruentius fuit, aſſumere naturam huma-

nam, quàm Angelicam; quia per peccatum originale tota natura humana fuit infecta, non ſic tota natura Angelica per peccatum Angelorum; ſed deficiente originali, hoc motivum deficeret: ergo &c.

5 Dices 1.: Chriſtus de facto venit ut Redemptor peccati Hevæ; ſed peccatum Hevæ fuit perſonale, prius, & independens ab originali, ut eſt indubitatum: ergo ſi fuiſſent peccata perſonalia, & non originale, Chriſtus veniret, ut Redemptor, vi præſentis decreti. Reſpondeo peccati, diſtinguendo mai.: Chriſtus de facto venit, ut Redemptor peccati Hevę vi decreti, poſt præviſum originale peccatum reſpicientis per ſe primo remedium huius in Adamo, & poſterius, & ſecundario remedium peccati perſonalis Hevæ, conc. mai.: in remedium peccati perſonalis Hevæ per ſe primo reſpicientis ipſum, ut finem ſui adventus, nego mai.: itaque licet peccatum Hevæ fuerit prævium ante prævisionem peccati originalis, ad diſtinctionem peccatorum perſonalium; ejus tamen remedium non fuit finis primarius, ſed ſecundarius illius decreti.

6 Dices 2.: aliqua peccata perſonalia ſunt graviora, quàm fuit originale: ergo ſi, exiſtente originali, venirei Chriſtus, ut Redemptor, deficientibus perſonalibus, potiori jure veniret, deficiente originali, exiſtentibus perſonalibus. Confirmatur: ſi omnes homines fuiſſent lapſi in peccata perſonalia, excepto Adamo, in prædicto caſu, tota rueret humana natura in omnibus hominibus, excepto Adamo: ergo tunc caſus Chriſtus veniret, ut Redemptor. Reſpondeo, diſtinguendo mai.: aliqua peccata perſonalia ſunt graviora, quam originale *intenſivè*, conc. antec.: *extenſivè*, nego antec.: ſolutio conſtat ex dictis, agendo de peccato Adami. Ad confirmationem diſtinguo conſequens: ergo Chriſtus veniret vi alterius decreti, omitto conſeq.: vi præſentis decreti, nego conſeq.. Itaque argumenta RR. ſolum probant, quod deficiente originali, & actualibus exiſtentibus, Chriſtus Dominus venitet vi alterius decreti, ut Redemptor, non vero vi præſentis decreti. Sed hoc certe, niſi divinando, dici non poteſt; & quando dicatur, non eſt contra noſtram concluſionem.

SECUNDA CONCLUSIO.

7 Solo originali peccato exiſtente, etſi deficerent actualia mortalia, Chriſtus veniret, ut Redemptor vi præſentis decreti. Proba-

batur 1. ex Apoſtol. ad Roman. 5. dicente: *ſi enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam* gratiæ, & do„nationis, & juſtitiæ accipien„tes, in vitam regnabunt per „unum Jeſum Chriſtum:: ſicut „enim per inobedientiam unius „hominis peccatores conſtituti „ſunt multi: ita & per unius „*obeditionem juſti conſtituentur multi.* In quibus verbis peccatum originale ponitur principale motivum adventus Chriſti, ut Redemptoris. Nunc ſic; ſed ſtante motivo principali, & præcipuo alicuius decreti, manet & decretum: ergo ſtante peccato originali &c.

8 Probatur 2. concluſio ratione: decretum de Chriſto, ut Redemptore, fuit pro priori ad prævisionem peccatorum perſonalium poſterorum Adæ. Et ſolum fuit factum dependenter ab originali prævisо: ergo iſto ſolo exiſtente &c. Probatur antec.: præſens decretum de Chriſto, ut Redemptore, factum fuit poſt prævisam ruinam totius generis humani ad illam reparandam, offerendo omnibus, & ſingulis, media, & auxilia gratiæ per Chriſtum Redemptorem, ne peccatis perſonalibus in illa relaberentur; ſed hoc ipſo factum fuit tale decretum de Chriſto, ut Redemptore pro priori ad prævisionem peccatorum perſonalium poſteriorum Adæ; alias ſi in illo ſigno eſſent prævisa peccata perſonalia, fuſtra provideretur de auxilijs ad ea vitanda: ergo, quia tale decretum de Chriſto Redemptore &c.

9 Dices 1.: Chriſtus eſt decretus Redemptor peccati originalis per paſsionem, & mortem ſuam; ergo per Mortem, quam de facto tulit: ergo per mortem culpabiliter illatam à crucifigentibus: ergo per mortem illatam cum peccato actuali poſterorum Adæ: ergo eſt abſolute falſum, quod nullo peccato actuali poſterorum exiſtente, Chriſtus veniret, ut Redemptor vi præſentis decreti. Reſpondeo conceſſo antec., negando conſequentias inde illatas; quia mors Chriſti, in præſenti providentia decreta, potuit accidere ſine interventione ullius peccati actualis: vel ex amore Dei, ut fuit mors Beatiſsimæ Virginis, vel ex libera immolatione vitæ: vel per omnino liberam emiſsionem ſpiritus: vel tandem ex ignorantia invincibili crucifigentium, judicantium ſe præſtare magnum obſequium Deo.

10 Dices 2.: finis adæquatus adventus Chriſti, ut Redemptoris, fuit remedium non ſolum originalis peccati, ſed, & perſonalium poſterorum Adæ; ſed deficiente adæquato motivo, de-

ficit & decretum: ergo exiſtente ſolo originali, & deficientibus, perſonalibus, non veniret Chriſtus, ut Redemptor vi præſentis decreti, Prob. mai. 1. ex Apoſt. ad Titum. cap. 2. dicente: *dedit: ſemetipſum pro nobis, ut redimeret nos ab iniquitate.* Prob. 2. ratione: finis adventus Chriſti, ut Redemptoris, fuit perfecta hominis redemptio; ſed hæc non eſſet redemptio, ſi ſolum nos ab originali mundaret, & á Captivitate contracta ob originale redimeret: ergo &c. *Reſpondeo* diſtinguendo mai.: finis adæquatus, ut conflatus ex principali; & minus principali, ſeu ex primario & ſecundario, fuit &c., conc. mai.: finis adęquatus ſumptus pro fine principali, &c. nego mai.: in verſis terminis diſtinguo min.: & nego conſeq.

11 Apoſtolus ergo, ſicut & ratio probativa maioris comprehendit finem primarium, & ſecundarium adventus Chriſti, ut Redemptoris. Unde verum eſt, quod ſi exiſtentibus peccatis perſonalibus, Chriſtus ſolum nos redimeret ab originali, non foret perfecta redemptio; foret tamen, ſi non exiſtentibus peccatis perſonalibus, ſed tantum originali, ab illo nos redimeret: & hic eſt caſus concluſionis: Unde & ſi redemptio illa non eſſet tunc reparativa reſpectu peccatorum perſonalium, eſſet reparativa originalis, & præſervativa à perſonalibus. Quare in illa hypoteſi veniret Chriſtus, ut perfectiſsimus Redemptor: reſpectu originalis, ut Redemptor reparativus: reſpectu perſonalium, ut Redemptor præſervativus; ſicut fuit de facto reſpectu ſuæ Santiſsimæ Matris ab originali labe.

QUÆST. III. ULTIMA.

PROPONITUR SERIES DIVInorum decretorum erga Incarnationem ad mentem noſtri Doctoris.

1 EX ſtabiliendis in hac quæſtione pendet intelligentia primę quæſtionis. Sed videamus primó, quomodo Thomiſtę ordinem divinorum decretorum explicent. Communiter enim omnia Dei decreta ad tria ſigna reducunt, hoc modo: In primo ſigno ponunt ordinem naturæ: in ſecundo ordinem gratię: & in tertio demum ordinem vnionis hypoſtaticæ. Ex hoc inferunt cum Div. Thom. 3. part. queſt. 1. art. 3., quod primum decretum efficax Incarnationis fuit abſolute poſt prævisum peccatum. Ratio apud ipſos eſt; quia peccatum non poteſt pertinere ad ordinem gratię, & unionis hypoſta-

tatiçę, ſed ſolum reduci valet ad ordinem naturæ: ergo peccatum fuit prçviſum antecedenter ad Incarnationem; cum ſignum peccati præcedat ſignum ordinis gratiæ; & unionis hypoſtaticę. Sic Thomiſtæ.

2 Verum hęc ſeries decretorum nobis non placet, & ſic rejicitur; implicat prævideri peccatum abſolute futurum, quin prçceſſerit prævisio ordinis gratiæ: ergo peccatum non fuit abſolute prævisum antecedenter ad ſignum ordinis gratiæ. Prob. antec. implicat. quod prævideatur peccatum Adami, quin prçvideatur in Adamo poteſtas proxima ad peccandum, vel non peccandum imputabiliter; ſed poteſtas hæc pertinet ad ordinem gratiæ: ergo. Mai. eſt certa; probatur min.: poteſtas proxima ad peccandum, vel non peccandum imputabiliter includit auxilium ſufficiens; cum juxta Catholicos, auxilium ſufficiens à Deo concedatur, ut voluntas creata habeat completam poteſtatem ad operandum in linea ſupernaturali: ergo.

3 Confirmatur, & prçcavetur reſponſio contrariorum: auxilium ſufficiens collatum Adamo ad evitandum peccatum fuit ordinis ſupernaturalis: ergo expectans ad ordinem gratię. Prob. antec.: præceptum, quod fuit impoſitum Adamo de non comedendo de arbore vetita fuit ſupernaturale: ergo & auxilium ad ipſum obſervandum. Antec. patet; nam ex tali ordinatione ordinabatur Adamus ad gloriam, & alia dona ſupernaturalia: conſequentia etiam patet; quia per auxilium mere naturale nullatenus conſtituitur poteſtas, & virtus ad opus ſupernaturale: ergo implicat abſolute peccatum prævideri antecedenter ad ordinem gratiæ, & conſequenter ſeries decretorum poſita à Thomiſtis non tenet.

4 Nos igitur, cum N. Subt. Doct. in 3. diſtinct. 19. quæſt. unic., ſic breviter talem ordinem proponemus. Subt. ergo Doct. cit. quærit; utrum Chriſtus omnibus nobis meruerit gratiam, & gloriam, ac etiam remiſsionem culpæ; & quomodo meruerit quantum ad efficaciam? Et ut hoc reſolvat, hanc decretorum ſeriem proponit per quinque ſigna. *Primo* Deus intellexit „ ſe ſub ratione ſummi boni: in „ ſecundo ſigno intellexit omnes „ creaturas. In tertio prædeſtinavit hos ad gloriam (& primum omnium Chriſtum) & ad „ gratiam, & circa alios habuit „ actum negativum, non prædeſtinando. In quarto, prævidit „ illos caſuros in Adam; in quinto præordinavit, ſivé *prævi*

dit de remedio &c. Hæc Subt. Doct.

5 Ex quibus liquido conſtat, ſubtilem Doctorem hic non explicaſſe ſeriem decretorum Dei in operando ad *extra* totam, & completam; ſed ſolum ut expectantem ad explicandum merita quoad efficaciam Paſsionis, & mortis Chriſti Domini, quod erat præcipuum ejus intentum, ut patet ex litera. Ex quo ſequitur, quod Scotiſtæ, ut omnia hæc ſigna explicent, in alia varia ſubdividunt, quæ quidem ſubdiviſiones, ut verum fatear, maiorem confuſionem, quam explicationem afferunt. Nec una, eademque explicatio ab omnibus Scotiſtis afferri valet; cum ipſi inter ſe ſint diviſi erga ſigna prędeſtinationis, & modum, quo iſta fiat, an, ſcilicet, ante, vel poſt pręviſa merita. Nos ergo conformiter ad ea, quæ in tom. 2. theologico huius almæ provinciæ, tract. 5. diſp. 2. quæſt. 4. ſect. 4. à num. 141. docentur, ſic eum explicabimus.

6 In primo ergo ſigno Deus ſe ipſum intellexit ſub ratione ſummi boni; & pro poſteriori ſe amavit perfectiſsime; in quoquè completus eſt o do ad *intra*; quia juxta Doct. cit. ſuus actus eſt perfectus, & ejus voluntas beata. In ſecundo ſigno cognovit ſcientia ſimplicis intelligentiæ omnes creaturas poſsibiles, inter quas eadem ſcientia vidit unionem hypoſtaticam eſſe maximum ſuæ omnipotentiæ opus, in quo ſumma divina bonitas elucebat. In tertio ſigno ex fine, & intentione ſe ſummè communicandi ſummo modo poſsibili ad *extra*, primo, & ante omnes creaturas decrevit decreto efficaci abſoluto Chriſtum Dominum; quia inter omnia creata, & credibilia medium utilius, & unicum & in ordine ad finem primo à ſe intentum: & ſic vi huius decreti Chriſtus fuit futurus quoad ſubſtantiam, ita abſo u us ab omni reſpectu ad creaturas, quod vi illius exiſteret caſu, quo Deus nolet illas producere. Etiam in hoc ſigno decrevit dari humanitati Chriſti ſummam gratiam, & ſummam gloriam.

7 Deinde etiam in hoc tertio ſigno volens Deus finem à ſe primo intentum, hoc eſt, ſe ſumme communicare ad *extra* ſummo modo, & omni modo poſsibili, reſpexit creaturas poſt hæc tria decreta erga ipſummet Chriſtum, motus ipſemet Deus ex operibus Chriſti jam quoad ſubſtantiam prævisis. Et primo elegit media illa, quibus ſumma communicatio intenta conſequeretur in una pura creatura in eo ſummo gradu, quo maior intra capacitatem puræ creaturæ exco-

gi-

gitari non posset. Quare primum decretum post decreta unionis hypostaticæ, summæ gratiæ, & gloriæ Christi Domini, fuit decretum electivum Immacul. Virginis in Matrem Dei: secundum fui ipsi decernere summam gloriam, summam gratiam, justiciam originalem, & alia dona superna, quibus ejus opera simul valorata dig. nitate Matris Dei fuissent Deo absequiosa, ita summe, ut in pura creatura non possent excogitari opera magis Deo obsequiosa, quàm ista. Hæc autem omnia fuerunt ex operibus Christi Domini obsequiosijs, & meritorijs prævisis pro priori signo ad signum erga Christum respicientem creaturas.

8 Postea in eodem 3. signo decrevit Deus, Christum ut finem, exemplar, ac caput omnium hominum, & Angelorum: & in simul motus ex operibus Christi Domini decrevit, Beatam Virginem Mariam esse etiam finem, exemplar, & caput omnium prædestinatorum, non primarium, sed secundarium, & secundum quid, dependenter à meritis Christi. Et sic ex amore Christi, & propter ipsum Christum, ut finem primarium, & ex amore Virginis, & propter ipsam, ut finem secundarium, elegit omnes prædestinatos ex Angelis, & hominibus, voluitque illis existentiam ob finem gloriæ, & gratiam, qua possent mereri gloriam ipsis præintentam ex meritis Christi sui capitis, & similiter ex meritis Virginis.

9 Sed hic maxime notandum est conformiter ad dicta in cursu Theologico huius almę provinciæ loc. cit. numero 5., quod supposita scientia simplicis intelligentiæ in secundo signo, qua Deus novit omnes causas tam naturales, quàm liberas, quas proponit suæ voluntati cum omnibus effectibus liberis, & possibilibus in omni statu, & circunstantia, in quibus reperiri possunt; omnesque eos effectus liberos, tam conditionatos, quàm absolutos, sub omni sua liberate, & possibilitate representat suę voluntati; his ergo suppositis, decrevit voluntas divina per decretum subjective absolutum, & objective conditionatum concurrere cum causis liberis ad omnia illa, ad quæ pro sua plena libertate poterant se ipsas determinare, simulque ipsis conferre pro hoc signo, vel pro alio posteriori auxilia, & reliqua comprincipia necessaria ad meritoriè operandum. Et prævidens Deus aliquos bene usuros suis auxilijs, & finaliter perseveraturos, ipsos efficaciter elegit ad gloriam ex propijs meritis, fundatis in meritis Christi, & ejus purissimæ Matris, qui, ex dictis, jam eran-

deſtinati caput omnium ſalvandorum modo dicto.

10 Denique in hoc eodem ſigno prævisa fuit ruina Angelorum; & pro ipſa reparanda, primo voluit Deus ordinare prædeſtinatos pro ipſius reparatione. Secundo voluit creare Protoparentes noſtros in ſtatu innocentiæ cum omnibus perfectionibus ſtatus. Tertiò illos conſtituit caput naturale omnium hominum, Chriſto excepto, qui non erat Filius naturalius ipſorum. Quarto, voluit, eos eſſe caput morale omnium ſuorum poſterorum, excepta Chriſti Domini Matre. *Omnium poſterorum* dixi; quia non ſolum hominum, qui jam decreti erant, ſcilicet, prædeſtinatorum, ſed etiam quorumcumque aliorum, quos Deus voluiſſet decernere ex poſsibilibus ab ipſo diſtincte cognitis, prout ipſi placuiſſet. Quinto voluit, ſtatuere pactum cum Adamo, & includere in voluntate ipſius voluntates omnium poſterorum, tam quoad proficua, ſi pactum obſervaret; quàm quoad nociva, ſi illud tranſgrederetur.

11 Pactum ergo ſic explicari ſolet: ſi hanc legem, quam tibi do, de non comedendo de arbore ſcientiæ boni, & mali, ſervaveris; omnes, qui ex te ortum duxerint per communem propagationem, gratiam, & juſtitiam originalem accipient; at ſi illam violaveris, omnes ex te deſcendentes inficientur. Hic ex dictis excipitur Deipara; quæ ex meritis Filij ſui prætervata fuit ab huiuſmodi pacto. Erant vero incluſi non ſolum illi, quorum Exiſtentia jam intelligebatur decreta; uti erant prædeſtinati juxta mentem N. Doct., qui in 2. diſt. 20. quæſt. 2. tenet, quod ſi ſtatus innocentiæ permanſiſſent, tunc ſoli electi naſcerentur; ſed etiam omnes illi, qui ex poſsibilibus erant decernendi ut futuri, & ſub conditione, quod ab Adamo deſcenderent. Hæc omnia decreta fuerunt in 3. ſigno.

12 In quarto vero ſigno prævidit lapſum Adami, ſuoſque poſteros caſſuros in ipſo; quare hoc ſignum correſpondet naturæ humanæ lapſæ per culpam Adami. Quare in ipſo primò voluit permiſsionem peccati Adami, ut abundantius oſtenderet divitias ſuæ miſericordiæ, tam in ipſum Adamum, quam in omnes alios prædeſtinatos; quod ſatis colligitur, ex Paulo ad Roman. 9. ubi ait: *Deus ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloria.* Et Div. Auguſt. in Enchiridio cap. 11. dixit: *nam Deus adeo eſt bonus, ut non ſineret mala fieri, niſi eſſet non om-*

omnipotens, ut ex malis ſciret multa maiora bona elicere.

13 Secundo voluit Deus in hoc eodem quarto ſigno, in quo prævidit peccatum Adę, & totam naturam humanam lapſam, & ob fomitem culpę libidinis ardore incenſam, voluit, inquam, ut propagaretur maior numerus hominum præter numerum prędeſtinatorum jam decretus in 3. ſigno, & voluit, tales homines eſſe ex deſcendentia ab Adamo; ita ut eſſent veri poſteri ejus per communem propagationem deſcendentes; conſequenterque prævidit, eos naſcituros labe originali infectos; quia ſub conditione Exiſtentiæ illorum ex Adamo incluſi erant in pacto cum ipſo inito, & ſic abſolute prævidebantur in ipſo peccaviſſe; cum ipſe prędevidebatur peccare. At quia Deus, quantum ex ſe erat, nollebat eos relinquere in maſſa perditionis, quaſi reiteravit voluntatem generalem ſalvandi omnes, ſi pro ipſis non ſtaret: & voluit omnes homines, quos denuo decreverat, exiſtere ob finem ſuæ ſalutis ęternę, ſi ad ipſam conſequendam non ponerent impedimentum. Et in hoc finitur quartum ſignum ſcoti; correſpondens naturę humanæ lapſæ.

14 Quintum ergo ſignum attinet ad ſtatum naturæ reparatæ. Deus ergo intendens ſummam communicationem ſuę infinitę bonitatis, ſuorumque attributorum in linea reparativa, lapſus peccati; primò voluit in hoc ſigno ſuum Unigenitum Filium incarnatum redimere, & reparare naturam humanam lapſam; ad hunc finem conſequendum, ipſum conſtituit Redemptorem, & Fidei juſſorem omnium hominum, voluitque reparandam naturam humanam, reſtaurandamque fore ruinam naturæ Angelicę per prędeſtinatos ab ipſo redimendos. Unde decrevit impedire reſultantiam glorię animę in corpus, & quod Redemptor generis humani ſublevativus veniret in carne paſsibili; talis redemptio conſequeretur per Paſsionem, & mortem Crucis. Unde decretum impediendi reſultantiam, gloriæ animæ Chriſti in ejus corpus fuit regulatum ſcientia viſionis peccati originalis transfundendi in totum genus humanum.

15 Decreta ergo impeditione huius refuſsionis in adventu ejus in carne proxime paſsibili, prævisisque meritis ipſius, ut Redemptoris, paſsionis, ſcilicet, & mortis crucis; primò voluit erga Virginem Matrem eam denuo præſervare, necdum á culpa originali, ſed etiam à debito tam proximo, quàm r-

moto ſubjectivo illius. Quare decrevit, ipſam progigni ex Parentibus Joachin, & Ana, originali labe infectis; ſed non per progationem communem, quantùm ad concubitum libidinoſum; ſed per ſpecialem, & miraculoſam; quia pro tunc Parentes Deiparæ carebant tali libidine. Unde, ut diximus, particula illa pacti initi cum Adamo: per *communem propagationem*, non poterat verificari reſpectu Deiparę.

16 Hinc ex conſequenti decrevit etiam Deus, Deiparam habituram fore in primo ſuo conceptionis inſtanti ſummam gratiam habitualem, ſummam juſtitiam originalem, ſummam charitatem, & fruitionem gloriæ cum perfectiſsimo uſu rationis. Tandèm, quia deccebat Deum ſuam Matrem honorificare, quantum ipſi poſsibile erat per conformitatem ad ſuum Filium; voluit Deus, quod exuberantia perfectionis ipſius Filij haberet munus corredemptricis, reſtauratricis, & reparatricis cum ipſo; eſſetque caput ſecundarium, & ſecundum quid membrorum Eccleſiæ, dependenter à meritis Filii ſui, primarii capitis, ad hoc ut merita Deiparæ cum meritis Filii ſui moverent complacentiam divinam. Quare ex meritis Paſſionis, & Mortis Filii ſui habuit Deipara, quod merita ejus compaſſionis, & oblationis, quantum ad jus ſuum maternum attinebat, eſſent Corredemptricis, ut non obſcuré colligitur ex variis SS. PP. videndis in N. Carolo del Moral, in ſuo fonſillimis.

17 Hic ergo completa ſunt Quinque ſigna N. Subt. Doct., prout comprehendunt ordinem unionis hypoſtaticæ, gloriæ, & gratię; ac etiam prout concernunt ſtatum innocentiæ naturæ humanæ; ipſius naturę lapſæ in peccatum; & tandèm ipſius reparationis. Quare, ſolum reſtat explanare ſextum, & ultimum ſignum, quod ibi non memorat Scotus, & eſt, quod reſpondet naturæ humanæ, ut punitæ per poſsitivam reprobationem. In hoc ergo ſigno ſexto, Deus prævisis demeritis, & malo uſu auxiliorum, quæ ex meritis Chriſti collata fuerunt reprobis, eos in oſtenſione ſuæ divinę juſtitiæ excluſsit poſitivè à gloria æterna, & ęternis cruciatibus punire decrevit. Et hæc de ſerie decretorum ad Incarnationem expectantium.

PROPONUNTUR ALIQUÆ difficultates contra ſeriem decretorum.

18 Non me latet; quod graves, & urgentiſsimę difficulta-

tates oniri poſſunt ex explicatione horum decretorum. Principaliores propoſitæ ſunt diſp. 1. huius tertii tractatus quęſt. 5. ſect. 1., ubi diximus, quod Chriſtus Dominus in ordine intentivo meruit Angelis, & hominibus prædeſtinationem ad gloriam. Vide num. 14. argument. 13. & ſect. 2. ubi docuimus, quod Chriſtus Dominus meruit Angelis, ac primis Parentibus in ſtatu innocentiæ primam gratiam, & gloriam eſſentialem; vide à num. 25. argument. 3., 4., & 5.. Tandém ſect. 3. explicavimus modum, quomodò Chriſtus Dominus meruerit Immac. Virgini præſervationem ab originali culpa, quibuſque meritis. Omnia ergo, quę in his tribus ſectionibus propoſita ſunt, hic iterum relegenda ſunt; ne in eadem doctrina tradenda iterum tempus inſumamus. Nunc vero breviter aliqua contrà dicta in ſerie decretorum ſuo ordine objicimus.

19 Dices 1.: ſub num. 8. dicitur, quod in ſigno 3. elegit Deus omnes prædeſtinatos ex Angelis, & hominibus, & illis voluit exiſtentiam; non vero reprobis; ſed hæc doctrina non cohæret cum doctrina Noſtri Doctoris in 1. diſt. 41. §. *poteſt aliter dici*: ergo non eſt ſuſtinenda. Prob. min.: Subt. Doct. cit. ſic ait: *Petrus, & Judas æquales* in naturalibus, & ęqua-„liter voliti à Deo in eſſe exiſ-„tentię offeruntur voluntati di-„vinę: & Deus vult Petro bea-„titudinem, & circa Judam ha-„buit actum negativum; nec po-„ſitive illum ordinando ad glo-„riam, *nec ad pœnam*: ergo in eodemmet ſigno fuerunt decreti Petrus, & Judas prædeſtinati, & reprobi; & conſequenter falſum eſt, quod quando elegit omnes prędeſtinatos ex Angelis, & hominibus, ipſiſque voluit exiſtentiam, iſtam non voluerit reprobis.

20 Reſpondeo 1., quod Subtilis Doct. hic non loquitur reſolutorie, & abſolute, ſed ſolum opinativé, & probabiliter, ut patet ex illis verbis: *poteſt aliter dici*. Reſpondeo 2., Subt. Doct. in allegatis verbis non dicere, Petrum, & Judam fuiſſe in eodem ſigno decretos ad exiſtentiam; neque oblatos fuiſſe in eodem ſigno in exiſtentia divinæ voluntatis; ſed ſolum aſſerit, ambos in exiſtentia oblatos fuiſſe, & quantum ad exiſtentiam, ſeu in eſſe naturali ęquales; unuſquis autem fuit oblatus in exiſtentia in ſigno diſtincto, & ſigno proportionato. Petrus, nempè, & omnes prędeſtinati pro priori ad prævisionem peccati Adę. Judas vero, & reprobi poſt prævisionem peccati r

Parentis. Nota hic obiter, quod hic Subt. Doct. ſtat pro ſententia aſſe ente, prædeſtinationem electorum ad gloriam, eſſe ante prę-viſa merita; quamvis contrariam (quam & nos ſequimur cum curſu cit. huius Almæ Provinciæ) ut probabilem ſatis judicet in fine huius quæſtionis, ut videri eſt apud ipſum.

21 Dices 2.: ſub num. 9. huius quæſtionis diximus, quod in hoc eodem 3. ſigno prævidens Deus aliquos bene uſuros ſuis auxiliis, & finaliter perſeveraturos, ipſos efficaciter elegit ad gloriam ex propriis meritis fundatis in meritis Chriſti, ejuſque puriſsimæ Matris; ſed hęc doctrina ſuſtineri non valet: ergo nec explicatio huius 3. ſigni. Prob. min.: prædeſtinatio hominum ſecundum omnem modum quo de facto decreta eſt, non prius fuit facta, aut abſoluta, quàm prævideréntur merita mortis, & Paſsionis Chriſti; ſed merita Paſsionis, & mortis Chriſti non fuerunt prævisa in hoc 3. ſigno ſed in 5. poſt prævisionem peccati Adami: ergo &c. Reſpondeo negando min.: ad probat diſtinguo mai.: prędeſtinatio hominum ſecundum omnem modum, tam *intrinſecum*, quàm *extrinſecum*, & *pure ſuperaditum*, ſeu omnino *accidentalem* tali prædeſtinationi, non prius fuit abſoluta, [illegible] prævideréntur merita mortis, & Paſsionis Chriſti, conc. mai.: prædeſtinatio ſecundum omnem modum *intrinſecum*, & *eſſentialem* non prius fuit abſoluta, quam prævideréntur &c., nego mai.; & conceſſa min. diſtinguo ſimiliter conſequens.

22 Itaque prædeſtinatio hominum ad gloriam dupliciter poteſt conſiderari. Primo quoad ſe, & ſecundum omnem modum ſibi intrinſecum, & eſſentialem: & in hoc ſenſu facta fuit prædeſtinatio ſimpliciter, & abſolute, ante abſolutam pręviſionem, ſeu futuritionem peccati. Nota, *ante prævisionem, & futuritionem abſolutam peccati*; quia non eſt inconveniens in hoc, quod pro primo ſigno prædeſtinationis ad gloriam peccatum prævideatur objective conditionatè futurum in virtute libertatis Adami ad tranſgrediendum, vel non præceptum poſtea ſibi imponendum. Secundo poteſt conſiderari prædeſtinatio puræ ſecundum aliquam circunſtantiam dependentem à peccato; & conſequenter à meritis Paſsionis, & Mortis Chriſti Domini: & in hoc ſenſu ſupponit peccatum; quo tamen non exiſtente, adhuc ſubſiſteret prædeſtinatio eo modo, quo de facto ſubſiſtit, quoad omne ſibi intrinſecum, & eſſentiale.

23 Replicabis: ſi ſolutio teneret, ſequeretur, quod opera bona prædeſtinatorum non eſſent ma-

magis meritoria gloriæ, ſeu præmii, ex eo, quod procederent ex meritis Paſsionis, & mortis Chriſti Domini, quàm ſi ſolum procederent ex meritis Chriſti, ut glorificatoris, caſu quo Adamus non peccaſſet; ſed hoc eſt contra Concil. Trident. ſeſ. 6. can. 5. ubi ait: *quod nemo poſsit eſſe juſtus, niſi cui merita Paſsionis Jeſu Chriſti communicantur.* Et canon. 10. definit, *omnes gratias eſſe per Redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu*: ergo quia opera bona prædeſtinatorum quoad ſuam bonitatem eſſentialem pendent ex meritis Paſsionis, & mortis Chriſti Domini.

24 Reſpondeo diſtinguendo ſequælam; ſi ſolutio teneret, ſequeretur, quod opera bona prædeſtinatorum non eſſent magis meritoria gloriæ, ſeu præmij *eſſentialis* ex eo, quod procedant ex meritis Chriſti *Redemptoris*, quam ſi ſolum procederent ex ejus meritis, ut *Glorificatoris*, conc. ſequælam: præmii *accidentalis*, ſubdiſtinguo ſequelam: præmii accidentalis non ſupponentis peccatum, concedo ſequel. maioris; neceſſario ſupponentis peccatum, nego ſequel.. Explicari valet hæc ſolutio alia doctrina ſatis communi inter Scotiſtas, & quam probabilem judicat N. Maſtr. hic diſt. 3. quæſt. 4. art. 1. & 2. Docent ergo plures, quod poſitis duobus juſtis, quorum unus habeat gratiam per Chriſtum, & alter habeat æqualem gratiam independenter tamen à meritis Chriſti: ſi uterque ex his eliciat actum æqualiter bonum, tam objective, quam circunſtantionaté, tunc caſus habens gratiam per merita Chriſti non plus præmij mereretur, quam ille alter, licet multiplicaretur ratio, ſeu motivum conferendi idem præmium; quatenus talia merita, ut pote conjuncta meritis Chriſti, augerent Dei benevolentiam, & voluntatem remunerandi.

25 Pariformiter ergo hic ſervatis ſervandis; nam ſi comparentur merita Chriſti, ut *ſanctificator*, & *glorificator eſt*, ſolùm hæc reperitur differentia, quod cum merita Chriſti ut Redemptoris ſupponant peccatum, ſint de ſe deletiva peccati, & aperitiva januæ cœleſtis, quæ occaſione peccati clauſa fuit hominibus uſque ad ſolutionem pretii; quod quidem non haberent merita Chriſti, ut glorificatoris, & ratio totius eſt; quia ſicut independenter á prævisione peccati, Chriſtus Dominus fuit prædeſtinatus caput hominum, & Angelorum, & decreta ejus Incarnatio præciſive a paſſibilitate, & impaſsibilitate, ita etiam in eodem ſigno fuerunt prævisa merita Chriſti quoad eorum ſubſtantiam, intuitu quorum ſi prævisorum contulit Angeli-

hominibus gratiam, & gloriam correſpondentem, ita ut Chriſtus fuerit incarnatus non ſolum ut *Salvator* hominum, ſed per prius fuerit *ſanctificator*, & *glorificator* tam hominum, quam Angelorum.

26 Ad probationem minoris replicæ ex Concil. Trid. reſpondeo, quod Concilium loquitur de meritis Paſsionis, & mortis crucis Chriſti Domini in eo ſenſu, in quo Myſterium Incarnationis de facto positum eſt in executione: & ſic verum dicit, & nos libenter fatemur non ſolum principium merendi, verum & ipſa merita nobis conferri: valoremque recipere ex meritis Paſsionis Chriſti ſive prævisis, ſive exhibitis. Non tamen loquitur Trident. de Myſterio Incarnationis, eo modo, quo de facto, & ſecundum præſentem providentiam poneretur, ex ſuppoſitione, quod Adamus non peccaſſet: in hoc ergo caſu ſalvarentur Omnes prædeſtinati in virtute meritorum Chriſti, ut pure *Salvatoris*, & *Glorificatoris*. Quare talis authoritas non eſt contra nos.

27 Replicabis adhuc: juxta Subt Doct. in 3. diſt. 19. quæſt unic., meritum Chriſti Domini non fuit ordinatum niſi poſt hominis lapſum ergo ante prævisionem lapſus nullum fuit meriti Chriſti: ergo falſum eſt, quod prædeſtinati ſint prædeſtinati ex meritis Chriſti, & quod ſint prædeſtinati ante prævisionem peccati. Reſpondeo explicando antec.: juxta Doct. &c. meritum Chriſti non fuit ordinatum niſi poſt hominis lapſum, in *remedium peccati*; concedo antec.: non fuit ordinatum *abſolute*, & *ut abſolute futurum*, *ut principium prædeſtinationis hominum & Angelorum*, niſi poſt hominis lapſum, nego antec. & conſequentias. Videatur Doct. cit., & videbitur, quod in hoc ſenſu loquatur. Qui plures alias replicas, uberioremque doctrinam circa hoc deſideraverit, videat tomum 2. cit. maxime argument. 8. num. 128., ejuſque ſolutionem anum. 152.; nam cum pro dignitate ibi de hoc agatur, inutile eſſet, eamdem doctrinam repetere.

28 Dices tandem; ſub num. 13. huius dicitur, quod qui ſunt reprobi, fuerunt prævisi, & decretati in quarto ſigno; ſed hoc eſt abſolute falſum: ergo & eſt falſa ſeries decretorum. Prob. min.: ſi reprobi fuerunt decreti ad exiſtentiam in 4. ſigno, ſequitur: quod fuerunt decreti poſtquam prævisum fuit peccatum Adami; ſed hoc nequit dici: ergo &c Prob. min.: ſi reprobi fuerunt decreti ad exiſtentiam poſt prævisum peccatum Adami non

non contraxiſſent peccatum originale; ſed hoc eſt error in fide: ergo &c. Prob. mai.: voluntates reproborum non potuerunt eſſe refuſſę in voluntatem Adæ, ante quam determinarentur ad exiſtentiam, & intelligerentur futuræ: ergo ſi eorum exiſtentia fuit decreta poſt prævisum peccatum Adæ, non contraxerunt originale peccatum; cum hoc contrahatur ex eo, quod voluntates ſint refuſſe in voluntatem primi Parentis, ut in capite. Prob. antec.: antequam reprobi determinarentur ad exiſtentiam, & intelligerentur futuri, erant pure poſsibiles propagari ex Adamo; ſed hæc pura poſsibilitas non ſufficiebat, ut eorum voluntates eſſent refuſſæ in voluntate Adami; alias homines in ſtatu puræ poſsibilitatis contraxiſſent peccatum originale: ergo &c.

29 Reſpondeo ad argumentum, negando min.: ad cuius probationem conceſſa mai, nego min.: ad huius probationem nego mai.: ad huius probat. diſtinguo antec.: voluntates reproborum non potuerunt eſſe refuſſæ *moraliter determinatè* in voluntate Adæ antequam determinarentur ad exiſtentiam, & intelligerentur futuri, conc. antc. *moraliter indeterminate*, nego antec., & conſeq. Ad probationem antecedentis dico, quod pure poſsibiles propagari ex Adamo non fuerunt refuſſæ *moraliter determinate* in voluntate Adami, bene vero *moraliter indeterminate*, hoc eſt, vi continentiæ virtualis eorum in lumbis Adæ, vi voluntatis divinæ donandi Adæ in ipſius creatione gratiam, & originalem juſtitiam ſub obligatione ſervandi illam pro ſe, ſuiſque poſteris.

30 Quare, qui pro tunc erant futuri, uti erant prædeſtinati, fuerunt determinate moraliter refuſsi in voluntate Adæ in vi prędictæ voluntatis connotantis futuritionem eorum per ordinem ad exiſtentiam habendam per ſeminalem propagationem ex Adamo. Poſsibiles vero propagari ex ipſo, cum non eſſent pro illo ſigno determinati ad exiſtentiam, non poterant pro illo ſigno refundi *determinate*, ſed ſolum *indeterminate*, & *confuſſe*, indeterminatione, & confuſsione ſe tenente ex parte objecti; eo quod ſignum illius voluntatis nec ſupponit determinationem, nec eſt ſignum determinandi omnes ex Adamo propagandos; nec in ſigno illo eſt completus ordo decretorum, & providentiæ erga Chriſtum, & hominis. Attamen omnes poſt prævisum Adæ peccatum decreti ad exiſtentiam habendam per ſeminalem propagationem ex Adamo, poſito iſto

creto, ſunt determinate refuſsi in ejus voluntate vi voluntatis divinæ, ſeu decreti conferendi Adę gratiam; & originalem juſtitiam pro ſe, ſuiſque poſteris. Vide dicta num. 11. & 13. huius.

31 Etſi aliæ plures objectiones poſſent poni contra hanc ſeriem decretorum; quia tamen per varias materias Theologicas difuſſæ ſunt, & abs dubio nimis protraheretur ſermo; ideo merito eas omitto videndas in ſuis proprijs tractatibus; maxime in materia de hominis opificio, Adæque lapſu. Unicum ſolum monitum volo vos ſemper præ oculis habere: Et eſt: quod hæc diviſio, & ſeries decretorum non ſe tenet ex parte Dei, qui omnia uno, & indiviſibili actu voluntatis decernit: unde venit intelligenda talis diviſio reſpectu ad ejus objecta volita, inquibus concipitur aliqua diſtinctio, & aliquis ordo prioritatis, & poſterioritatis, non quidem realis, ſed rationis, ſecundum quem aliqua dicuntur prius volita, quam alia; & ſecundum iſtum ordinem, quem merito prę figunt Theologi, protenuitate noſtri captus, varie diſcurrunt de prædeſtinatione tam Chriſti Domini, & ejus Puriſſimę Matris, quàm hominum: & etiam de reprobatione. Et hæc de tota hac difuſſa materia in tres tractatus, diviſa, ſufficiant, & cedant in laudem. D. O. M. Sapientiæque incarnatæ. AMEN.

LAUS DEO.

INDEX

TRACT., DISPUTAT., QUÆSTIONUM, Sectionum, & quæ in Tomo iſto continentur.

DISPUTAT. I.

De poſsibilitate Incarnationis. pag. 2.
Quæſt. 1. An Divini Verbi Incarnatio fuerit poſsibilis? pag. 3.
Sect. 1. oſtenditur poſsibilitas Incarnationis ex parte Verbi Divini. pag. 3.
Sect. 2. Oſtenditur poſsibilitas Incarnationis ex parte naturæ aſſumptæ. pag. 9.
Sect. 3. Oſtenditur poſsibilitas Incarnationis ex parte unionis hypoſtaticę. pag. 13.
Quæſt. 2. An, & quo lumine cognoſci poſsit Myſterium Incarnationis? pag. 16.

Diſputat. II. De Convenientia Incarnationis.

Quæſt. 1. An conveniens fuerit, Deum incarnari? pag. 24.
Quęſt. 2. Utrùm convenientius fuerit aſſumere naturam humanam, quam irrationalem, aut Angelicam? pag. 29.

Diſput. III. De Eſſentia Incarnationis.

Quęſt. 1. Per quid Verbum Divinum immediatè, & proximè humanam naturam terminavit? pag. 33.
Quæſt. 2. An ſubſiſtentia abſoluta Dei potuerit terminare immediatè naturam creatam in alia providentia? pag. 38.
Quęſt. 3. Utrùm tres Divinæ Perſonę poſsint ſimùl, & immediatè in ſe aſſumere naturam creatam? pag. 4[illegible]

Quæſt. 4. An una Perſona Divina potuerit ſimul aſſumere plures naturas humanas: & an in tali caſu diceretur unus, vel plures homines? pag. 65.
Queſt. 4. & ultim. Utrúm Perſona creata poſsit aſſumere alienam naturam creatam, ſaltim divinitús? pag. 70.

Diſp. 4. De Natura Creata aſſumpta.

Quæſt. 1. An humanitas Chriſti Domini exiſtat in Verbo per huius exiſtentiam, vel propriam? pag. 76.
Quæſt. 2. An quælibet natura creata ſubſtantialis completa ſit aſſumptibilis à Verbo Divino? pag. 92.
Quæſt. 3. An accidens poſsit immediatè uniri Verbo? p. 99.
Quæſt. 4. An Verbum Divinum immediatè aſſumpſerit partes eſſentiales hominis: quoque ordine? pag. 105.
Queſt. 5. An Verbum Divinum immediatè aſſumpſerit omnes partes integrales hominis? pag. 111.
Quæſt. 6. An Verbum Divinum immediatè aſſumpſerit quatuor humores? pag. 112.
Quæſt. 7. & ultim. An totus ſanguis Chriſti Domini fuerit in triduo mortis à Verbo Divino ſeparatus? pag. 120

Diſput. V. De Unione hypoſtatica, unitione, & Communicatione Idiomatum.

Quæſt. 1. Quid ſit unio hypoſtatica? pag. 127.
Quæſt. 2. An unio hypoſtatica facta fuerit in unitate Naturæ, aut Perſonæ? pag. 143.
Quæſt. 3. An Chriſtus veré, & proprié ſit Perſona compoſita? pag. 157.
Quæſt. 4. Quid ſit terminus formalis ad quem actionis unitivæ? pag. 163.
Queſt. 5. An unio hypoſtatica ſit immediata, & omnium maxima? pag. 167.
Quæſt. 6. An unio hypoſtatica ſit connexa cum unione beatifica, & gratia ſanctificante? pag. 175.
Quæſt. 7. An unio hypoſtatica ſit ſupernaturalis, & quomodo? pag. 181.
Quæſt. 8. Utrûm aliqua creatura ſit, vel poſsit eſſe cauſa phyſica principalis, vel ſaltem inſtrumentalis unionis hypoſta- pag. 183.

Quæſt. 9. & ultim. de Comunicatione Idiomatum inter Deum, & hominem. pag. 188.

Diſp. VI. De Exiſtentia Incarnationis.

Quæſt. unic. An Meſsias iam venerit, ſeú exiſtat? pag. 199.

Diſp. VII. & ultim. De Neceſsitate Incarnationis.

Quæſt. 1. An Deus fuerit abſoluté neceſsitatus ad exequendam Incarnationem? pag. 208.
Quæſt. 2. An ex ſuppoſitione aliqua contingenti Deus fuerit moraliter neceſsitatus ad Incarnationem decernendam? pag. 219.
Quæſt. 3. An pura Creatura poſsit ſatisfacere de condigno pro peccatis aliorum? pag. 226.
Quæſt. 4. & ultim. An pura Creatura poſsit ſatisfacere de condigno pro peccato lethali proprio? pag. 236.

Tract. II. De Anima Chriſti, &c.

Diſput. I. De Anima, Intellectu, & Voluntate Chriſti Domini.

Quæſt. 1. In qua ſolvuntur omnia dubia circa Animam Chriſti Domini. pag. 248.
Quæſt. 2. De Intellectu, & ſcientia Animæ Chriſti. pag. 256.
Sect. 1. An Chriſtus Dominus habuerit ſcientiam beatam, quidque per eam cognoverit? pag. 257.
Sect. 2. An in Chriſto Domino fuerit ſcientia infuſa, & quid per eam noverit? pag. 260.
Sect. 3. An in intellectu Chriſti fuerit ſcientia acquiſita, de quibuſque obiectis? pag. 267.
Sect. 4. In qua breviter reſolvuntur aliæ difficultates. pag. 271

Quæſt. III. De Voluntate Chriſti Domini.

Sect. 1. An voluntas humana Chriſti Domini fuerit libera in omnibus actibus ſuis? pag. 277.
Sect. 2. An voluntas humana Chriſti fuerit ſemper conformis divinæ? pag. 282.
Sect. 3. An in voluntate Chriſti fuerint habitus ſupernaturales, & virtutes morales? pag. 288.

Diſp. II. de Filiatione, & Servitute Chriſti Domini.

Quæſt. 1. An Chriſtus, ut homo, ſeu ſecundum humanitatem ſit Filius Dei adoptivus? pag. 293.
Quæſt. 2. An Chriſtus, ut homo, ſeu ſecundum humanitatem, ſit Filius Dei naturalis, vel propius? pag. 299.
Quæſt. 3. An Chriſtus filius B. Virginis filiatione reali in ipſo exiſtente? pag. 306.
Quæſt. 4. An Chriſtus, ut homo, ſit propie ſervus Dei? pag. 314.

Diſp. III. de Gratia, tàm actuali, quàm habituali Chriſti Domini.

Quæſt. 1. de Gratia actuali, aliiſque donis Chriſti Domini. pag. 321.
Quæſt. 2. An gratia habitualis Chriſti Domini fuerit ſub aliqua ratione ſimpliciter infinita? pag. 325.
Quæſt. 3. An gratia habitualis Chriſti Domini fuerit ſyncathegorematicè infinita? pag. 331.

Diſp. IV. de Sanctitate formali Chriſti Domini.

Quæſt. 1. Proponuntur aliqua Notabilia pro intelligentia dicendorum. pag. 342.
Quæſt. 2. An humanitas Chriſti Domini ſanctificetur formaliter à natura Divina, aut perſona Verbi? pag. 346.
Quæſt. 3. An humanitas Chriſti Domini ſanctificetur formali-

tèr

ter per unionem hypoſtaticam phyſice, & ex natura rei. pag.353.
Quæſt. 4. An unio hypoſtatica ex ordinatione divina ſanctificet formaliter humanitatem Chriſti Domini? pag.356.
Quæſt. 5. & ultim. An humanitas Chriſti Domini ſanctificetur formaliter unice per gratiam habitualem? pag. 365.

Diſp. V. de Impeccabilitate Chriſti Domini.

Quæſt. 1. Utrùm SS. PP. adverſetur hæc propoſitio: Chriſtus, ut homo, potuit peccare. pag.374.
Quæſt. 2. An caſu pro quo, humanitas Chriſti peccaret, vere diceretur: Chriſtus peccavit: ſeu ſuppoſitum Verbi peccavit denominative? pag.383.
Quæſt. 3. A quo proveniat Impeccabilitas Chriſti D. pag.392.
Sect. 1. An unio hypoſtatica ſit proxime, & formaliter ratio impeccabilitatis formalis Chriſti Domini. pag.394.
Sect. 2. An humanitas Chriſti Domini fuerit proxime, & formaliter impeccabilis ex vi beatitudinis, vel manutenentiæ Dei extrinſecæ? pag.404.
Sect. 3. In qua ſolvuntur aliqua dubia huc expectantia? p.409.
Quæſt. 4. Quomodo Chriſtus Dominus, ſalva ejus impecabilitate, habuerit ſuficientem libertatem ad meritum? pag.412.
Sect. 1. Communis ſententia Thomiſtarum refertur, & refellitur. pag. 412.
Sect. 2. Proponitur, & impugnatur ſecundus modus dicendi, negans in Chriſto Domino præceptum mortis? pag.421.
Sect. 3. Refellitur alius modus dicendi communis Jeſuitis, & aliquibus Scotis. pag. 433.
Sect. 4. Proponuntur varij modi dicendi Scotiſtarum. p.433.
Sect. 5. & ultim. In qua noſtra proponuntur concluſio. p.442.

Diſp. VI. & ultima de Gratia Capitali, officiis, & dignitatibus Chriſti Domini: ac de ejus potentia ad patranda Miracula.

Quæſt. 1. Reſolvuntur dubia de Gratia Capitali Chriſti Domini.

Quæſt. 2. de Dignitate Sacerdotali Chriſti Domini. pag. 459.
Quæſt. 3. de Regia poteſtate Chriſti Domini, aliiſque ejus officiis. pag. 463.
Quæſt. 4. & ultim. An potentia faciendi miracula fuerit in Chriſto Domini phyſica, aut moralis. pag. 468.

Tractatus III. de Merito, & Satisfactione Chriſti Domini: ejus cultu, & adoratione: ac tandem de cauſa finali Incarnationis.

Diſp. 1. de Merito Chriſti, tam pro ſe, quam pro nobis.

Quæſt. 1. An meritum Chriſti Domini ſit ſimpliciter infinitum ratione dignitatis perſonæ? pag. 477.
Quæſt. 2. An Chriſtus D. meruerit per actum charitatis. p. 489
Quæſt. 3. An Chriſtus D. de facto ſibi meruerit gloriam corporis, & animę? pag. 495.
Quęſt. 4. An Chriſtus D. potuerit mereri Incarnationem quoad ſubſtantiam? pag. 503.
Sect. 1. Humanitas Chriſti D. non potuit de potentia abſoluta mereri Incarnationem quoad ſubſtantiam de condigno per opera antecedentia, nec naturę, nec durationis prioritate. pag. 504.
Sect. 2. Chriſtus D. nullo modo potuit mereri Incarnationem quoad ſubſtantiam per opera ſubſecuta ad ipſam. pag. 511.
Sect. 3. In qua ſolvuntur aliqua dubia hujus materiæ. pag. 520
Quæſt. 5. quid Chriſtus D. nobis meruerit? pag. 522.
Sect. 1. An Chriſtus D. meruerit Angelis, & hominibus æternam prædeſtinationem, ſeu electionem ad gloriam? p. 523.
Sect. 2. An Chriſtus D. meruerit Angelis, & primis parentibus primam gratiam, & gloriam eſſentialem? pag. 528.
Sect. 3. An Chriſtus D. meruerit Immac. Virgini præſervationem ab originali culpa, & quibus meritis? pag. 532.
Quæſt. 6. & ult. An Chriſtus pro nobis nunc oret in cœlo? p. 537

diſput.

Diſp. II. de Satisfactione Chriſti Domini.

Quęſt. 1. An ſatisfactio Chriſti D. pro peccatis hominum fuerit non ſolum condigna, ſed etiam ſuperabundans? p.541.
Quęſt. 2. An ſatisfactio Chriſti ex ſe, & ab intrinſeco fuerit condigna, & ſuperabundans? pag.546.
Sect. 1. Quid ſentiendum de ſatisfactione Chriſti Domini in actu 1.? pag.548.
Sect.2. Quid ſentiendum de ſatisfactione Chriſti D. in actu ſecundo, ſeu completive ſumpta? pag.555.
Quæſt. 3. Utrúm Chriſti D. ſatisfactio fuerit ex toto rigore juſtitię? pag.568.
Sect. 1. An omne peccatum lethale ſit ſtricta injuſtia contra Deum? pag.571.
Sect.2. An Deus ex juſtitia ſtricta teneatur aceptare ſatisfactionem Chriſti, ſuppoſito pacto? pag.575.
Sect. 3. Oſtenditur, ſatisfactionem Chriſti D. non fuiſſe ex toto rigore juſtitiæ defectu conditionum? pag.584.
Sect. 4. & ult. An ſatisfactio Chriſti D. fuerit ex virtute juſtitię vindicativæ? pag.593.

Diſp. III. de Adoratione debita Chriſto D.

Quęſt. 1. Quomodo Chriſtus, ut homo, adorandus ſit? p.597.
Quæſt. 2. Quę adoratio debeatur Immac. Virgini? pag.606.
Quæſt. 3. & ult. Quę adoratio debeatur Cruci, ſudariis, reliquiis, & imaginibus Chriſti? pag.609.

Diſp. IV. & ult. de Cauſa finali Incarnationis.

Quęſt. 1. An ſi Adamus non peccaſſet, Verbum divinum Incarnatum fuiſſet ex vi præſentis decreti? p.617.
Quæſt.2. Quibus deficientibus peccatis, Chriſtus non veniret ut Redemptor, vi præſentis decreti? pag.640
Quęſt. 3. & ult. Proponitur ſeries Divinorum decretorum erga Incarnationem ad mentem N.D. pag.644.

Disp. II. de Satisfactione Christi Domini.

PROPIEDAD PROVINCIAL DE PALENCIA

Antonio de los
Santos para quando
y Como case

Nos Dn Man.l
Quintana y Bonifac

Nos los Guerros
de su Padre

Nos el Tio Pedro

1.445